

WIDENER LIBRARY
HX JVCT C


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ECCLESIAE

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO
MDCCLVI
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE
Proftant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Parisiis apud BRIASSONUM: Ultrajecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLVI.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCLVI

publicata.


Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.


LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultrajecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLVI.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650
ROBERT TROUP PAINE
TO
HARVARD COLLEGE.
A LEGACY
IN HIS NAME BEING APPLIED
IN PART TO AN ANNUAL INCREASE
OF THE LIBRARY
Received 9 April, 1879.



Robert Treat Paine
to Harvard College

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO
MDCCLVI
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE
Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultrajecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLVI.

1879, April 9.
Paine bequest.

Lectori Salutem.



Magnum est, doctis probari, atque bonis; maius, idemque rarius, etiam apud illos inire aliquam gratiam, quos ad recte iudicandum vel eruditio destituit, vel æquitas; illud longe maximum & difficillimum, neque satis scimus an valde expetendum, omnes omnium sibi animos atque voces conciliare. Quam ob rem & nos in illa votorum mediocritate semper substitimus, ut eorum contenti suffragiis, in quibus vel litteræ essent egregiæ, vel certe studium doctrinæ candidum, & placida erga omnes indulgentia, adquiesceremus. Quod ut consequeremur, ingenue quidem & comiter, quin amice etiam, pro illa doctis omnibus intercedente necessitudine, in exponendis aliorum laboribus, & expromendo super illis animo nostro, adhuc versati sumus. Tamen, nec blandis, ultra quam par est, lenociniis, captare scriptorum benevolentiam, propositum nobis umquam fuit; nec cavere timidiuscule iras de nihilo nonnullorum, dum ab iis dissidere nos aliquantum, dum reprehendenda quædam illorum in institutis, modeste significaremus. Sed ea ratione tenenda, malam nos apud istos gratiam retulisse sæpius, nemini est mirandum. Magis autem commoveri Te, Lector, necesse est, si intelligas, esse homines, qui adeo indigne ferunt, quæ nos optima fide, in rebus eorum, aut verbis, minuta utplurimum, desideravimus, ut hostili propemodum impetu in nos irruant, ac tanto cavillationum atque conviciorum adparatu contra nos depugnent, tamquam si fortunas aut vitam eorum infesto stylo petiissemus.

Vix priamus tanti, totaque Troia fuit.

Non obsoleta narramus, sed quæ vel nuper experiundo cognovimus. Nam sententiam, quæ primis continuo huius anni paginis, super magnifico illo Augustæ Imperatricis thesauro numismatum, vel potius super eorum opera, per quos ille publicatus lucem vidit, integerrimo consilio dicta a nobis est, Vir doctus quidem, cuius aliquæ in Museo illo edendo partes fuerunt, sed idem vehemens & acerbus, bile multa, paginarum non paucarum scripto, exagitavit. Is quidem, a quo illa sententia erat in litteras relata, magno Academiæ, magno nostrum omnium dolore, ante menses aliquot diem obiit;

obiit; nosque illi gratulamur felicitatem suam, quod vivendo non attigerit tempus illud, quo chartæ ad nos delatæ sunt, plenæ asperrimorum, in Virum bonum, doctrinæque copia clarissimum, verborum, subrusticæ interdum, ac pæne dixerimus inficetæ. Quodsi læsum se, & socios operis, illa animadversionum tenuitate putavit V. Cl. quod nos non existimamus; si aliqua eo loco per coniecturam magis, quam certi fiducia, credidit esse posita; si acutius se in omnibus videre certum habuit: quid erat, cur non meliora docere potius, & dicta defendere, graviter nimirum & ad humanitatis leges, voluerit? quam, verso in telum stylo, nec inimicum, nec hostem, sed leniter contra disputantem, opprobriis vulnerare? Quam indignum est, quorundam ex nostris diligentiam, qua rei antiquariæ studiosis consultum volebant, non admonere peritos, contemptim traducere; de illis autem, quorum præclara publice eminuit in cognoscendis eruditæ antiquitatis monumentis scientia, quasi hi nulli sint, tacere. Quam illud fastidiosum & iniquum, ne quid gravius dicamus, de hac urbe, iudicium? facta autem copiarum Curiæ nostræ cum illis Vindebonæ regiis & amplissimis contentio, quam ridicula? Dein, quid fingi etiam falsius poterat, quam illa Actorum nostrorum accusatio, ea diversis a sacrorum nostrorum ritu Scriptoribus satis æqua numquam esse? Sed illud atrox est, & disciplinæ, quam Auctor illarum chartarum sequitur, rationes videtur sapere, quod minas adiunxit, iussitque nos principalis auctoritatis interdictum scriptis nostris metuere. Non poterat elegantius, & suavius. Neque illustrius indicium, quis ille, & cuias sit, requirimus. Multos illa, religionis & litterarum, si Diis placet, præses Societas, multos illa, aimus, libros egregios & præstantissimos in exsilium eiecit. Quid nobis faciet, qui de talibus referimus; quam crudelia, nisi sapientia summorum virorum intercesserit, conabitur. Verum hæc omnis disputatio, in qua tractanda calamum exasperari sentimus, ab operæ nostræ rationibus aliena est, eoque magis mittenda. Per nos quidem, & scriptum, quo lacessiti sumus, & auctoris nomen, sepultum posthac maneat. Iidem tamen non recusamus, quin illud eruditorum & candide sentientium virorum oculos subeat, feraturque verum ab his iudicium. De studii nostri, quod adhuc his Actis præstitimus, constantia, vix opus fuerit, certiorem Te, Lector, amplius, & repetendis promissis, facere. Quæ superiore tempore, atque adeo, hoc iam fugiente anno, proposita a nobis spectasti, ex iis ut futuri etiam laboris exspectationem concipias, rogamus. Vale.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLVI.

NUMISMATA CIMELII CAESAREI REgii Austriaci Vindobonensis, quorum rariora iconismis, cetera catalogis exhibita, iussu Mariæ Theresiæ Imperatricis & Reginæ Augustæ.

Pars prior, Alphab. 4. tabb. linearum ex aere ductis, numero, si *titulum* addas picturatum, 26.

Pars altera, plag. chartarum maximarum ferme 13. tabb. linearum ex aere magnis numero 112. *utraque*

Vindobonæ, typis & sumtibus Ioannis Thomæ Trattner, Cæsareæ Regiæ Maiestatis Aulæ Typographi & Bibliopolæ 1754. fol.

Magnum opus & pulcherrimum isto quidem codice magno proponitur. Ingentes videlicet numismatis vetusti Græciæ quondam felicis Romæque copias, digesti illius ordinatique tanquam in dactyliotheca armariis abacisque suis, inter alia regiæ avitæ Vindebona in urbe ornamenta, acceperat rarissimi virtutibus exempli Augusta.

Monumentorum antiquitatis eruditæ talium redeuntem in commune ad ingenia & litteras utilitatem quum intellegeret illa, exculto certe his quoque humanitatis & elegantiæ studiis pectore, ordinari quidquid erat copiæ numorum veterum præstantis accuratiore doctorum hominum diligentia, hospitio receptum inter aliam gazam nunc meliore, publicarique id, tanquam rationibus editis, commentario nonnullo declaratum, & spectandum, qua fieri posset depromentibus e tanto numero, picturæ linearis ac librariæ machinarum scriptu-

ræ beneficio, iusserat. Quod salutare Augustæ suæ imperium alacriter exsecuti sunt viri litterarum vetustatis earum & artium nostrarum minime imperiti, dum istas Codicis magni partes duas, per indicia signorum oratione explicata, & lineas aheneis e lamnis exprimendo, præbere nobis student. Nomina illi sua, ut sciremus, cui debita hæc opera referretur, edere in fronte operis temperaverunt. Ceterum in epistola memoratur V. C. Francius, *(de France)* cuius quoque ipsius museum vetustatis doctæ eleganti reliquiarum copia refertum olim claruerat, & scriptores, item clari, aliisque ingenii monumentis ante spectati, Valentinus du Val, Erasmus Froelich, Iosephus Kheil.

Quoniam vero, intellegere copiæ talis rationem & usum, & cupere litterarum studiis, quorum emolumento insigni publicentur ista, iubere denique publice proponi, scientiæ & virtutis est: habere in museis composita, fortunæ: eam primam & summam Augustæ laudem, & intellegentiæ meritum, initio celebravimus: nunc de copiis ipsis, quales sint, & quantæ, videbimus antea, quam de præstito eo, quod facere iussi fuerant commentariorum scriptores, atque adeo de meritis libri, qui publicatus est, agamus.

Est autem digna Regiæ amplissimæ fortunis, & summo Augustæ talis ingenio, ista nomismatis vetusti copia. Quam si recenseas secundum tabulas classium, quæ eo commentario eduntur, amplius viginti milibus numorum Græciæ Romæque veteris reposita in scriniis invenias. In his aurei numi amplius duobus milibus quingentis. Argenti & æris propius ad myriada accedens, ac par fere utriusque numerus. Græci nomismatis infrequentior congeries, sed ampla Romani. Cuius quidem gentilium denariorum apparent hic ferme millia duo: Augustorum item argento denariorum, prope millia quinque, non ut signis diversis tot singularia nomismatis monumenta prodeant: sed ut formis sæpe eisdem percussa atque inter se similia numorum veterum corpora tamen. In his laudabili diligentia, qui commentarios scripsere, æ. is Italiæ fere vetustissimi, quæ pondera appellari nomismatis vetusti

in

in museis insuevit, eorum pondus singulorum subnotatum in tabulis exegerunt. Quod nos olim facere, aliisque fere exemplum praeire eiusmodi aera appendendo veterum ad drachmam unciamque, meminimus. Eius finitionis, quanquam pleraque adprobari subtiliora certioraque poscentibus non possint, tamen est industria laudanda. Est ista quoque sedulitatis laus pulcra ac singularis, quod in quibusdam gentium Rom. aut Augustorum denariis etiam litteras, officinarum, ut credibile est, indices, ita exegerunt, ut in quibusdam, qui formis signisque similibus percussi denarii essent, exempla primo elemento, ac dein omnibus, usque ad elementum extremum, litterata invenirent.

Sed omnem istius pulcherrimae amplissimaeque copiae, quam adhuc laudavimus, dignitatem auctoritatemque, singulari & honesta eruditis quidem oculis specie, longissime vincit, quidquid altera huius codicis parte publicatum, Rupefortii olim egregia diligentia, Romae ille sacerdos inter solitarios, Cartusios vocant, nomen professus, *Rochefort*, hoc nomismatis antiqui egregio quondam studio tenebatur: illius igitur cura, istud, quod erat in scriniis, probe delectum, lamnisque aheneis picturae linearis beneficio scienter consignatum, prodiit. Ea enim veteris memoriae monumenta praeclara, quae nullo pretii usu, sed spectaculo ut essent iucundo, procusa Romae Principum imperiis fuisse intelleguntur: aera maxima vulgo vocant, vel aere maximo numos: eorum ingens hic, optimeque delectus numerus, apparet. De quo quidem quoniam infra dicendi locus erit, donec primae partis libri virtutes laudando fuerimus exsecuti, in praesens edisserere temperamus.

In eo igitur opere, si a munificentia Regia, intellegentiaque Augustae imperantis editionem, de qua supra dictum est, recessimus; si mittimus industriam sedulitatemque mirificam eorum, qui commentaria scripserunt: gratiam habet primum praefatio, edens fortunam vicesque huius numorum veterum thecae ac musei, tot summorum regum cura & imperio compositi Vindebonae. Diversae enim hae Reginae Augustae copiae

ab illis, quæ alteræ numorum veterum in arce Ambrosia haud procul Oenobrica Teriolensium in agro adservantur. Quas copias quum ante annos plusculos nos quidem peregrinantes inspiceremus, desiderare dolenter illam in deligendo ordinandoque curam industriamque meminimus. Sic autem instituerunt illi, quorum nomina supra posuimus, huius commentarii Auctores Scriptoresque, ut censu omnis copiæ acto, de quo ante a nobis proditum est, minus frequentia repertu nomismata inde deligerent, quæ brevi commentario dignarentur enarrare, eorumque in numero, quæ ipsis ἀνέκδοτα aliorum commentarios volventibus videbantur, eorum ut speciem quoque picturæ linearis honore & signis per aheneas lamnas expressis redderent. Hac lege commentarii facti sunt digestorum in diversas classes numorum breves illi, sed multiplici cura & sedulitate annotandi vel minuta, quod his in litteris utilissimum est, graves: tabulæ vero imaginum magnæ numero XXV, in quibus proponunt spectanda nomismata, ipsis quidem ἀνέκδοτα, fere quingenta, ista ratione, ut a fronte æque atque a tergo signa cuiusque appareant, eo orbium spatio, quo spatio cuiusque numi metallum patet. Ea vero omnia cura egregia, summaque fide, neque contemnendo talium usu peritiaque, gesta fuisse cum credimus memoranti, tum etiam certis vestigiis inspectantes deprehendimus.

Huius tamen primæ partis meritum omne plurimum vincitur delectu, elegantia, auctoritate earum tabularum, quæ nomismatis vetusti ære maximo signis probe delineatis graves altera codicis parte proponuntur. Nam hæ partis alterius tabulæ perquam scienter olim Romæ a Rupifortio, lectis argumentis, neque indocta artificis manu, ad veram vetustatis eruditæ speciem adornatæ, nihil ferme desiderandum relinquere videntur eruditis quidem intellegentium oculis studioque requirentium præstantissima quæque veteris memoriæ monumenta. Quare credibile est futurum, ut hæ tabulæ reliqua libri ducant vendantque, si quis eis, quæ priore parte & qualia sunt præbita, minus moveatur. Nam & qui curavit olim edendi Auctor sacerdos Romæ solitarius, Cartusios appellant,

eorum

eorum nomismatum ipso delectu intellegens antiquitatis & monetæ veteris ingeniorum proditur: & qui lineas Romæ duxit non assecutus ille quidem est, ad quam adspirabat, Santebartoli elegantiam, reddendæque vetustatis fidem: sed longissime tamen post se relinquit eorum imperitiam pictorum, qui plerique iam longo tempore, sive qua Germanicum nomen patet, sive in Galliis, lineas numorum veterum multorum in tabulis propositis vulgant. Quam necessariam super his lineis animadversionem nostram, minus gravabuntur, neque levem eam putabunt, quicunque norunt, summam caussæ huius ac nomismatis beneficio librorum edendi, non in commentario, quem addas, sed in imagine omnino verti. Fuerunt autem tabulæ linearis incussu machinarum picturæ propositæ numero CXII, imaginibus numorum ostensionalium aeris maximi spectandæ numero circiter CCXX, qua videlicet emblemata non paucissima computamus, quæ lamnis olim Romæ paratis deinde accesserunt. Quæ si vel non essent addita & inserta, aut si separatim proposita secundum illa priora forent, amplius fortasse inspiciendis eis iuvarentur intellegentes artium viri. Abhorrent enim plurimum ab illis Romanis; in quibus inde ab Augusto præsentes Principum vultus, pulcra imagine, signorum singulari a tergo specie illustres, multosque eorum numorum oris & ambitu corollæ aheneæ inclusos *(contorniati)*, antiquitatis studiosus cum nonnulla voluptate, doctrinæque vario cum emolumento, videas. Ut Germanicum pulchellum corollario aheneo cinctum: ut Traianos Hadrianosque & Sabinam singulares: ut Antinoos diversos specie ac signis decem: ut L. Aelium ac Pios, Marcosque valde singulares, signis a tergo pulcherrimis plurimis: ut alios tales ordine ac scienter digestos.

Nunc ubi bona operis eximii pro meritis eorum, qui manum ei condendo admoverunt, satis, imperium Augustæ, cuius providentia ac beneficio processit opus, impense, atque ut par erat, laudavimus, nisi aliqua, quæ desiderare in eo libro intellegens lector fortasse possit, item notare institueremus, parum candide simpliciterque, neque fide satis integra,

 egisse

egiſſe videremur. Quare in hoc pulcro magnoque codice ſcribendo, quum ſit naturale, hæc elegantiſſime prodita vetuſtatis eruditæ monumenta, vel exemplo nos adiuvante, per orationem emendatius latinam, ac per iudicium videndarum artium ſubtile, porro tradenda ſtudioſis eſſe, utrumque iſtorum, ut quemvis talium interpretem, ita hos præſertim adeo diligentes commentariorum illuſtrium ſcriptores, ſummo iure repoſcimus. Sed, cui ſtudebant illi quidem, orationis & ſtili antiqua verba utcunque frequentans caſtimonia, quantum abeſt in his ab illa dictionis figura, quam commendare ac tradere nobis ſtudia litteraturæ veterum veræ, & aſſidua monumentorum lectio uſuſque ſolent? Tum ad lineas e ſignis numorum expreſſas, cuius fuit manus & opera conducta, quam abhorrens ab omni antiquitatis adeo honeſtæ guſtu? quam parum reddens vel mirificam ſignorum, quæ ſigna monetæ in maſſa apparebant, pulcritudinem, vel item neceſſariam artis ſuæ legem? Talis radii in ære ductum reddendis monumentis antiquis nemo vellet, cui mediocriter eruditi ad elegantiam artium videndam oculi eſſent. Quid, quod aliqua videntur ſic ſtudio mandata fuiſſe ab exactore operis ſcriptore, ut perperam corrupteque fierent: quoniam in eo velut officio corrumpendæ rei verti veritatem & fidem antiquorum operum reddendorum fere putant, quicunque artes parum ſubtiliter vident. Simplicia, candida, divina opera, quoniam non æque, atque putida quædam, percutiunt novitate ſua ſpectatorem, inferiora plerique ideo ac rudia eſſe exiſtimant. Hoc vero eſt traducere illa nobiliſſima artium & ingenii monumenta, non producere. Quare poſtulandum foret, ut nemo reciperet numos veteres publicandos per lineas in tabulis ductas, aut omnino tractandos enarrandoſque, niſi qui diagraphicen in buxo puer egregie didiciſſet. Huius artis elegantiæ expertes quicunque oculos gerit, qui poeticen muſicamque non percipit, dictum belle, fuſum cælatumve, infabre fabreve, non ſentit, ab omni barbaria ingenii abeſſe non poteſt: neque verſari ille audeat cum emolumento ſcientiæ in his litteris, in rerum vetuſtarum omni memoria, quæ nihilo

certius

certius ingeniorum percipienda facundia, quam artium illarum subtili iudicio, propagatur.

Sed omiſſis tabularum lineis, de oratione & meritis commentariorum verba pauca facturi, qua licet, ediſſeremus. Debetur autem huic argumento memoriæ veteris ſacræque monetæ nobili, ut non valde diſerti ſcriptoris ſtilus, ita tamen ſermonis latini caſtimonia docta, & ſimplicitas quædam proprietaſque verborum accurata, compoſitioniſque vetuſtatem redolens quædam figura. Si qualem in noſtris Golzius, in Italis Urſinus inſtituerat, talem orationem nomiſmatum enarrationi redderent plerique, non erat, quod magnopere deſiderarēmus. Ceterum, ab illa iſtorum ſingulari cura elegantiaque, cito defecit ætas proavorum noſtrorum. Hodie, qui antiquorum operum ingenia narrant nobis, ſic vulgo ſunt latine diſerti, ut qui minime.

Notabamus aliquos obhæſiſſe initio, qua primum verbum titulo operis huius præclari inſcriptum lectitabant, quod verbum nos quoque antea animadvertere memineramus. Κειμήλιον igitur unum & privum dicetur ingens ac regalis copia monumentorum rei numariæ veteris in thecas & ſcrinia tot armariis, velut claſſibus ſuis, ordinata ac digeſta? Cuius publicatur ſpecimen Auguſtæ iuſſu Reginæ adeo liberaliter, ne iſtud unquam fiat κειμήλιον, id eſt, repoſitum in aliqua parte gazæ ſine uſu, vel votis hominum ſtudioſorum expetendum eſt. Nam certe niſi res aliqua uno corpore & maſſa ſingularis, ut fortaſſe numus aliquis unus vetus ac memorandus, κειμήλιον ſit, non univerſitas rerum & congeries nomiſmatum plurimorum ſcienter ordinata, tanquam nec dactyliotheca magna, neque pinacotheca, hoc vocabulo dicetur unquam. Minime omnium ſic vocaveris, quidquid ad uſum expromtum recluditur, ut bibliotheca dum publicatur, ut hoc muſeum regale tot nomiſmatis Græciæ veteris Romæque olim florentis refertum. Moroſi fortaſſe ac difficiles videamur, ſi eiuſmodi in verborum veterum proprietate & uſu vere deſideranda multa, quæ ſunt obvia, moraremur. Aliqua iam nomina rerum, ad ipſum argumenti tractatum attinentia, liceat enotare,

tare, velut in tranſcurſu properantibus. *Figura* pro ſigno, quod in numo appareat, multorum quidem ſcriptorum huius argumenti exemplo, perperam, & ad rem declarandam obſcure, & *prima forma;* & *media forma,* de metalli modo, atque ut intellegatur, quantum orbis cuiuſque numi pateat, nihilo melius frequentatur: quum liceret latine & perſpicue vel ſignificationes illorum ſignorum ſuis ſibi vocabulis edere, ut Iupiter, Mars, Iuno, Fortuna diceretur, quæ eſſet, non vage atque obſcure, *figura virilis*, *fig. militaris*; *fig. muliebris*; & alia ad eum modum. Inde fit, ut ad illud *neſcio quid* deſcendant, quale extat verbi cauſſa Parte I. pag. 50. & 55. Quum illud *neſcio quid* primum, non modo plurimis aliorum numorum exemplis, verum etiam vel Iuvenalis in Satyra decima (v. 43.) verbis, facile intellegere poſſis eſſe

- - - - *volucrem ſceptro quae ſurgit eburno:*

alterum *neſcio quid* proram navigii ſcilicet. Quum licebat, præſertim hac ſingulari induſtria uſis & fide, qua induſtria Valentis reperta ac tradita tam accurate ſequuntur, geminum tergeminumve Pω ſingularitatis notam vanam frequentant, more veterum & perſpicue ſignificare iſta per indicia drachmæ & oboli, ut δίδραχμος vel τετράδραχμος ederetur, qui eſſet, & in Romanis, ut audiret denarius, quinarius, ſeſtertius æreus, as minor, quadrans, qui eſſe ſic dicendus vel Plinii finitione intellegeretur. Tum quæ iſtorum modum & volumina omnium ſuperarent, *medaglioni* vulgo & ære maximo, oſtenſionalia nos quidem æra, ut milites oſtenſionales ad pompam paratos, ſi liceret, appellaremus: ut minora omnibus reliquis, exemplo aliorum, ſigillaria. Nam quod *miſſilia* quadam in parte operis vocant (*Parte II. Cimelii pag. 2.*) maiuſcula quædam nomiſmata, non illa minutiſſima ſigillaria, fugit eos ratio. Nam vel in Caio Cæſare Suetonius oſtendit ſatis, quam parva eſſent, & quam ob cauſſam, æra miſſilia. Cavendum enim fuit, ne eorum iactu miſſilium capita civium vulnerarentur. Quare quid eſſet recte vidit vir meritis & antiquitatis eruditæ ſcientia illuſtris, *Baro a Stoſch,* in libro parvo nuper nobis reddito, ſuper numo tali

Carini

Carini & Magniæ Urbicæ, qua docet, eandem manuum & operis rationem, & eandem elegantiam, adesse his minimis numis, & illis maximis, qui *medaglioni* audirent. Addere poterat de Pedrucii, nisi fallimur, per coniecturam inventis, videri hæc esse ea, quæ olim sigillaria, missilium genus, dicerentur. *Suggellari* quidem ei, quem diximus, Hetrusce.

Turbat autem istud redditque obscuriorem classium dispositionem: cum alio quodam pacto, velut ascendendo e minimis ut primis, alii soleant numerare & intellegere monetæ volumina: alii ad æra tantum revocare soliti, omisso argento, primum, secundum, tertiumque modulos faciant, *(grand bronze, moyen bronze, petit bronze)*: alii fere adsueverint in Augustorum numis Græcis quidem adpellare ac diversos habere ostensionales aliquos magnos, *(medaglioni d' argento)* quos hi nostri, ut verisimile est, *primae formae* aut *secundae* dicunt. A quibus omnibus deinde ostensionales ærei, quos ære maximo numos vulgo vocant, *(medaglioni)* abeunt: ut e diverso brevitate voluminis nimia infra quadrantis æra minima sunt censenda, quæ supra in sigillaribus reponenda videri ostendimus. Quæ omnia subobscurius hic referri in litteras putes, dum in Græcis regum & populorum verbi caussa numis, *maximi* aliquos *moduli*, aliquos *maioris*, & aliquos *minoris moduli*, citari videas. Alia parum diserte latina, quæ sunt frequentia: ut *(p. 52.) thensa vecta a quadrigis equorum*, vectores thensas, non vehicula reddens: ut *(p. 50.) numus in figuris diversus*, pro eo, quod erat dicendum, aliis spectandus signis; & *(II. p. 6.) sequioris aevi contorniata*, & quæ sunt eiusmodi, lubentes omittimus, alia operis virtute multa redimente istos orationis varices.

In ipsis numis, quod ad argumenta, publicandis Parte prima ediderunt aliquos sane singulares, ac propemodum unicos, ut in regibus, verbi caussa ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΟΣΤΙΔΟΥ *(tab. XV.)* & alios tales. In describendis signis, ut lineæ, quod supra annotare nos meminimus, artes veterum & manus fabrorum elegantiamque sæculi, non bene reddunt, ita commentarius, præterquam quod sæpe brevitate

 nimis

nimis adstricta nos destituit, dum se ostendit contentum suffragatione Iani Valentis, in Epitoma de numis Imperatorum, prope unius, & qui eius postilla librum ampliarunt, etiam sententia dicenda subinde abest a veris rerum antiquarum vestigiis nihilo propius, quam a vocabulis rerum optimis. Ut, qua M. Antonius in Ventidii denario traditur nobis ampliter barbatus, qualem fide item Caroli Patini prodi quodammodo meminimus, *(tab. X. num. 13.)* lineæ videntur aberrare a fide nomismatis: qua Hadrianus cum Ephesia Diana, διδράχμῳ ferme Latino, *(tabula eadem, num. 3.)* fidem habere antiquitatis sinceræ doctissimis viris editoribus vel rogatus vix possis: qua *Cybele* editur seminuda in Sabinæ Augustæ ostensionali numo, *(Parte quidem II. p. 6.)* pro Cælesti, quæ appellanda ibi fuerat, lectionis multiplicis fructum honestum desiderare & litteras possis. Nam *Caelestis* dea, quæ in Africa colebatur, *vectura leonis*, quæ Apuleii verba sunt, non est Cybele, neque quidquam de eius cultu refertur ad Matrem magnam, sed ad Iunonem. Probe autem distinxit utramque Tertullianus in Apologetico, verbis, & *Cybele*, & *Caelesti*. Istud autem non modo nostrorum, quibus ingenium cum litteratura nonnulla, & industria, & aliæ virtutes, non desunt, sed multorum studiosorum antiquitatis hominum iam inde ab aliquo tempore frequentatum litteris erratum est, ut Cybelen deam vulgo edant, quam Cælestem oportebat. Quod quidem, & alia sexcenta eiusmodi, de quibus dicere in præsens temperamus, usu non veniret, si esset hodie in rebus, quam quidem, cum reliqua doctrinæ & humanitatis copia ut sit integra mentibus nostrorum, voto petimus, antiquitatis & nomismatis vetusti elegans & erudita cognitio: ut sit illud reapse, quod narrant nobis atque laudant, *(pag. 153.)* *numorum studium mirifice perpolitum hoc tempore.* Numorum enim non id se dicere sentiunt studium, quo præparcus aliquis impense studeat numis cito & frequenter in loculos demittendis: sed quo nos quidem amore nomismatis antiqui non pretia cupimus, verum litterarum artiumque in eis vestigia liberalium & memoriæ veteris fidem. Eo scientiæ amore si tenerentur hodie

die multi: ille bonæ mentis & exempli de litteris præclaris veterum petendi ager nobis colonis si niteret usquam: si sequerentur huius peritiæ promissa homines passim studiosi: non frigerent ubique verioris limina doctrinæ: eorum operibus, qui illud condiderunt studiorum genus, non arctiora & obscuriora minusque deducta vulgo fierent omnia, sed ampliora. Quam ipsi uberem satisque paratam de copiis nostris non possumus coenam, eam de symbolis saltem instrueremus. Ad hunc verbi caussa præclarum librum quas agnoscendorum signorum, quas enarrandi cuiusque argumenti conferre symbolas vel Italia adita epistolis, vel Galliæ poterant? Aut, si populos aliquos lapsos hodie nonnihil ab illa vetere summa ingenii & litterarum gloria existimamus: si Germaniæ nostræ facultatibus contenti sumus: vel hæc urbs vocata ad illam commentarii aut linearum coenam symbolas fortasse habebat minime contemnendas. Sin partes enatas olim rei Christianæ sacris, sopitas eas sapienter feliciterque Germanico nomini, in hanc bonæ mentis & humanitatis ornandæ possessionem, & ad litterarum commercia, inconsulto studio, quod non oportebat, revocamus, ideoque minus ingenia aliorum honesta rem publicam, communemque nobis caussam, ne cum eis conferre iuvet, esse existimamus, conclamatum est videlicet de spe melioris doctrinæ. Quin agnoscimus potius, omissa obtrectandi factione & studiis, eos veros humanitate & artibus egregiis cives nostros esse, quibus nonnullum ingenii ac litterarum principatum concessisse Deus, artium sospitator, iam inde a proavorum nostrorum memoria videtur. Hos ideo adeamus, neque spreverimus operum honestorum duces. At illi vobis, diversis olim sacrorum nomine, non invidebunt opes gloriasque vestras, sed iungent libenter socias studiis vestris operas, feliciore sæpe ingenio, largiore litterarum flumine inundati, quibus unis divitiis probamur, non displicuisse Deo caussæ nostræ divortia, eis rebus beati, quarum opibus se quidem carum esse deis, quanquam servus esset, & egenus, & claudus, Epictetus olim intellegebat. Ac de prima parte codicis huius magni, deque virtutibus eius, hactenus.

Altera parte huius, quem percensemus, libri præclari, tabulas scienter institutas, lineis pulcris ac subtilibus satis, non omnino indocti pictoris a manu, refertas vero utiliter eas tabulas signis maximorum ac singularium nomismatum honestissimis, supra laudavimus. Quales essent, hæc nomismata, quam bene luculenterque delecta, & quid in his eminere videretur, libandis veluti rerum in transcursu summis, item diximus. Commentarii quidem eorum similes sunt, qui primæ partis tabulis illustrandis adiecti fuerant. Tabularum huius secundæ partis lineæ hactenus laudandæ, qua non indocti pictoris diligentia ad vultus probe reddendos antiqui operis quadam similitudine pertinet. Nam signa ea, quæ a tergo nomismatis plerumque spectantur, non perinde felix illius industria, quicunque Romæ in lamnis aheneis lineas scripsit, videtur assecuta: neque felicius ille reddidit veras elementis litterarum veterum formas. Sed illa nimium abhorrent ab omni antiquitatis specie, & ab ingeniis artium, numorum maximorum quædam emblemata, quæcunque illis Romanis recens Vindobonæ manus immiscuit. Sincera Rupifortii aliquis intellegens spectator mavelit. Quid, quod aliqua in his, qui sulcavit aceto lamnas, non tam artis egestate & antiquitatis imperitia visus est peccare, quam iussu. Nam prorsus eruditi sæpe homines, at illi formarum spectatores minime elegantes, in reddendis veterum artibus metuunt, ne qua nimis luculenter, & in melius, quod efficere illi nunquam possunt, imagines operum reddant. Ideo frequentant istud rhetoris olim clari σχέτισον. quod quidem hic etiam videtur usu venisse: atque eo peius quiddam aliud, quod obscenas & Atthidis quodam ritu corruptas corporum species, tanquam Bonæ deæ in sacris, conversa ad delicias religione, subinde edunt, qua maris naturæ imaginem sincera numorum antiquitas frequentat. Quanto offendebat minus, si fidem istis quoque simulacris integram, simplicitatemque operum secuti, reddidissent in minutis adeo, quidquid invenerant, & quæ poscebat sane lex antiquariæ veritatis: quam ut hæc portenta confingerent? Hac adeo modesta ac necessaria propter fidem nuditate cor-

porum

porum qui læditur, rectius ille ab omni artis Græcanicæ monumento videndo, a litteris veterum omnibus, se abstinuerit. Evocat istud, non avocat, si qua est in studiosis litterarum, curiosam & puerilem inspectandi quærendique libidinem. Ut si verbi caussa Montefalconii operis cautor ineptus, hederas ac pampinos Bacchi transfert ad partes illas, facitque palmites enasci ex inguine. Admonet nos etiam huius partis secundæ præfatio quædam, ne indicta esse ea patiamur, quæ super his nomismatis maioribus musei ditissimi epistola prodit illius, qui Museo illi & Bibliothecæ tot Cæsarum præclarissimis studiis coactæ, superiore tempore primo loco custos præfuerat. Eo nos quoque, quum ante annos plusculos Vindobonæ versaremur, quantum res ferebat, usi sumus. Sat comiter autem habuit, uterat æquum, a summis viris ipsi traditos. Ceterum amicissimi nostri eorum fere super illius animo in studiosos artium vetustatis ac doctrinæ melioris admonebant, quorum hæc epistola certa satis vestigia, nisi nos omnia fallunt, habet. In his igitur, qua certa sunt, continebimus stilum, ne quid iniquius excidat in functum rebus humanis. Iournal des Savans, tomo 89. Septembre 1729. pag. 132.

Namque quid attinuit, verbi caussa, *magnam vim pecuniae* & pretium gravari in ea copia rerum talium, quæ nullo satis digno pretio emi poterat: in qua non ita certe emtoris munificentia, quam venditorum quædam liberalitas & studium præclarum pro gloria domus Augustæ eminebat, quam tali possessione auctum ibat? Simul enim aliquis intellegens artium vetustatis has nomismatum maximorum lineas inspexerit, facere non potest, quin optime emtum, quidquid est, quovis auri pondere putet. At etiam lamnas aheneas, inquit, lineis numorum graves una vendiderant Roma ferendas, e quibus delibare in chartis exempla quædam non multa ausi sunt. Id ne invidiosum sit, quod vulgandi caussa feceris, eoque nomine, ne pressum lateat, longe clarissimo possessori vendideris, cuius exempla nonnulla e formis in chartas liniatas a te ducta, quibus formis nihil ideo detrimenti fiat, tibi habere? Maius aliquid, magisque invidendum auferat ille, qui lumen a lumine

accensum petat. Illi ne, dum musei instrumenta divitis vendunt, una etiam contemplationem partium eius innoxiam, & studia sua, & humanitatis ingeniique communionem nonnullam, quae libris cum fide publicandis inest, censentur vendidisse? Eone id, quidquid est, suffurati dicantur? Ideone illi tam benigno in publicam utilitatem, tam innoxio consilio, contemtum indignationemque meruerint bonorum? Id gravari tam leve, tam utile, quae invidia est? Quae vero fiducia, corrigere Auctorem velle correctore liquido meliorem? Praescripserunt autem in indice voluminis, ea quondam Romae fuisse, nunc Vindobonae in Gaza caesarea haberi. At numi ducenti insunt, qui falsi nobis & conficti videntur. Tam pauci igitur in tantis copiis? Et quid si illi, qui nobis conficti videbantur argumentis quibusdam, alios fortasse viros peritiores nobis, argumentisque aliis firmioribus adductos, ita movent, ut minime confictos iudicent? aut etiamsi, ut fit, suspectos, minime tamen amoliendos? aut vel si maxime recens confictos appareat, servandos propter elegantiam? solet enim fieri, ut, qui modicum usum rerum earum habent, multa tanquam subiestae fidei temere damnent, quae eadem doctiores facile absolvunt. In summa verum est, accidere, ut, quod Martialis in epigrammate posuit, nihilo secius securae usu multo & conscia virtute peccent manus, quam sollicitae verecundia atque usu nullo. Fuerat autem ille ut studio plurimo industrius talium quaesitor, ita permodicus intellegentia & usu nobilium antiquitatis artium videndarum. Quae certe illo tempore de eo fama ferebat, vera quidem, ut nobis videbatur. Adduci non poterat, ut nos admitteret ad inspiciendas illorum talium nomismatum thecas. At quam iucundo nos spectaculo privabat, si eos censemus ostensionales numos, (*Medaglioni*) quorum his tabulis adeo multorum lineae publicantur? [illegible]dixerant amici, non futurum, ut nobis quidquam de eis ostenderet, simul sensisset, nos nonnihil videre in his artibus. Vereri eum videlicet, ne intellegentium fortassis sermone sollicitari sua condemnantis numos multos iudicia vellent. At nos neque nunc in re tali, super sepultis olim

&

& obſcuris monumentis, fiducia et credulitate magiſtrali utimur, & olim tanto minore uſu etiam timidi in decernendo per ætatem fuimus. Ut hic, ubi etiam fides linearum Rupefortii accuſatur, tanquam quæ imitamenta ſignorum & litterarum abnormia erratis reddant, aliquantu nos timidius, dum nomiſmatum illorum ipſa corpora in manibus non habemus, pro linearum elegantia peritiam editoris æſtimamus, neque in animum inducimus putare, hunc potius falſum fuiſſe, quam illum alieni operis correctorem. Sed, utut ſit, gratiam certe habemus tam bellas nobis tabulas nunc denique præbentibus viris harum litterarum impenſe ſtudioſis.

GRAECORUM CHIRURGICI LIBRI. SORANI unus de Fracturarum ſignis: ORIBASII duo, de Fractis & Luxatis, e Collectione NICETAE, deſcripti ex antiquiſſ. & opt. Codice Florentino ab ANTON. COCCHIO Anatom. Prof. P. & Antiquario Caeſaris.

Florentiæ, e typographia Imperiali A. 1754. in fol. 2 Alph. 5 pl. 1. tab. æn.

Eſt in *Laurentiana* Florentiæ bibliotheca Codex, corpus medicorum græcorum, ad Chirurgiam maxime ſpectantium, ex parte ineditorum, continens, confectum a *Niceta*, Sec. XI. extremo vel XII. ineunte, dudum ille fama literiſque eruditorum Medicorum nobilitatus. Is ab *Laſcari* e Græcia in Italiam allatus, illatuſque per *Clementem VII.* in eam bibliothecam, cuius iuſſu *Balamius*, *Galeni* de oſſibus libellum, ex eo Codice latinum fecit atque edidit: celebratus poſtea *Lucae Holſtenii* primum, deinde *Bartholini*, *Sponii*, *Tollii* laudibus ac iudiciis, quorum hic etiam edere voluiſſe librum hunc dicitur. Scriptus eſt in membrana nitide, literis rotundis, raris interpunctionibus, itemque apicibus & notis, id quod etiam ſpecimina propoſita docent. *Cocchius* V. C. cum ſtudium rei medicæ ab initio cum literarum græcarum ſcientia ſibi coniungendum putaſſet, perluſtraretque græcos de re medica editos ineditoſque libros, in hunc quoque

que

que Codicem incidit, eoque diligenter inſpecto vidit, in eo eſſe primum plane ineditos libellos, in his eos, quos nunc per eum editos habemus; alios deinde, quorum verſiones latinæ tantum ſint in manibus; denique etiam per quos edita exemplaria emendatiora fieri poſſent. Poſtea impulſus ab eruditiſſimis medicis, *Boerhavio, Meadio*, ad extremum etiam ab *Ant. Aſkevio*, Britanno græce doctiſſimo, ſtatuit ineditos libellos publici iuris facere. Id quomodo fecerit, & quid ei debeat res literarum publica, quam breviſſime poterimus, demonſtrabimus.

Primum exhibet Conſpectum totius collectionis, adſperſis ſubinde notulis literariis, ex quo corrigi ſupplerique poſſunt, quæ de hac collectione tradidit *Fabricius* Bibl. Gr. Vol. XII. p. 778. aliique. Sequuntur *tria Epigrammata* in laudem *Nicetae* (p. 34 ſq.) verſibus iambicis, de more illorum temporum non uſquequaque legitimis. Eorum primum ſuſpicatur doctiſſimus editor eſſe *Michaelis* Imperatoris ex eo, quod poeta dicit: *hos verſus habe primam a nobis remunerationem operis:* quam orationem non niſi principi convenire putat: *Michaelem* autem iambos ſcribere ſolitum, *Zonaras* auctor eſt. Sed ea incertiſſima ſuſpicio eſt. Illa ſpecioſior, quod apud *Suidam* in Καλλιθένης, in verbis, *καὶ μαρτυρεῖ ὁ ἴαμβος ἔτος· καὶ φθειριῶσαν ὡς ὁ πρὶν Καλλιθένης*, putat reſpici ad iambum huius epigrammatis octavum, *καὶ φθειριῶντας ὡς λόγος Καλλιθένην*, congruente ætate *Suidae*, quem & ipſum Sec. XI. extremo ſcripſiſſe credunt: cui etiam illud favet, quod *Suidas* addit, dictum illum iambum de arte medica valde neglecta; quo pertinet ille epigrammatis iambus. Sed in noſtro epigrammate eſt de medicis neglectis, & videtur eſſe potius imitatio veteris iſtius iambi a *Suida* laudati, eiuſque ita noti, ut prope in proverbium abierit: id quod modus proferendi eius arguit. Atque ad illum iambum reſpexiſſe videtur Ovidius in Ibin; *incluſusque necem cavea patiaris, ut ille non profecturae conditor hiſtoriae.* Vult enim phthiriaſi perire inimicum. Ceterum in eo epigrammate v. 2. pro *χείρων δὲ*, reſcribendum erat *χ. τε*, & v. 32. *ἀμοιβὴν τῶν σοφῶν*

κοφῶν σῦ πρακτέων, corrigendum πρέξεων. Epigrammata excipit *Sorani de Signis Fracturarum*, libellus a p. 44-51. cui subiiciuntur ex *Oribasii* Collectione medica *Lib. XLVI. de Fracturis*, e libris *Galeni* collectus, & *Heliodori* ex *Archigenis*: denique ex eadem Collectione Lib. XLVII. *de Articulis excidentibus* f. *Luxationibus* ex iisdem, & præterea *Asclepiade*. Ad extremum velut corollarium additur *Varietas Lectionis* e Codice MS. Florentino *Celsi*, pertinens ad L. VIII. in quo de eodem argumento agitur, h. e. de Fracturis, grata futura iis, qui in *Celso* emendando laborare cupiant.

Versio latina græcis addita est perspicua & bene latina, & græcorum sensum bene exprimens: nec facile reperiat, nisi qui argutari velit, quod reprehendat. V. c. p. 148. disiungi ad calcem ait ossa πηδησάντων ἰσχυρότερον: id vertit, *qui vehementius saltarent*: melius erat *a saltu vehementiori*. Sed id leve. Notæ sunt paucæ & breves, sed bonæ. Primum hoc venerit cuique in mentem, ut expectet in iis, quæ e *Galeno* sumta sunt, indicari loca ex editis *Galeni*, unde sua repetierit *Oribasius*. Sed eo labore *Cocchius*, ut immenso, eodemque supervacuo, supersedendum sibi putavit (p. 55. ext.). Et profecto id sufficiebat fieri in locis iis, ubi corruptio aliqua libri scripti, aut obscuritas verborum, comparationem *Galeni* desiderabat: quibus locis id facere V. d. non neglexit. Sed distinctius agendum videtur.

Soranos quinque aut sex commemorat historia medicinæ; horum *Cocchius* suspicatur opusculum de Fracturis tribuendum esse ei, qui auctore *Suida*, Ephesi natus, & Alexandriæ eruditus, Romæ medicinam fecit, magna cum nominis fama, sub *Traiano* & *Hadriano*: cuius tamen coniecturæ (p. 44.) nullæ rationes redduntur. Opusculum eius inscribitur in Cod. περὶ σημείων καταγμάτων ἐπὶ κρανίε: cum agat de signis fracturarum universarum, initium autem faciat a fracturis calvariæ: estque ille titulus in Florentino libro non prima manu scriptus.

Fracturæ in calvaria species est, quæ facta est ab illapsu corporis acuti. Eam ἐκκοπὴν quidam faciunt pro ἐγκοπὴ, decepti scriptura vitiosa ap. *Paullum*, etiam *Galenum*, ut mox Pag. 45.

 alteras

alteras species duas faciunt ἐκγείσωμα & ἐκπίεσμα pro ἐγγ. & ἐμπ. iisdem libris auctoribus: quod tamen de *Galeni* libris, vel dubium, vel falsum est. Noster e Codice Florentino omnia ista edidit composita ex ἐν. Ceterum ita frequens est ista in multis talibus verbis confusio, ut subinde suspicari liceat, utramque scripturam rectam esse, cuius nec exempla certa desunt. Nam patria, & mater dicitur ἐκτεκοῦσα & ἐντεκοῦσα, itemque proles ἔγγονα & ἔκγονα &c. Nec dubitemus ἐγκοπὴν & ἐκκοπὴν recte dici, cum etiam ἐκκόπτειν ita sæpe pro ἐγκόπτειν reperiatur in bonorum librorum locis, nihil de menda suspectis, ut nimis multa loca corrigenda essent, si ea omnia vitiosa pronuntiare vellemus: sed forte quis nec hoc dubitet.

Pag. 48. De spinæ fractura agens *Soranus*, comparat ἐμπίεσμα, cuius effectum facit etiam torporem; quod valde probat *Cocchius:* sed graviorem & perniciosiorem consequi solere eo, cuius a *Sorano* mentio fiat. Ossiculis enim illis comminutis, medullam per ea descendentem comprimi, pungi, atque inflammari necessario, & subiectas corporis partes universas resolvi, ac vesicæ & recti intestini vim constringentem amitti adeo, ut urina & excrementa vel supprimantur, vel sine voluntate prorumpant. Qua certissima atque evidentissima nota sæpe se coniecisse, ait, vertebræ alicuius processum spinosum introrsum confractum fuisse, & cum mors plerumque vel cita vel tarda insecuta esset, incisis corporibus, id mali solum se deprehendisse, etsi nullo modo vertebræ exciderint. Antiquos id parum perspexisse videri, qui noxas tales & pericula a vertebris luxatis repetant, quæ sint a fractis. Atque sæpius accidere expertus tradit, secus atque veteres existimarunt, (v. *Cels. VIII, 9. 14. & Paullum VI, 98. 117.*) ut frangantur ossicula illa, quam ut luxentur. Dum *Celsi* loca profert, admonet in priori, verba *si quid ex vertebra excidit aliquo modo aut fractum est* &c. e MS. vetusto Florentino & ed. pr. Florentina sic corrigenda esse: *si id, quod ex vertebra excidit aliquo modo, fractum est.*

51. Talum *Soranus* negat frangi, quod contineatur fibula & κυβοειδεῖ, *osse cubo simili.* In eo verbo κρίσιν exer-

σεν exercuit ſuam V. c. exiſtimans, fortaſſe legendum σκαφοειδεῖ. Nam os pedis, quod Græci κυβοειδὲς vocent, non pertinere ad talum, neque eum complecti, cum *os naviculare* cum talo committatur. Ratio Viri docti placet. Sed durior eſt correctio, hoc eſt, longius recedens a vulgatæ ſcripturæ veſtigiis. Videat vir clariſſimus, an lènius ſit κυμβοειδεῖ, quod ſynonymum eſt σκαφοειδεῖ, & una modo litera auctius edito verbo, & quidem ea, quæ ſexcenties vel detracta verbis eſt, alieno loco, per librarios, vel addita. Sed tamen addit, ſi κυβοειδεῖ verum ſit, intelligendum forte os calcis, quod eo nomine appellaſſe videatur & ipſe *Soranus* proxime præcedentibus verbis, & *Bacchius* ap. *Erotianum* v. Κυβιτῷ· Βακχεῖος φησὶ, κυβοειδεῖ ὀστα̣ρίῳ τῇ πτέρνῃ. Sic edidit *H. Stephanus*, ſic habet MS. *Cocchianus*, chartaceus ille quidem & Sec. XVI. ſed admodum bonus: ſed *Euſtachius*, vel de ſuo, vel e Vatic. libro addidit in verſione, *in calcaneo*; *Foeſius* autem in Oec. H. v. κύβιτον: καὶ τῇ πτέρνῃ, ſed haud dubie ſine libris.

Oribaſiana, quoad e *Galeno* ducta ſunt, ut hoc primum dicamus, etiam hunc uſum, non illum contemnendum, præſtant, ut inde vulgata *Galeni* lectio permultis locis, quibusdam etiam Hippocratis, emendari poſſit, quod ſingulis locis monere V. d. non neglexit, ut p. 58. not. 6. ſq. 10. 12. 16. 17. p. 62. 4. p. 65. 4. 5. &c. Notulæ autem *Cocchii*, etſi paucæ ſunt, & maxime indicia locorum *Galeni*, unde *Oribaſius* hauſit, continent, tamen paſſim habent aliquid alius bonæ frugis, & exquiſitæ eruditionis. Pag. 66. corrigitur *Erotianus*, (& eadem opera *Galenus*,) ſed ex *Oribaſio*, p. 13. ed. A. Ἀπόξεα· τὰ ἀπόξηρα καὶ ἀπεκεκομμένα λέγω &c. Reſcribit rectiſſime ἀπόζυρα, (& deinde λέγων), cuius mendæ ignoratio *Euſtachium*, *H. Stephanum* in Theſ. & *Foeſium* mire decepit, ut ὑπόξηρα tentarent, & de *ſubaridis* cogitarent; quæ ſunt inepta. Ita parva ſæpe menda miras turbas dat, ut in eodem *Galeno*, in cuius vulgatis libris cum hæc ſint: Καθ' ὃν καιρὸν ἀεὶ παρ' ἡμῖν ἐν περγάμῳ τῶν ἀρχιερέων τὰς καλεμένας μονομαχίας ἐπιτελέντων &c. *Vidius* inde effecit hoc, ut Pergami per æſtatem Pontifices *ſemper* ludos

 gladia-

gladiatorios ederent: at corrigendum erat καὶ, quod pro ἀεὶ
Pag. 92. liber *Oribasii* exhibet. *Galenus* in Exposit. vocum Hippocr. in v. Ἀρὶς, nil aliud explicandi caussa addit, quam ὄργανον: item *Suidas* solum hoc, τὸ τεκτονικὸν ἐργαλεῖον: nec plus *Foesius* in Oecon. aut *Stephanus* in Thes. At ex *Heliodori* loco, cuius excerpta dedit *Oribasius*, patet, fuisse partem terebræ, per quam vertitur, hoc est, arcum cum habena, ut exprimitur a *Io. Andr. Crucio* in Officina Chirurg. p. 10. Eam coniecturam iuvant verba *Hippocratis*, de articulis c. 14. p. 770. ed. *Lind.* ad quem respexisse videtur *Galenus*, quibus parili motu agi ait *serram* & ἀρίδα, tum *Philippi* versus Anthol. VI. epigr. antepen. καὶ γύρας ἀμφιδέτους ἀρίδας; denique *Pollucis* locus X, 146. ubi τρυπάνια τρυπανίας ἔχοντα, ex inscriptione antiqua, ipse explicat, ἴσως τὴν ἀρ.δα.
108. Κυκλίσκου ap. *Galenum*, & hinc ap. *Oribasium*, interpretantur Lexica *scalpros cavos, excisorios*. Sed *Cocchius* rectissime corrigit, & in textum adeo *Oribasii* recipit, κοιλίσκους, quamquam sine Codd. scriptorum auctoritate, at Auctore *Hesychio*, qui habet κοίλισκον, Κοῖλον. Atque etiam mox, ubi in edd. *Galeni* est τοῖς κυκλίσκοις, *Oribasius* habet τοῖς κοίλοις, forte pro κοιλίσκοις. Sed etiam τὸ κοῖλον potuit esse instru-
118. menti nomen. De ὑπερσαρκώσει præcepta scribens *Oribasius* ex *Archigene*, eam vel exedente medicamento, vel scalpello demere posse medicos, ait, ἀποδήσαντας, caventesque, ne id fiat nimio plus. Pro ἀποδήσαντας, quod ineptum est, levissima mutatione reponit ἀπεδίσαντες, *complanantes*. Nam ἀπεδίζειν per ὁμαλίζειν interpretatur *Hesychius*, ex ἄπεδον,
154. quod est ὁμαλὸν, *planum*. Ad *Asclepiadis* fragmentum, quod iam ediderat ante separatim Florent. 1745. delatus, reprehendit opinionem eorum, qui auctore *Plinio* XXVII, 3. cum *Cn. Pompeio* æqualem faciunt, usus loco *Ciceronis* Or. I. ubi *Crassus* ait, eo se medico & amico usum esse. Quod argumentum nobis satis idoneum non videtur. Non credibile est, *Plinium* in re tam propinqua suis temporibus errasse. Illa autem mera coniectura est, cum *Asclepiadem*, quo tempore ista loqui *Crassus* a *Cicerone* fingitur, fortasse iam mortuum

tuum

tuum fuiſſe dicit. Potuit *Craſſi* medicus fuiſſe, & tamen ad *Pompeii* mortem vixiſſe, ut qui centum amplius annos vixiſſe dicatur.

Age vero, quoniam Auctarium quoddam additum diximus a V. D. e Cod. *Celſi* Medico: de eo quoque planius dicendum videtur. Eſt autem Codex ille antiquiſſimus, correctus, ſed multo poſt manu *Marchionis Palavicini*, adſcriptaſque habet quaſdam *Politiani* emendationes. Nomen *Celſi* aliter quam ceteri exhibet, nunquam *Aurelium* appellans, ſed *A. Cornelium Celſum*, interdum tamen omiſſo pronomine, atque adeo *Cornelii* nomine. Differt etiam capitum titulis liber iſte ab ceteris Codicibus omnibus, alios habens ac pauciores. Et ceterorum quidem Codd. tituli videntur deberi auctori non admodum vetuſto, qui eos margini antiqui libri adſcripſerat. Memoratur enim in iis *Soranus*, qui poſterior *Celſo* fuit. Sed illi tamen reperiuntur in libris ſcriptis, etiam Florentinis omnibus, præter unum illum antiquiorem & meliorem, de quo nobis iam ſermo eſt. Ab hoc autem cum abſint, isque alios & pauciores habeat, credibile fit, exemplum *Celſi*, unde hic liber ductus ſit, diverſum & antiquius eo fuiſſe, unde ceteri omnes manarunt, conſentientes illi inter ſe quam maxime, & ab hoc plurimis locis valde diſcrepantes. Itaque Vir cel. exiſtimat, de reſtituenda vera Celſianorum librorum lectione tum demum ſpem fore, ſi tertium quoddam antiquius & emendatius exemplar proferatur. Ut nunc eſt, Florentini illius auctoritas haud dubie maior eſt ceterorum, quam adeo non deſerere debebant editores *Celſi*. Itaque præclare fecit doctiſſ. *Cocchius*, cum octavi Libri accurata excerpta dedit, paſſimque loca *Celſi* protulit alia ex illius Codicis lectione, ut p. 81. & aliis locis. Atque etiam p. 52. omnium Codd. Flor. qui ſunt ſeptem, notitiam dedit: quo loco etiam ſe facturum promittit, cum primum aliquid otii nactus fuerit, quod eum in ep. VII. in *Celſum* rogarit Morgagnius V. C. ut totius Codicis varietatem proderet.

Ceterum in Codice Nicetæ reſtant promenda porro hæc tria: *Apollonii* Citienſis Commentarii tres in *Hippocratis* li-

brum de Articulis, *Ptolemaeo* regi inscripti, quem V. C. putat esse Cypri regem, *Ptolemaei Auletae* fratrem: *Oribasii* de laqueis & machinamentis liber; latine tantum editus a *Vidio:* denique locorum quorundam *Hippocratis*, *Galeni*, *Oribasii*, *Pauli*, *Rufi*, *Palladii*, emendationes. Quae ut pollicetur vir Cel. se proditurum, si vires suppetant, & viris bonis edita placeant; ita, ut illae ipsi contingant, optamus: viris quidem peritis edita, & editoris diligentiam, doctrinamque, probari, certo scimus.

DIONYSII CATONIS DISTICHA DE MORIbus, ad Filium. Cum notis integris Scaligeri, Barthii, Daumii; Scholiis atque animadversionibus selectis Erasmi, Opitii, Wachii; & metaphrasi græca Planudis & Scaligeri. Quibus accedunt, Boxbornii dissertatio, & Henrici Cannegieteri rescripta Boxbornio de Catone; nec non Io. Hilderici Withofii dissertatt. binæ de Distichorum Auctore, & vera illorum lectione. Recensuit, suasque adnotationes addidit OTTO ARNTZENIUS.

Editio altera, auctior & emendatior.

Amstelædami, ex officina Schouteniana 1754. Alph. 1. plag. 21. octonis.

Cum ante hos viginti annos, Traiecti ad Rhenum, *Arntzenius*, V. Cl. ederet Dionysium Catonem, Scriptorem, non quidem primi ordinis, sed qui tamen plus in recessu, quam prima frons, quæ decipit hodieque multos, promittere videatur, haberet reconditum: non putaverat futurum aliquando, ut de recudendo eo cogitaret, quin potius animo statuerat, operam curamque suam Egesippo, aliive Scriptori impendere. Evenit interea, ut ad Delfenses in Batavis, hinc ad Amstelædamenses, moderamen gymnasii suscepturus, anni sunt novem, evocaretur. Hic amicorum tandem Bibliopolarumque precibus adduci se passus est V. Cl. ut alteram horum Distichorum editionem parandam reciperet. In ea, quid præcipue egerit, iam planius dicemus. Ante omnia

omnia ei curæ fuit, plurima meliorumque MSStorum Codd. quam quibus antehac usus esset, copia; editionum item veterum adparatus, quo, emendando forte Auctore, uteretur. Sed de MSStis libris, quod rariores paucissimique essent, frustra laboravit Noster, cum ab *Henrico Cannegietero*, V. C. cui prior iam editio Traiectina multum debebat, opportune per litteras moneretur, quondam se ex *Io. Casp. Hagenbuchio*, Turicensi Professore eruditissimo, cognovisse, esse illi varias Distichorum Catonis lectiones quamplurimas, quas, e codice Bibliothecæ Turicensis publicæ, manu sua a. 1724. diligenter enotasset. Dedit, rogatus ab Arntzenio, ad Hagenbuchium litteras Cannegieterus, additis precibus, ut novæ Distichorum editioni ornandæ, variantes eas lectiones liberaliter impenderet. Annuit vir humanissimus, omnemque eam farraginem ad Arntzenium misit, qui hoc beneficio egregie, atque ita usus est, ut genuinis ipsisque Dionysii verbis rite restituendis, & in textum nonnumquam revocandis, omnem litterariam rempublicam eius beneficii participem fecerit. Præter editiones, quas iam olim Noster consuluerat, quarumque seriem prioris editionis præfationi additam meminimus, nunc insuper diligentissime excussit alias quatuor; quod eo labore, cum ob venerandam vetustatem, tum ob illarum Editores, præ reliquis dignissimæ sunt visæ. Prima est *Erasmi*, impressa, quantum ex reliquis adiunctis opusculis colligere licet, Argentorati, in ædibus Schurerianis a. 1515. in 4. Secunda eiusdem fere formæ est, nullo tamen aut loci aut anni expresso indicio; nisi quod P. Burmannus, athenæi Amstelædamensis ornamentum, a quo eam una cum priore Arntzenius accepit, manu sua adscripsit, esse anni 1520. apud Martinum Boillonium impressam. Tertia Gryphiana est, Lugduni 1533. in 8. edita, cum Scholiis Erasmi Roterod. Quarta denique, ex postrema Maturini Corderii recognitione, Argentoratensis, anni 1559. in 8. His igitur copiis instructus, ut veram inde Distichorum lectionem investigaret, ad Catonem denuo accessit Arntzenius V. cl. deditque exemplum Critici, non, ut vulgo solent, ex suo ingenio, codicibus invitis,

invitis, veteres scriptores refingentis, sed qui in iis emendandis primam omnium curam Codicum habeat, ingenii postremam. Atque istud, nisi vehementer fallimur, eo imprimis pertinet, ut veram veteris Scriptoris sententiam certo cognoscas. Nam qui omnia, non ad librorum fidem, sed temere atque audacter conturbant, & pro sua quisque libidine, confodiunt ac mutant, non quid scripserint veteres illi, sed quid scripturi ipsi erant, neque rogati, proferunt. Aliam quoque, & meliorem, notarum omnium sub ipso contextu collocandarum, quod priori editione Traiectina, per librarii avaritiam non licuerat, rationem invenit Arntzenius, V. Cl. Notas *Iosephi Scaligeri, Caspar. Barthii, & Christiani Daumii*, ut iam erant in editione Traiectina, integras dedit: notis autem Scaligeri, ante Erasmi Scholia locum tribuit, quod illæ non tantum ad latinum, sed etiam ad græcum textum pertinere videbantur. Scholia ipsa *Erasmi*, quod nostræ ætati minus accommodata essent, nonnihil excerpsit: ea tamen omnia retinuit studiosissime, quibus aliquid inesse, ad verum distichorum sensum interpretandum, aut genuinam eorum lectionem eruendam, credidit. Idem dicendum de *Mart. Opitii*, atque *Gilberti Wachii*, Nassenhubiensis Ecclesiæ Pastoris, notis atque animadversionibus est. Plurima omisit Noster, quod præter Rabbinorum adagia, quæ huc non pertinent, fere nihil continerent. Præterea & hac præstantia Editio hæc recens commendabilis est, quod Lectores in notis ubique ad Rescripta Boxhornio, plena bonæ frugis, ablegantur, quibus vel emendata Disticha, vel illustrata sunt. Istud, cum Editore V. Cl. dolemus vehementer, frustra desiderari adhuc, quæ olim *Vossius*, Vir summus, ad hunc Auctorem commentatus est. Scribit enim ad Vellei. Paterc. Lib. II. Hist. Rom. c. 98. *de quo loco, brevi, pluribus ad Ethicum gnomologum illum agemus. Nam toto errant coelo, qui Christianum fuisse arbitrantur.* Iam græcas Interpretum metaphrases videamus. Quatuor olim Traiectina editione edi curaverat, nimirum *Maximi Planudae, Ios. Scaligeri, Matthiae Zuberi, & Io. Mylii*; sed cum duæ posteriores minus nunc ad eius institutum facere vide-

viderentur, nec ipsa editionis ratio ferre tantam molem posset, eas omittendas censuit. Porro pag. huius editionis recentissimæ 335. locum adsignavit appendici notarum atque observationum, quas capitibus quibusdam, ex additamento critico *Paganini Gaudentii,* (ut sunt in *Ever. Ottonis* Iur. Rom. Thesauro, Tom. III.) nec non ex observationibus miscellaneis nobilissimi atque eruditissimi Viri, *Corn. Val. Vonck,* nonnihil supplevit: quod illa sibi dignissima essent visa, quæ hic quoque legerentur. In quo vehementer laudamus doctissimi Editoris studium diligentiamque; propterea, quod illa notarum atque observationum appendix, rerum optimarum ditissima est, & huc unice videtur pertinere. Succedunt Variæ lectiones græcæ Planudæ versionis, e cod. Mſ. Marci Meibomii, atque ex editione Veneta anni 1545. collectæ. Eas separatim edit Noster; quod iam insignis Libri atque notarum pars, prelum reliquerat ante, quam inedita ista in manus eius pervenirent. Deinde sequuntur, *Marci Zuerii Boxhornii* dissertatio, de Distichis, quæ sub Catonis nomine circumferuntur; & *Henr. Cannegieteri* Rescripta Boxhornio de Catone, in quibus de nominibus, ætate, ac stylo Dionysii Catonis. Hæc Rescripta iam olim laudata a nobis, in his ipsis *Eruditorum Actis* Anni 1738. *menſ. Mart. P.* I. pag. 105. sq. meminimus; eamque laudem, hic iterum, hoc cumulatius repetimus, quod Cannegieterus, V. Cl. Rescripta ea, integro capite 33. & novis quibusdam notis, auxit. Accedunt præterea iteratæ huic editioni, clarissimi eruditissimique viri, *Io. Hildebr. Withofii,* Dissertationes binæ, nunquam antehac editæ, quarum altera de genuino Distichorum Dionysii Catonis Auctore; de vera Distichorum lectione altera, docte atque accurate exposuit. Qui additi sunt indices rerum & verborum, notarum quoque, ii inprimis industriæ *Henrici Ioannis Arntzenii,* qui est Fratris Nostri filius, debentur; qui simul spem facit novæ *Sedulii* editionis, ad fidem optimorum codicum emendatæ, cui nos faventem, ex animo, Lucinam adprecamur. Atque hæc sunt potissimum, novæ istius editionis distichorum decora, debita Arntzenio V. Cl. quæ nos

D cumu-

cumulatiſſimis laudibus lubenter proſequimur, optamusque, ut adhuc veterum libris bene multis contingat, emendari ornarique ab Arntzenio. Evenire bonis litteris fructuoſius nihil poteſt.

Sed cum *Withofii* ad Catonem diſſertationes hic primum prodeant, age, de iis adhuc aliquid, ad ciendum guſtum, proferamus. Prima eſt de vero diſtichorum Auctore, plena bonæ frugis, & doctrinæ reconditæ. Percenſitis ante omnia, & confutatis, aliorum ſententiis, (ubi tamen nobis illa in Boxhornium invectiva, fatemur enim, aliquantulum diſplicuit,) generalia quædam requiſita, quibus peculiaria deinceps & magis ſpecialia argumenta acceſſerunt, exigenda Auctori V. Cl. viſa ſunt, ante, quam ad verum diſtichorum Auctorem, poſt tot ſecula iterum in lucem revocandum, veniret. Ait igitur, *primo*, Auctorem iſtorum diſtichorum, medio inter Neronem & Valentinianum I. Impp. Rom. tempore neceſſario vixiſſe; propterea, quod Lucani a Nerone interfecti meminit, & eius viciſſim mentionem facit Vindicianus, Comes Archiatrorum, in Epiſtola ad Valentinianum ſcripta. *Secundo*, eum omnino a Chriſtianorum ſacris alienum fuiſſe, contra quam Boxhornius exiſtimet. *Tertio*, Auctorem libelli non modo aliquando in coniugio vixiſſe, ſed etiam ex eodem filium proceaſſe, cui hæc diſticha conſecravit, ut docet inſcriptio, & præter eam præfatio quoque. *Quarto*, Auctorem eum, quicumque demum fuerit, non modo poetarum lectione vehementer oblectatum, ſed ipſum quoque, etſi non grandiloquum atque animoſum, purum tamen fuiſſe, caſtumque poetam. *Quinto*, Medicum fuiſſe, eiusque ſcientiæ cultorem eximium, ut qui in tam exiguo opuſculo, tam crebro vel medicorum meminerit, vel ut tuendæ ſanitatis ratio habeatur, monuerit; quippe etiam ab ipſo archiatrorum comite, Vindiciano, iam olim non temere laudatus. *Sexto* denique, verum Auctorem, Pythagoræ inprimis placitis fuiſſe imbutum, deditumque. His ſex capitibus, ſuo ordine, diligenter, magnoque iudicio, & explanate propoſitis: ſolum, ex tota antiquitate, *Q. Serenum Sammonicum*, cuius hodieque præcepta ſaluberrima

rima de Medicina, versibus itidem hexametris conscripta, in doctorum manibus versantur, reperit, in quem ea omnia simul conveniant conspirentque accuratissime, ita ut nequaquam dubitari possit, quin hic verus sit ac genuinus istorum distichorum tam celebrium auctor & parens. Sed & multa alia indicia atque argumenta, omni exceptione maiora, ex indole & genio styli, ex pari imitandi ratione, ex locis utrinque plane simillimis, ex verbis, usu denique & scribendi consuetudine, nusquam alibi observata, superaddidit V. Cl. iisque omnibus hoc effecit, nisi vehementer fallimur, ut non credamus futuros imposterum, qui alium credant distichorum istorum auctorem, quam Sammonicum; qui Catonis nomen imposuisse libello suo propterea videtur, quod & multa comprehenderet, Catonis antiqui virtute & gravitate non indigna; & iam Porcius Cato ille antiquissimus, revera librum de moribus, ad filium, conscripsisset, teste, in Noctibus Atticis, Gellio. Certe, superadditum illud *Dionysii* nomen, vix aliunde, quam ex depravata *Distichorum* voce, videtur provenisse. Sed manum de tabula.

MATRIKEL ÖFWER SVEA RIKES RIDDERSKAP OCH Adel, &c.

h. e.

EQUITUM ET NOBILIUM SVECIAE Matricula. Desiderantibus illis in comitiis anni 1751 edita, & notis historicis atque genealogicis illustrata, ab ANDREA ANTONIO DE STIERNMANN, Cancellariæ consiliario, S. R. M. & Regni Archivi Praefecto, Equite stellæ polaris.

Pars I. Holmiæ 1754. 4. paginæ 726.

Plurimum historia Suecica generosiss. Auctori debet; hoc vero opere, sane doctrinæ plenissimo & laborioso, coronare velut copiosum librorum ante abs se editorum numerum, eruditis Suecis visus est. Tribus veluti capitibus,

pars, quam in manibus habemus, abſolvitur: prima ad Comites pertinet; ſecunda ad Barones; tertia ad equites & nobiles. Ubique hanc legem obſervat, ut eum nominet, qui primus hanc dignitatem genti ſuæ intulit, annum quo id contigit indicet, vitæ eius brevem hiſtoriam ſubiungat, & unde gens originem traxerit addat. Hic Auctor ſubſiſtit, non enumeratis poſteris ad noſtra tempora, ita ut genealogiam familiarum Sueciæ illuſtrium hic fruſtra quæſiveris. Extinctas tamen familias, cruce (†) notat, & ultimus quivis gentis ſuæ quando obierit commemorat. Ceterum, hæc omnia, nullis citatis auctoribus; iure quidem ſuo, ni fallimur, poſtulans, ut credatur optimos ipſum conſuluiſſe, documenta etiam inedita, quorum uſum ipſe præ multis aliis obtinere potuit. Optabunt tamen nobiſcum plurimi, ut, quibus monimentis nitantur quæ tradidit, generatim ſaltim expoſuiſſet. Sed forte hoc in ſecunda parte fiet, licet, quid illa contentura ſit, cum præfatione deſtituatur liber, omnino ignoremus. Neque opus ſine indice abſolutum erit, uſuique aptum, cum difficulter jam reperias, quam quæris familiam, inter tantum illarum numerum, Comitum quidem 86. Baronum 237. Equitum & Nobilium 992; connumeratis ubique extinctis, & inter nobiles nominatis illis etiam familiis, quæ iam altiorem dignitatem conſequutæ ſunt.

His generatim de opere dictis, uno alterove exemplo, quomodo in familiarum originibus enarrandis verſatus fuerit generoſiſſ. Auctor, illuſtrabimus. Inter Comites nomen 41. eſt *Caroli Bonde* in *Bioernoe*, ad Comitis dignitatem evecti 1695. Aug. 22. introducti 1697. Erat hic Conſiliarius Regius, & Præſes iudicii aulici Dorptenſis; Anno 1697. Iul. 31. Ambaſciator Extraordinarius & Plenipotentiarius in pacificatione Ryſvicenſi; eodem anno Decembr. 6. Ambaſciator Extraordinarius in Angliam, ut ordinem periſcelidis reſtitueret, quo Carolus XI ornatus fuerat. E celebri familia *Bondiana*, primus hic Comes, conſiliarius regius, 19 linea recta deſcendente erat, natus Holmiæ 1648. Octobr. 11. mortuus ibi 1699. Dec. 16. Primo matrimonio iunctus 1680. Martii 31. Eleono-

ræ Margarethæ Brahe, filiæ Senatoris Regni & Archithalassii, Comitis Nicolai Nilsson Brahe, quæ cum 1690. Nov. 1. mortua esset, denuo duxit 1693. Febr. 2. Mariam Gustavam Gyllenstierna, Senatoris Regni, Comitis Christophori Gyllenstierna filiam, quæ 1737. M. Octobr. vivere desiit.

Familiam Bondianam quidam deducunt a *Thordo Tottil*, qui, cum falsos deos populi septentrionales adhuc colerent, vixit, prope Londinum Scaniæ, in loco *Kycklinge Hed* sepultus. Huius filium *Thord Skaegge*, in Skaeggersnaes, prope fretum Calmariense, aiunt sepultum. Primus Bondii agnomen adscivit Carolus, Hallandiæ præpositus (Hoefvitsman), qui post infelix proelium in Norvegia, regem fugientem *Suenonem Estridaeson* in Daniam A. C. 1062. duxit, quorsum dein ipse etiam a Rege dicto vocabatur, prædiis insignibus, beneficiaria lege, & honoribus auctus. Ab eo lineæ duæ ortæ dicuntur, Suecica, & Norvegica. Dagfin Bonde regis Norvegici *Inges* dux bellicus erat, & regis Hokens Mareschallus, annis 1206. 1250. Linea Suecica originem ducit a Thordone Bonde, Equite & Principe Gothorum, a. 1090 & 1100. cuius uxor *Edela* filia erat *Erici Goeter* vel *Goters*, præfecti Gothiæ occidentalis, & *Caeciliae*, filiæ *Canuti Sancti* Daniæ R. Præfatus *Goete* vel *Goter*, in regione Sueciæ *Nericia (Nerike)*, templum *Gotilunda* exstruxit, a nomine suo appellatum.

Ex *Stiria* orta esse dicitur Gens *Froelichia*, ex qua primus Comitis elogio ornatus est Carolus Gustavus, hic, 49. ordine, honorem eum consequutus est anno 1706, Iunii 21. introductus 1719. Erat autem anno 1706. Consiliarius regius, & Præses iudicii Aulici Livonici: antea iam nobilitatis iura consequutus 1682. Dec. 20, cum legioni militum imperaret. Uxores duas habuit, quæ ab A. nominantur. Pater eius, primus gentis in Sueciam advena, legionis dux 1658. in Dania occubuit.

Locus 56. inter Comites datus est *Reinholdo Ioanni a Fersen*, qui 1712. Martii 28. Comes creatus est, 1719. introductus. Cum Comes crearetur, consiliarius regis fuit, & rei tormentariæ castrensi præfectus *(Feldzeugmeister)*; a. 1715. Sept. 15. Præses Iudicii Aulici. Annus nativitatis incertus

 est:

eſt: obiit autem Holmiæ 1716. Dec. 10. Uxor eius fuit *Anna Sophia ab Ungern Sternberg*. Gentis origo ex Haſſia & antiquis Cattis deducitur, diciturque victis a Tiberio Imp. Cattis in Bataviam, deinde in Scotiam, Poloniam, Pomeraniam, Eſthiam, tandemque in Sueciam migraſſe.

Barclaia gens, cuius nomen inter eruditos etiam celebre eſt, hic inter nobiles loco 562. comparet. Introductus enim inter Suecicos nobiles fuit Wilhelmus Barclay 1654, qui ſtipendia apud Suecos merens, a gregarii militis conditione ad legionis imperium adſcendit, rebuſque in bello egregie geſtis, indigenarum Sueciæ iura 1648. Dec. 17. conſequutus eſt, variis deinde muneribus functus. Obiit a. 1670. Gens hæc in Scotia iam Seculo 15. illuſtrem habuit *Walterum Barclay*, Equitem Baronetum in *Torvey*, maritum Agnethæ Meldrum. Iam in Scotia æque ac in Suecia extincta gens eſt.

DUAE EPISTOLAE CLEMENTIS ROMANI, Diſcipuli Petri Apoſtoli; e Codice MSto N. T. Syriaci cum verſione Latina edidit IO. IAC. WETSTENIUS. Ad calcem Edit. N. T. Wetſten.

Lugd. Bat. typis Eliæ Luzac, iun. 1754.

A Iac. Portero, Britannici Regis ad Turcas legato, ex urbe Aleppo, duos Codd. MStos N. T. Syriaci nactus eſt noviſſimus ille N. T. editor, *Io. Iac. Wetſtenius:* eorum alter, A. 1596. ſcriptus, ſive aeræ Græcæ 1908. Evangelia continet; alter A. 1469. ſ. Græcorum 1781. ſcriptus, Acta Apoſt. cum 3. epiſtolis Catholicis, & 14 Paullinis. Chartaceus uterque, Syriacum & Arabicum textum, ſed Syriacis hunc quoque literis exaratum, complectitur; ad corrigendam verſionem Syriacam poſteriorem, multis locis utiles. Ex horum altero igitur epiſtolas haſce, quas nunc indicamus, Clementis Romani nomen præ ſe ferentes, ad calcem Editionis ſuæ N. T. exhibuit Wetſten. vere Clementis eſſe, duabus maxime inductus auctoritatibus: Hieronymi altera, contra Iovin. I. ſic ſcribentis: *Hi ſunt Eunuchi, quos caſtravit*

non necessitas, sed voluntas, propter regnum coelorum. Ad hos & Clemens, successor Apostoli Petri, cuius Paulus meminit, (Phil. 4, 3.) *scribit Epistolas, omnemque paene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit;* altera Epiphanii, Hæref. 30. Ebionit. n. 15. *αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιτολῶν ἐγκυκλίων, τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων; αὐτὸς γὰρ παρθενίαν διδάσκει, καὶ αὐτοὶ οὐ δέχονται· αὐτὸς γὰρ ἐγκωμιάζει Ἠλίαν, καὶ Δαυὶδ, καὶ Σαμψὼν, καὶ πάντας τοὺς προφήτας, ὓς οὗτοι βδελύττονται.* Hæc duo loca, quæ partim in vulgatas Clementis epistolas nullo modo convenire agnita, partim de iis perperam intellecta, in hasce duas novas, in quibus sane leguntur, etiam de Simsone, ep. 2, 9. convenire Wetstenio tanto magis videntur, quod in ipsis nihil alienum ab ævo illo Apostolico offendatur. Discipulus Petri Clemens vocatur, & quidem Origenis auctoritate, ex Philocal. c. 23. p. 81. & Hieronymi supra commemorata, ubi *successor Petri,* nisi glossema est hominis vulgato errore imbuti, etiam *discipulum* significare posse nobis videtur; eodem iure, quo Græcorum Philosophorum discipuli, sectæ ac disciplinæ propagatores, *διάδοχοι,* & ipsa philosophorum series, apud Diog. Laert. *διαδοχαί.* In locis Sc. S. afferendis sequitur Græcam *τῶν ό* versionem, etiam in Historia Susannæ, ubi nos iam deficiunt isti interpretes: quorum tamen operam huc quoque pertinuisse, ex Orig. epist. ad Afr. & Hieronymo intelligitur. *Pedum lotio* per *feminas,* cuius ibi mentio, post ævum apostolicum plane cessavit. Discrimen *pastorum s. presbyterorum* in eos, qui *loqui, docere, & familiam exhortari possint aut non possint,* ex ecclesiæ Romanæ statu explicat Wetsten. cuius rectores aut Græci aut Iudæi, sæpius erant linguæ latinæ imperiti: quæ ratio haud facile cuiquam probabitur, cum & Romani ipsi coetui Christiano præesse potuerint, nec Græci aut Iudæi usu latini sermonis caruerint. Quin, si utique ævo apostolico vindicatum eamus has epistolas, ad dona *διδαχῆς* & *παρακλήσεως* referimus? *Caelibatus s. virginitatis,* (nam *fratres virgines* creberrime ibi leguntur, quorum appellationem ex Apoc. XIV,

XIV, 4. repetit,) *nimiae laudes* nequaquam displicent Editori, sed cum Romanorum temporibus istis congruere egregie videntur, quibus ipsa luxuria feminarum, horrorem atque odium matrimonii omnibus dudum excitaverant. At quod *excellentiorem in vita coelesti gradum* destinat *virginibus sanctis, quam coniugibus sanctis*, vix est, ut sola temporum conditione excusetur, nec in Viro Apostolico talem errorem fuisse credibile. Hanc ipsam severitatem in causa ponit Wetsten. cur, refrigegerato cælibatus studio, immissaque inter clericos quoque luxuria, tamdiu epistolæ illæ delituerint. Quod *brachium* s. *manum veste* iubet *contineri*, modestiæ & oratorum præcepta dicit fuisse Wetsten. comparatque cum Paullinis de coma & calvitie, de capite aperiendo tegendoque. Utilitatem autem ex his Epistolis, quatenus vere sint Clementis, hanc redundare ad nos dicit, ut primo antiquitatem auctoritatemque libb. SS. inde intelligamus, nominatimque Evangelium Iohannis, non a sene, sed maturius, Clemente vivo scriptum; deinde ut illas formas loquendi, *daemonia exorcisare, & aegrotos sanare*, ex ep. I, 12. promiscue usurpatas discamus. Dociles hic lectores haud dubie exspectavit, ipsiusque sententiæ, quam ad ipsum N. T. iam protulit, cito subscripturos, cuius tamen ne vestigium quidem illa ostendit, ubi non ut promiscua, sed uti *genus* ac *singulare*, ponuntur. Verba enim sunt: *daemonia eiicere, cum aliis curationibus*. His argumentis autem omnibus quantum ponderis statuendum videatur, sequentis libelli iudicium declarabit. Ceterum, græce scriptas primitus quod epistolas putat, e græcis vocabulis, quæ ibi crebra leguntur; latine scriptas dicere nos possimus, cum latinum vocab. *Segilo*, Seculum, init. ep. I. invenerimus. Nam complura e Græco in hanc linguam transisse, vel ex N. T. nimis apparet. Argumenti sunt ambæ ascetici, nec, quod ad doctrinæ, aut historiæ, aut disciplinæ quoque ecclesiasticæ rationem accuratius percipiendam magnopere faciat, complectuntur. Prima continet laudem castitatis s. virginitatis, veramque rationem, cum virtute coniunctam; altera eandem pluribus illustrat exemplis, maxine ipsius Auctoris, aliorumque ipsi

ipsi similium, quorum fuga & abstinentia a feminis magna sane & sollicita describitur, nullo ut loco morentur aut diversentur, ubi aut nulli viri, aut fœmina unica sit: eaque abstinentia prophetarum pæne omnium exemplis commendatur; putide nonnunquam, nec admodum apostolice. Monentur etiam, ad quos scribit, ne paganis sacra prælegant aut exponant, ludibrii vitandi causa. Versio simplex est, & fidelis, neque tamen Syriaco idiomati ita similis, ut aut perspicuitas, aut latinæ linguæ puritas laboret: quod tamen magis in altera epistola, nescimus quo casu, factum, ut ad verbum translata omnia, Schmidianæ versioni essent simillima; quod tamen crebris illis ad Sc. S. loca allusionibus datum videtur.

Wetstenio, de harum Epistolarum Auctore, oppositæ sunt sequentes Epistolæ

HENR. VENEMAE TRES EPISTOLAE AD P. Wesseling, T. Hemsterhuis, & H. Cannegieter, V. V. C. C. de Genuinitate Epistolarum Clementis a Cl. WETSTENIO publicatarum.

Harlingæ, apud Folkert Ians van der Plaats 1754. in 8. 10 plagg.

Tres sunt Epistolæ Viri Cl. de duabus illis, quas ad calcem editionis suæ Novi Test. *Wetstenius*, sub *Clementis Romani* nomine, recte sibi visus est edidisse. Male id factum ostendit *Cl. Venema*, recentioresque ævo Apostolico esse. Id priori epistola, ad V. C. *Petr. Wesselingium*, probat silentio omnium istius posteriorisque temporis Scriptorum, quibus de *Clemente* illo sermo uspiam fuit. Nam quod ad *Epiphanium* provocavit Wetstenius, *Epistolas Clementis circulares* commemorantem, *quae in sanctis ecclesiis legantur, in quibus doceat παρθενίαν, laudibus extollat Eliam, Davidem, Samsonem, & omnes prophetas:* id non magis in suspectis illis, quam in veris epistolis *Clementis* legi, præter unum Samsonis nomen, quod haud dubie, scribarum incuria, ex initialibus Σαμ. pro Σαμουήλ, factum. Neque vero in his falsis epistolis *docetur*

E tantum-

tantummodo virginitas, ſed in coelum, ut angelica & coeleſtis virtus, tollitur. Quod autem *Hieronymus* (contra *Iovinianum*), *Clementem* ſcripſiſſe tradit *ad ſpirituales eunuchos, omnemque paene ſermonem in epiſtolis de virginitatis puritate contexuiſſe*, non poteſt ad alias *Clementis* epiſtolas pertinere, quam quas duas ſolas exſtare alio loco idem *Hieronymus* dicit: nec vero in iſtis Wetſtenianis *paene* omnis, ſed *penitus totus* ſermo in virginitatis laude verſatur; quæ diſputatio etiam alterius Epiſtolæ ad Corinthios partem occupaſſe a *Photio* traditur.

In altera ad Cl. *Hemſterhuſium*, ex ipſis epiſtolis ævi poſterioris indicia aperiuntur; tanquam, quod diſcipulum ſe vocet *Petri*, ex errore poſtmodum vulgato, a *Petro Clementem* inſtitutum; quod nunquam ad ipſorum Apoſtolorum auctoritatem conſuetudinemve ſecum ullam, ſed ad aliorum potius de Apoſtolis teſtimonia provocet; quod, a vera Clementina I. ad Corinthios, nimia diverſitate, cum in locis N.T. commemorandis, tum in vocibus quibusdam & epithetis, in tota denique forma orationis, abhorreant; plura quoque & doctrinæ illorum temporum, & hiſtoriæ contraria, appareant: virginitatis nimiæ laudes, Eſſenorum, Nazaræorum, Ebionitarumque placita redolentes; a quorum aliquo ſecundam Epiſtolam ad Corinthios, quæ Clementis nomine exſtat, conſcriptam, haud ſpernenda Viri Cl. coniectura divinat: ipſe *Clemens* inter cælibes relatus, *Iohannes* Apoſtolus pro cælibe iactatus, (eaque de cauſa a Chriſto præcipue dilectus,) cum *Paulo, Barnaba, Timotheo*: quæque tertia demum Epiſtola ad Cl. *Cannegieterum* arguuntur, de Maria, virginitatis exemplo, Chriſti nativitate e virgine comprobato; de coniugum ſanctitate, quam ita teneant, ſi aut plane a ſe mutuo abſtineant, aut liberorum modo procreandorum cauſa congrediantur; quod ipſum longe illo deterius: *exorcizationis* porro vocabulum; ingens multitudo feminarum fratrumque cælibum; *συνεισάκτοι* ſ. Agapeti complures; oſculum caritatis inter feminas viroſque non promiſcuum, dextraque virorum involuta mulierum oſculo honorata; & quæ ſunt generis eiuſmodi alia,

alia. Signa autem, quæ ſecutus aliquis, ad ætatem harum epiſtolarum pervenire queat, hæc fere a Viro Cl. notantur. Aſcetarum & cælibum magna ubique copia, *monachorum* tamen ignoto nomine: virginum & fratrum ſecretæ habitationes in urbibus & agris: falſa opinio, quaſi virginitas ſine aliis virtutibus ſola ſufficiat; quæ opinio inprimis ab iis iactata fuerit, qui cum mulieribus habitabant, & periodeutarum ritu vagabantur: vis miraculorum efficiendorum aſcetis ineſſe credita: paganorum magna ubique multitudo, Chriſtiani quibusdam locis nulli; ſed nec calamitas ulla aut vexatio Chriſtianorum. Commemorata etiam *Iacobi* epiſtola, ut non dubiæ auctoritatis, ſeculo tertio recentiores arguit: de Apocalypſi vero, quæ prioribus ſeculis inter ὁμολογούμενα fuit, a ſeculo autem quarto & deinceps, in Oriente inprimis, plane omiſſa, altum ſilentium. Quæ omnia ac ſingula, ſeculo quarto, ac ſexto quoque, æqualem aut poſteriorem harum Epiſtolarum auctorem arguunt.

Hæc eſt ſumma Epiſtolarum: quas qui legerit peritus talium rerum, facile intelligat, ſcriptas eſſe a Viro longe verſatiſſimo in veteribus ſcriptis Eccleſiaſticis, & magno iudicii acumine prædito. Illud etiam ex Epiſt. III. apparet, Wetſtenium ad Epiſtolam primam reſpondiſſe. Sed eam reſponſionem videre nobis non contigit.

LEZIONI TRE SOPRA IL TREMOTO &c.

i. e.

LECTIONES TRES DE TERRAE MOTU, DEdicatæ Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principi, Cardinali Sylvio Valenti Camerlingo S. E. & Secretario Status.

Romæ, ap. Nicol. & Mart. Pagliarinos 1748. 8. plag. 5.

Occaſionem ſcripto dedit terræ motus, obſervatus Florentiæ 1729. rarus alioquin in iis regionibus. Statuerat Auctor dicere de eo in Academia *della Cruſca*, quæ ſingulis

gulis diebus Iovis coit: ſed ubertas materiæ, in tres lectiones diſpertiri materiam eum coegit. Inſertus eſt deinde liber Tomo VIII. opuſculorum *ſcientificorum & philologicorum*, Romæ etiam 1733. ſeparatim impreſſus. Novam hanc editionem nec recenſere voluit Auctor, nec reſponſiones addere ad ea, quæ ipſi obiecta ſunt, aliis iam diſtentus.

Prima lectione conqueſtus, difficillimam eſſe de terræ motu tractationem, quia fidæ phænomenorum enarrationes deſint: varias de eo ſententias recenſet & refellit, eam præcipue, quæ cryptis & aquis ſubterraneis utitur; qua occaſione de cryptis talibus lectu digna plura profert.

Secunda lectio igne in cavis telluris concluſo occupatur, & Lemerii artificialem terræ motum exponit, atque de montibus ignivomis (*Vulcanis*), agit. Ignem ante, quam orirentur terræ motus, erupiſſe, quod de recentioribus quibusdam narratur, non credit; perſuaſum ſibi habens, metu perturbatis animis hæc fingi. Si canales ſubterranei igne repleti adſumantur, ad terræ motus explicandos, eos etiam quibuſcum inſulæ e mari emerſerunt, fruſtra ſumi ait canales, tam longe ſub ipſo fundo maris extenſos, & ſi dentur, terram vi ignis ſupra eos diſrumpi debere, non circumcirca concuti, idque lente, & tempore ſatis notabili fieri debere: quæ omnia phænomenis contraria ſunt, ut adeo ignem terræ motus producere vix credat.

Tertia lectione primum de aere ſubterraneo agit. Oſtendit, terræ motum contingere non poſſe ſic, ut pars aliqua ſuperficiei terreſtris attollatur, quia tam exacte ſubſidere non poſſet, ut ſigna huius effectus non conſpicerentur. Similis difficultas tremorem horizontalem premit. Tandem igitur eo delabitur, ut credat, hos telluris ſucceſſus aeri forte attribuendos eſſe, cuius quanta vis ſit ad terrena omnia movenda, caſæ & ædificia monſtrant, bombardis maioribus exploſis trementes, & innumera alia. Sane terræ motibus ventos vehementes coniunctos eſſe, experientia teſtatur; ita ut probabile ſit, plurium ſaltim terræ motuum cauſſam in aere eſſe, qui tremere ædificia faciat: omnes eo reducere, Auctoris modeſtia vetat.

MISCELLA-

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD Incrementum Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata.

Vol. X. Pars I.

Lipsiæ, apud b. Lankisii heredes, cum privil. Regis Polon. & El. Sax. 1754. 8. plag. 12.

Voluminis huius X. Partem primam iam in lucem fere emiserat Fridericus Otto Menkenius, cum ad bona sublimiora, ac Scientias academiæ coelestis evocaretur. Reliquit ipse tantum ad hæc Miscellanea continuanda adparatum, ut Volumen hoc non solum expleri queat, sed præterea etiam plura adiungi possint. En indicem Dissertationum, quas Pars hæc complectitur. 1) Io. Salom. Semleri S. Th. D. & Prof. *Animadversiones quaedam ad Psalterium, praeeunte codice Turicensi.* 2) Ioannis Gottlob Guilielmi Dunckelii, V. D. M. Anhaltino-Cotheniensis, Ἑκτων *Aegyptius, sive de Ihonis, Dei Aegyptiorum, nomine & numine, brevis commentatio.* 3) Ioannis Christophori Harenbergii *Exercitatio ecclesiastica de Ebbone, Archiepiscopo Rhemensi, Apostolo terrarum Germaniae septentrionalium, Episcopo tertio Hildesheimensi.* 4) Anonymi Poloni *Diatribe de disceptatione inter Benedictum Herbestum & Iacobum Gorscium, Polonos, de Periodis.* Sequuntur 5) Viri docti *Observationes criticae in Lactantii de mortibus persecutorum libellum,* ex museo *Christ. Guil. Franc. Walchii,* Phil. Prof. publ. 6) M. I. G. Welleri V. D. M. Zwicaviens. *Coniecturae etymologicae circa nomina quaedam propria regionum & gentium, ex lingua Graeca derivata.* Subiunxit hisce b. Menckenius 7) *Commercium epistolare* continuatum, Ludovici Burgueti & Gisberti Cuperi, Bourgueti & Io. Bapt. Ottii, atque Io. Woodwardi. Liceat nunc a meta ad carceres redire. S. rev. Semlerus attente legit Cel. *Breitingeri ad Card. Quirinum Epistolam, de antiquissimo Turicensis Bibliothecae Psalmorum libro,* Turici seu Tiguri editam 1748. expungere

igitur ſtudet ope Pſalterii iſtius mendas aliquot, prælucente arte critica, in varia manuſcripta ac edita pſalteria Græca, ipſumque paſſim Turicenſe, olim intruſas. Codici Vaticano inſertum vocabulum fuit *ταράσσεται*, in illis Pſ. XXXVIII, 12. *πλην*
Pag. 2. *ματην ταρασσεται πας ἀνθρωπος*. Recte Alexandrinus & Turicenſis *πλην ματην πας ἀνθρωπος*. Illud *ταρασσεται* depromtum fuit ex Ex. X, 7. In Pſ. LXXIII, 23. legendum videtur, *μη ἐπιλαθῃ της Φωνης των νεικητων σȣ*, צורריך *inimicorum tuorum*. Vulgo ibi legitur *ἱκετων*, ſenſu prorſus con-
4. trario. Legitur Pſ. LVIII, 12. *Μηποτε ἐπιλαθωνται τȣ νομȣ σȣ*. Lege tria vocabula ultima ſic: *τȣ λαȣ σȣ*, *populi tui*. In Pſ. CXXIX, 5. legitur in MStis Alex. Vatican. & Turicenſi *ἑνεκεν τȣ ὀνοματος σȣ*. At legendum eſt *ὑπερ τȣ νομȣ σȣ*. At undenam eſt illud *ἀπο τȣ ξυλȣ* in Pſ. XCV, 10. Credit Noſter, adſcripſiſſe olim ibi quemdam ad marginem *ἀπο* ΨלB, id eſt, a Pſalmo XCII, ſequentia deſumta eſſe, librarium vero inde formaſſe ſuum *ἀπο τȣ ξυλȣ*. Alii verba hæc poſtrema in numero gloſſematum deputant, nec tamen gloſſematis originem definire audent. Rev. Dunckelius occupatus eſt in illuſtratione numinis Aegyptii, *Icton*,
8. quod unus memoravit Iamblichus *de Myſteriis* ſect. 8, c. 3. Id unum is vocat *individuum*, *ἀμερες*, primum intelligens, primum *νοητον*, quod ſolo ſilentio colatur. P. E. Iablonskius interpretatur *ſpiritum mundi*, ſiquidem in ſermone Coptico *tho* ſit *orbis terrarum* Apoc. III, 10. Hermes *Εικτων* vocavit, teſte Iamblicho, *πρωτον μαγευμα*, *primam effigiem*. Veriſimile igitur eſt, nomen *εικων* ibi olim fuiſſe lectum. Si Aegyptiacum eſt, quod Iamblichus dicere omiſit, videri poteſt decerptum ex *tohu*, informitate, Gen. I, 2. vel ex
27. *katon*, quod vocabulum apud Hebræos *parvum* denotat. Noſter ſibi perſuaſit, indicari per *Eictonem* ipſum Orum ſeu Harpocratem, ſilentii Deum, pictum puerili forma atque deſcriptum. Argumenta huius ſententiæ tria, digna ſunt quæ expendantur. Harenbergii tractatio admodum copioſa, de Ebbone vel *Ebone*, Archiepiſcopo Rhemenſi, agit, cuius fata
32. fuerunt & admirabilia, & variis viciſſitudinibus nobilitata. Solebant

lebant Itali adpellare Eberhardos suos, Eppones, Ebbones, Ebones. Fuit Ebbo Archiepiscopus magna pars dissensionum, quae Ludovicum Pium inter & filios eius ita invaluerant, ut pater bis potestate summa exueretur. Fuit alioquin vir eruditus, cuius quaedam adhuc supersunt scripta. Fuit idem in Holsatia convertendis ad Iesum Danis intentus. Substituit in laboribus hisce, suum sibi amicissimum Anscharium. Anscharius bis in Gothlandiam traiecit, eiusque Regem doctrinae Christi adseruit, consecutus ob merita Episcopatum Bremensem, quocum paullo post Archiepiscopatus Hamburgensis in perpetuum fuit coniunctus. Anscharii igitur vitam Noster cum Ebbonis vita copulavit, ita tamen, ut hanc ex professo, illam strictim, & ad Ebbonem semper respiciens, scriberet. Ebbo bis Archiepiscopatu Rhemensi functus, bis eo carere iussus fuit. Tandem Hildeshemii gessit Episcopatum. Frustra id negavit Ioach. Bern. Lauensteinius. Extricantur hoc loco Viri eius argumenta. Nec paucae sunt difficultates aliae, partim chronologicae, partim geographicae, partim rerum gestarum indices, in quibus resolvendis ac diiudicandis Auctori res ex voto succedere non potuisset, nisi ad fontes illius historiae optimos recessisset, ac temporis adhibuisset diuturnitatem, quam ex Exercitatione elucere nemo non facile, qui voluerit, intelliget. Audire nunc libet controversiam Pag. 94.
Herbestum inter & Gorscium, Polonos, *de Periodis*. Herbestus in Russia rubra, eiusque oppido *Noviamasto*, (Neapoli,) a. 1531. in lucem prodiit. In academia Cracoviae hausit eloquentiae, philosophiae, ac theologiae elementa, creatus ibi demum magister bonarum artium ac philosophiae. Senatus Leopoliensis, reduci, gubernacula gymnasii sui regenda tradidit. 95.
Hinc ad gubernandam scholam Cracoviae senatoriam transiit. Archiepiscopus Gnesnensis haud multo post ipsum ad Lyceum nobilium, quod Squernoviciis, in aula sua, suisque sumtibus erexerat, arcessivit. Aliquot post annis Cracoviam Herbestus revocatur, & in collegio academico, quod *minus* adpellant, publici doctoris munus suscipit. Iacobus Gorscius, ipsius aemulus, ad nobilitatis splendorem etiam addiderat gloriam littera-

litterarum, quam primo tempore polluit futilibus litigiis;
Pag. 98. tandem vero ex animo ac meditate, miraque cum diligentia, eloquentiam in primis latinam excoluit, neque græcæ linguæ studium aversatus. Cracoviæ salutatus fuit liberalium artium magister, & postea utriusque iuris Doctor. Docuit deinde iuris scientiam eloquenter. Edidit 1558. duobus Libris, opus, *de Periodis & numeris oratoriis*, ac ad a. 1559. alium, *de generibus dicendi*, librum. Herbestus periodum esse diiudicandam ita credidit, ut eam distribueret in gram-
101. maticam, & oratoriam. Gorscius eam divisionem ne cogitaverat quidem, ideoque impugnare coepit Cracoviæ, publica una & altera disputatione. Defendit se Herbestus in libro cui titulus est *periodicae disputationis;* distinguens incisum a membro, & hoc a Periodo. Vindicatum se paullo post ivit in dialogo, quem *iustum iudicem* vocavit. Illico excepit eum Iacobi Gorscii, *Disputationis de periodis, contra se a Benedicto Herbesto, si diis placet, Neapolitano, editae, refutatio*, risus & acerbitatis plena, auctoritati tamen rhetorum superstructa. Neutro palmam cedere volente, ad arbitros provocatum fuit. Herbestus, cum videret, auctoritatem suam apud iuven-
111. tutem studiosam in dies imminui, Cracovia relicta a. 1563. Sendomiriam, & inde Posnaniam, ad munia publica Scholarum sustinenda concessit, controversiæ totius oblitus. Anno 1571. Romam profectus, se in societatem Iesuitarum contulit. Rediit tamen, & Iaroslaviæ 1591. 14. Kal. Mart. diem obiit supremum. Vitam eius tam accurate scriptam alibi haud deprehendas. Sed pergimus. Criticas observationes, doctus quidam Belga, in librum *de Mortibus Persecutorum* conscripsit, ut eum pristino restitueret nitori. Superest enim Libri unicus modo manu scriptus Codex, regiæ Parisinæ bibliothecæ illatus,
120. sed vitiose scriptus. Ex arte critica diversi Auctores remedia adferre ei voluerunt. Nonnihil emendavit Langletus du Fresnoi, ex repetita Codicis inspectione. Observationes ipsas repetere haud vacat. Græcos barbaris etiam regionibus locisque imposuisse nomina, Wellerus V. Cl. variis docet exemplis. Bourguetus, in Epistola ad Cuperum, sententiam Woodwardi, de

de vestigiis diluvii universalis per terram obviis, munire contendit, atque de linguis, quæ nunc sunt, earumque origine, de Memnonio, cuius Philostratus meminit, dein & de Aegypti antiquitatibus differit. Cuperus e contrario sententiam Woodwardi primariam labefactare haud intermittit, indicans præterea, plures quam 100000 Christianos esse in Ceylanica peninsula Iaffenapatan, esse in insula scholas christianas, quarum una Rectore gaudeat, & in classes suas sit distributa. Sanchoniatonis ea, quæ apud Eusebium leguntur, pro genuinis habet. Heimannum, Professorem LL. Or. Lugdunensem in Batavis, notat. Gallandi ac Perizonii obitum memorat, & multa alia scitu non iniucunda.

CONNOISSANCE DES POETES LATINS LES plus célébres &c.

i. e.

NOTITIA POETARVM LATINORVM CELEBriorum, aut ratio facilis humanitatis studia tractandi: vitam cuiusque poetarum; Sapientum de cuiusque meritis sententiam; excellentissimas carminum particulas, cum interpretatione Gallica & observationibus, complexa; in gratiam eorum, qui non nisi leviter studia tractarunt.

T. I. 1751. *T. II.* 1752.

Parisiis, cum approbatione & privilegio Regis. 12. mai.

Permotus Auctor admonitionibus publicis Rollini, consilium cepit selecta poetarum loca colligendi; modum autem eius Viri & σκιαγραφίαν deseruit, emendans potius ac vividiorem reddere laborans, momentis in ipso operis titulo memoratis. Prima est vita Virgilii, qui propter castitatem morum Parthenins cognominabatur. Hic in schola *Syronis*, Epicurei philosophi, familiaris fuit *Vari*, postea semper amicissimi; deinde Pythagoricis ac Platonicis doctri-

 nis

nis faventior. Aeneida scribere coepit annos XXXXII natus; LII. annos menses XI. natus obiit. Eclogae Virgilianae tantum plausum meruerunt, ut in theatris Romanorum declamarentur, indeque Maecenatis opera excitaret Maronem Augustus ad Georgica conscribenda. Post descriptionem aurei temporis ecloga IV. inseritur, & ex X. sermo Galli ad Arcadicos pastores, cui mira dulcedo poesis & elegantia tribuitur. E Georgicorum L. I. proferuntur ultima fata Iulii Caesaris; e L. II. eulogium Italiae, vitaeque rusticae laudes; e III. Scythici frigoris vivida descriptio, ut & contagionis bestiarum; e L. IV. agrestis vitae Cilicis senis descriptio, & de Eurydice fabula, quae latinae poesis primarium specimen appellatur. In heroo poemate laudantur: nexus episodiorum cum actione primaria; iustum temperamentum vero similium ac mirabilium; ordo naturalis materiarum, & observatio morum. Episodiorum digressiones nec esse longae debent, nec coactae, nec nimis longe petitae, nec adeo frequentes. Episodium de Didone, quamvis longius ceteris, nullibi tamen deserit heroa. Praefert Auctor ipsi Maronem Homero: dum ille Drancen quidem ac Turnum e. g. rixantes proponit, non autem, ut hic, iniuriis plebeiis contendentes. Excusat Homerum, ob mores tunc non tam politos; mores igitur & sententias Virgilii praefert; tamen ad Odysseae Homericae scriptos esse dicit Aeneidos libros VI. priores, ad Iliadis reliquos. Nihil Noster ingeniosius esse credit, ratione Virgiliana adulandi Romanis, & in primis Augusto; ubi simul huc spectans pensum excerpit. Adduntur, pictura Iliacae pugnae apud Didonem visae; adparitio Aeneae; palatium Priami, (qua occasione totus L. II. Aeneidos ob narrationes maxime commendatur); mors Priami; conspectus Andromachae in Epiro, cuius indoles eximie tenerrimeque repraesentatur. Liber IV. tamquam excellentissimum episodium, amores Didonis & Aeneae complexum, omnes eloquentiae facultates effundit accommodate, ita ut hic nemo Maroni sit comparandus. Excerpuntur inde, tranquillae noctis descriptio; reprehensiones Aeneae facta a Dido-

Didone; imprecationes, cum ingeniosissima vaticinatione de Hannibale; mors Didonis. L. V. Actiacos Aeneae ludos describit, ubi observatur anniversarium Anchisae sacrum, cuius ἀποθέωσιν Serpens indicet, ad Caesaris simul consecrationem celebrandam. L. VI. primarius est, sive pondus argumenti; sive tractationis modum; sive decus imaginum spectes. Sistuntur inde, descensus herois ad orcum; Elysiorum camporum gratiosa descriptio, cum Anchisae oratione; laus Marcelli; regius apparatus Latini, Aeneae legatos excepturi; Amatae per Furiae serpentem iniectum furor; Aeneae ad Evandrum accessus; celebris Aeneae clypei descriptio, ubi simul Actiaca pugna depingitur, unde locus ille, prae ceteris omnibus, ob ingenium, pompam, colores, magnificentiam & maiestatem commendatur. Sequuntur Nisi & Euryali amicitia; in Euryalum affectus Ascanii, cum illius cura matris; Euryali Nisique periculum & nex; concilium deorum; Herculis per Iovem consolatio; Pallantis obitus; Tarquiti nex ab Aenea; Φάντασμα Turno per Iunonem obiectum; Aneae Mezentiique duellum; idem Aeneae & Lausi; alterum & tertium cum Mezentio, huius simul indolem repraesentans; pompa funebris Pallantis; incolarum in urbe Latini consternatio; Latini de pace consilium; ad Turnum oratio Drancae, illiusque responsio; Camillae reginae Volscorum imago, & mors; ab Amata facta dehortatio, ne duellum Turnus experiretur; ad Ascanium oratio Aeneae; ad Iuthurnam oratio Turni; Aeneae Turnique duellum.

Horatiana vita non habet multum peculiaris. Loca primaria depromuntur secundum varia stili genera, sic ut initium fiat a sublimi. Spectant eo vaticinatio Nerei I, 13. Iunonis oratio III, 3, 25. sqq. historiae Asinii Pollionis elogium II, 1. ubi, nostro iudice, granditas & elegantia notionum & enuntiationum omnium admiratione digna est. Victoria Tiberii Drusique IV, 12. elogium Cleopatrae I, 31. victoriae Drusi filii Tiberii Neronis & Liviae IV, 4. quod Augusti iussu poeta consignavit, ita quidem, ut ad Pindarum nullibi propius ac-

 cedat

cedat imaginibus & comparationibus maxime ſublimibus; quo loco & educatio laudabilis commendatur. Prohibitio cantus heroi IV, 15. Laus Auguſti III, 5, quam inter optimas refert Noſter, ubi præſertim Reguli ſit elogium admirabile. Querela de morte Vari I, 20; elogium celebrium Romanorum I, 12, invitatio Corvini III, 15. præconium poeſis IV, 8. gratiæ Muſis actæ IV, 2. deſcriptio fontis Banduſini III, 13. cui propter inimitabilem ſimplicitatem, & enuntiandi modum, inſignis tribuitur exiſtimatio. Sequuntur e genere temperato, Laus agreſtis vitæ epod. 2. & meditationes quædam morales ex odis variis. Adduntur obſervationes de ſatiris Horatianis, ubi Philoſophus ſiſtitur poeta ſinceriſſimus, elegantiſſimus, prudentiſſimus, quod variis A. exemplis poſtea comprobat. Eſt inter ceteras, quæ e contextu petitæ ſunt, particulas, etiam de ruſtico & urbano mure fabula, quam inſigniter laudat editor, & imitatione poetica Gallica comitatur. Succedunt ex ep. Flacci de arte poetica ſententiæ quædam, *Dacieriae* laudibus præmiſſis. Agmen claudit iudicium ſapientum de *Flacco*, potiſſimum de antiquioribus Perſii, de recentioribus Roſſæi, cui ſuas ipſe Noſter laudes liberaliter ac dextre præmiſit. Ipſum vero tomum *Iuvenalis* ac *Perſius* finiunt, quorum non incognitæ ſunt vitæ. Iuvenalis e VI. vehemente in feminas ſatira profert tria loca, & quædam ex octava, decima, & aliis, quarum illæ tamen præcipue commendantur. Comparatur autem cum Iuvenale *Boilaeus*, cuius & ſimul *Iuvenci* de ſatirico antiquo iudicium exponitur. *Perſium*, ait, antea ſolis eruditiſſimis viris intellectum fuiſſe, poſt tot explicationes vero mediocribus quoque lectum.

Tomum ſecundum Phædrus orditur, de cuius ætate notæ ſunt in Germania nuper quæ controverſiæ fuerint agitatæ. Nos, licet de ea non admodum dubitemus, in primæ tamen pubis manibus, cum accommodatiores adſint, obſervamus inviti. Neque vero vituperamus Auctorem, qui inde etiam fabulas quasdam excerpſit, inque liberum Gallorum ſermonem convertit; maxime cum ſint omnino præſtantiores, dignæque, quas

quas & imitationibus poeticis omnino commendaret. Numero sunt XV. quibus sapientum de *Phaedro* iudicia subiunguntur. Maiore dein iure *Terentius* additur, cuius vita scripta est a *Suetonio*, variis e scriptoribus hic fusius exposita. Inde comoediarum argumenta iunguntur, immixtis singularum excerptis; qui satis operosus & neutiquam superficiarius labor est, modo amoris vestigia, quae passim exstant in hoc poeta, vitari semper potuissent. Inter iudicia sapientum sunt etiam aliqua veterum, v. g. *Ciceronis* ad Att. VII, 3. *Horatii* epp. II, 1. *Velleii*, & *Quinctiliani*, quibus quidem vulgo recentiores nituntur. Hoc etiam de *Terentio*, & de *Nasone*, qui claudit agmen, dictum volumus. Nihil nobis singulare vel inauditum habere videtur descriptio vitae: plurima tamen digniora notatu, in excerptis. Initium facit metamorphosis, adiuncta *Banierii* versione. Suo iure, de fabrica huius universi poetica narratio principem obtinet locum. Sequuntur deinceps variae commutationes, quarum prima est Daphnes in laurum; cui succedit regiae Solis descriptio; amor Narcissi, in florem sui nominis conversi; de Pyramo ac Thisbe narratio, cum *Fontanii* Gallicum in carmen conversione; Persei de monstro victoria, & sic partum cum Andromede coniugium; Proserpinae raptus; rustici per Latonen, Apollinis & Dianae matrem, in ranas transformati; Cephalus & Procris, cui narrationi poetica iungitur imitatio Fontanii; Philemonis hospitalitas compensata, cum eiusdem imitatione; Orpheus a Thraciae feminis discissus; Ceyx & Alcinoe pereuntes in aquis; habitatio somni; Iupiter Venerem de morte Iulii Caesaris lugentem consolatus. E fastis adduntur, de Caco narratio, ad quam comparari possunt quae narrat *Virgilius*; Pyladis & Orestis amicitia memorabilis; & adulterium Tarquinii violentum. E tristium libris proferuntur Ovidii ep. ad coniugem L. I. eleg. 6. & primaria loca defensionis ad Augustum missae, quae semper excellentissimis antiquitatis reliquiis adnumerata fuit, in qua variis modis format animum ac reformat poeta, nec ulli parcit operae vel eloquentiae, ut se insinuet, aut crimen excuset, ex imprudentia potius, quam malitia commissum.

PRINCIPES POUR LA LECTURE DES ORATEURS

i. e.

PRINCIPIA LECTIONEM ORATORUM iuvantia.

Tom. I. 1. Alph. 3. pl. *Tom. II.* 1. Alph. 1. pl. *Tom. III.* 1. Alph.

Parisiis apud Durandum & Pissotum 1753. cum approbatione & privilegio Regis, in 8.

Praevia tractatio sistit scopum oratorum lectionis, quem partim in solo iudicio ponit A. partim in oratoris imitatione. Inde progreditur ad ipsius eloquentiae fines, quos picturam & motum initio fuisse contendit, cum sero deinceps aeque spiritus ac aurium delectatio adderentur. Definit igitur eloquentiam per artem homines ducendi, vel animos eorum ope vocis superandi. Apud Graecos eloquentia summum attigit gradum aetate Demosthenis, qua copiosus erat proventus oratorum, quorum nomina peritura numquam sunt, licet maxima operum pars perierit. Princeps autem eorum numquam non erit Demosthenes. Ad optimorum porro lectionem, artis magistri requirunt selectum, attentionem, animum a studio partium alienum, legitimum gustum denique. Inter artis doctores commendantur Aristoteles, Cicero, Quinctilianus. Unanimi doctorum virorum consensione, Aristotelis rhetorica opus est excellentissimum. Eius tractatio de commotionibus animi, ex ipsa natura veritateque depromta fuit: hinc, Giberto teste, vel hodie rhetor ille magister est magistrorum. Noster inprimis eum considerat tamquam rhetora philosophum, & patrem definitionum, licet illae non semper sine exeptione sint exactae aut accuratae. Magis edocere dicitur rerum, quam verborum eloquentiam. In ratiocinationibus puris ad prima regreditur principia, & regulas suas firmat, haud obnoxias mutationi. Mentem hominis, non linguam solum reddit perfectam; unde geometricam pro-


proponendi rationem eligit. Variis semper modis rem eamdem contemplatur, ad eius amplificationem, & exercitationem animi, salutariter. Opus totum nihil habet superflui, nihil quod recidi, absque iniuria, possit. Neque tamen desunt praeceptiones siccae, magisque speculativae quam activae: exempla vel omnino desiderantur, vel sunt paucissima: stilus est didacticus & sine gratiis, cetera. Noster haec evitaturo suadet, reliquorum Rhetorum iungere praeceptiones. Dividit autem opus in VI. libros. Primo quidem examinat eloquentiam generatim, eius genera & species: altero agit de rhetorices origine, natura, finibus, & subsidiis, ab indole & arte petendis: tertius est exacta resolutio maioris partis libri secundi rhetorices Aristotelicae; qui primarium philosophi scriptum esse hac in parte putatur. Exempla iungit *Racinii* & *Cornelii*, qui scenae Gallicae magistri sunt, cum ad Sophoclis & Euripidis genium formati, nonnisi per Aristotelis principia plenissima iudicii dirigerentur. Ratio proponendi oratoria, vel dispositio partium orationis, argumentum libri quarti constituit. Quinto libro tractantur stili ornamenta. Tandem, cum oratoris actione, libro sexto proposita, liber explicit. In ipsa institutione definitur eloquentia, per facultatem cum dignitate ac decore singulorum generum de argumentis loquendi, accommodate ad persuadendum. Laudabiliter persuasio in illustratione mentis, & motuum inclinatione, quaeritur, ut ad veritatis cognitionem, & amorem boni perducantur. De variis dicendi generibus disputans Noster, loca quaedam antiquorum scriptorum eximia laudat, & quaedam excerpit. Ita v. g. in Homero Priami sermo, corpus Hectoris ab Achille petentis, aeque nobilis dicitur ac accommodatus ad movendum. Adornatum genus observatur, quod, si Demosthenem eloquentiae constituas exemplum, illud fere totum condemnandum sit; cum Vir ille tantum absit ab arte quaerenda, ut vel spernere videatur. Enuntiationem illius simplicem, immo fere humilem atque repentem, putat, si cum ea, quam Galli deperiunt, comparetur. Simplex tamen etiam ad genus referun-

tur

tur ſocietatis inſcriptionum & elegantiorum litterarum elogia, quæque illius hiſtoria continet, a Peliſſonio coepta, ab Abbate Oliveto autem continuata. Inter diverſa genera eloquentiæ referuntur politica, militaris, academica, ſacra, civilis, & aliæ ſpecies. Regulæ tamen eo pertinentes nihil admodum habent ſingulare.

Tomus II. librum operis ſecundum orditur, quem ſimul ac tertium perſequitur A. magna omnino diligentia. Capitum Index id ipſum docebit. Agit enim I. de primordiis & progreſſionibus rhetoricæ; II. de partibus rhetoricæ, cum dialectica comparatis; III. de inventione, ac præſidiis perſuaſionis generatim; IV. de tribus rhetoricæ generibus, deque locis cuique generi peculiaribus; V. de ſubſidiis perſuaſionis non artificioſis, aut de argumentis ab oratoris artificio neutiquam pendentibus; VI. de communibus locis, ſeu generalibus argumentorum capitibus; VII. de comparationum & amplificationis forma. Principis libri tertii capita ſunt: I. de commotionibus animi generatim, & earum in argumentis oratoriis utilitate; II. de commotionibus animi ſingulatim, quæ quidem diverſis, quas vocat, ſectionibus proponuntur; III. de moribus diverſorum diverſis, nominatimque iuvenum, ſenum, virorum, nobilium, divitum, eminentium ac beatiorum.

Tomus III. tres poſtremos libros habet, quorum quartus partes orationis ſex vulgares illas, totidem capitibus, perſequitur, quibus, tractatio de oratorio decoro, tamquam omnium partium attributione, ſubiungitur. Nec in poſtremis libris ſingulare quidquam legere meminimus: iam vero ex dictis, facile Lectores, quo loco labor Auctoris reponendus ſit, intelligent.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLVI.

ΛΙΒΑΝΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΛΟΓΟΙ ΔΠΙΙ.

i. e.

LIBANII SOPHISTAE ORATIONES XVII; ANT. BONGIOVANNI nunc primum e Mss. Codd. eruit, latine vertit, notisque illustravit.

Venetiis e typogr. Io. Baptistae Albritii 1754. in 4. Alph. 1. plag. 11.

Rem laudabilem facere, qui libros graecos & latinos, in bibliothecis latentes, in lucem typographiae ope proferant, fatentur omnes; praesertim, si idonea eloquentiae aut poeseos exempla contineant, aut historiae, omninoque literis bonis aliquid lucis adferre possint. Ex eo genere esse *Libanii* has orationes, & ipsum viri nomen indicat, & lectio earum quemque docebit. Agnoscet enim primum illum *Demosthenis* imitatorem, & Atticae rationis in dicendo sectatorem diligentem inprimis: deinde reperiet multa, quae veteri historiae prosint, etiam Iuri subinde, quod *Theodosii Iustinianique* Codicibus continetur, inprimis particulae ei, quae *de Decurionibus* est. Quo magis gratiae agendae sunt Editori doctissimo, qui hoc munusculo literatos homines afficere voluit, quod nos iam notius iis facere, & commendare instituimus.

Dudum hoc proditum erat indiciis doctorum hominum, *Leonis Allatii* in praef. ad excerpta Rhet. Graec. & hine *Fabricii* in Bibl. Gr. Vol. VII. p. 411. in Bibl. *Barberina* esse Co-

decem orationum *Libanii* optimæ notæ, itemque alterum in *Vaticana*, e quo non editæ modo bene multis locis corrigi, ſed etiam edi quædam aliæ poſſent. Id vero ignorabat Noſter, cum ad edendas has XVII. orationes accederet, nec tanti putabat conſulere magnum illum Bibliothecarium. Itaque uno Codice Veneto contentus, & quidem in ſex prioribus Codice D. *Marci*, in ceteris SS. *Ioh. & Paulli*, coepit typis permittere apographum inde factum. Admonitus deinde, cum iam operæ aliquantum proceſſiſſent, de Romanis h. e. *Vaticanis & Barberinis* Codicibus, eorum lectiones petiit ab amico Romæ degenti, accepitque: unde natæ ſunt *animadverſiones in aliquot obſcuriora loca*, in calce libri propoſitæ: quibus utinam totam varietatem omnium Codicum ſubieciſſet. In quo miramur, amicum illum non admonuiſſe, duas præter iſtas 17. eſſe orationes in Codice *Barberiniano*, alteram pro *Olympio*, alteram contra *Icarium* ſecundam, (prima exſtat in *Morellianae* συλλογῆς T. II) quas una edere poterat. Sed idem diſcere vel ab *Allatio*, vel a *Fabricio*, licebat. Verum dona oportet accipere, quæ dantur, non qualia eſſe velimus, præſcribere. Ceterum titulos orationum hic ponere ſuperſedemus, cum locis commemoratis proditi ſint. Quid ornandi muneris ſui cauſa fecerit Editor doctiſſimus, videamus.

Primum argumenta orationum fecit brevia & perſpicua: deinde orationes omnes latine vertit, uſus ſermone claro, puro, & ſane elegante, aſſecutus etiam ſenſum græcorum verborum plerumque, præſertim, ubi lectio recte ſe in archetypis habebat. Ceterum ubi in his vitium, interdum leve, eſſet, aberravit nonnunquam, ſed multo ſæpius, ubi rem non ſatis intelligebat. Interdum ſane miretur quis, aberrare potuiſſe a vero ſenſu virum, quem ex opere univerſo appareat literis græcis non adeo leviter imbutum eſſe: ſed commune eſt hoc fatum prope omnium, qui primi e Mſſ. Codd. græcum ſcriptorem ediderunt, ut hærerent interdum ſine cauſſa, ut peccarent, ubi vix peccato locus videbatur. Nonnunquam etiam diſceſſit a preſſiori interpretandi genere, pluribus, quam neceſſe erat, verbis græca exprimens. Notulæ ſubinde adſperſæ

ſæ ſunt, ſed breves, nec quicquam exquiſiti habentes, interdum ubi nemo deſideret; cum contra multis locis nihil dictum ſit, ubi mediocris doctrinæ lector deſideret aliquid lucis. Quæ omnia fient clariora exemplis, e prioribus quinque orationibus proponendis: quod ita faciemus, ut etiam textum, ſi poſſimus, emendemus.

Libanius fugientes ex urbe Antiochenos ait *ποιῆσαι λῃστὰς Pag. 2.
ἑτέρους, τῷ ποιῆσαι πολὺ τὸ πεισόμενον.* Id vertitur ſic:
auxiſſe praedones ipſos, cum maiorem inde fugientium multitudinem iugulandam eis obiecerint. Cur non: *augendis iis, qui praedae eſſent.* Nam luſus in *ποιῆσαι* & *πείσεσθαι* in latina lingua ſervari non poteſt. Negat orator, innoxiis fugiendum 5.
ac timendum fuiſſe: *καὶ ταῦτα Κέλσου, τοῦ πανταχοῦ δικαίου* &c. vertit: *praeſertim cum Celſus vir omnium aequiſſimus eſſet.* at græca ſonant, *praeſertim cum Celſus, qui aequiſſimus eſt, idque hac ipſa in re probavit.* Sed ita apparet aliquid deeſſe, ut, *Praeſes 6.
eſſet*, vel, *negotium ulciſcendi Imperatoris haberet*, quorum illud tamen ſufficit, verumque videtur ex or. *Libanii* ad *Theodoſium* pro *Antioch.* p. 401. aut articulum *τοῦ* delendum eſſe. Ἐν γὰρ ἀπουσίαις βασιλέων ἥκιστα τὸ τοιοῦτον γίγνεσθαι.
Corrig. *γίγνεται*: ſed operarum hoc peccatum videtur. Ἐκό- 7.
τως ἂν ἡγούμην πιστοτέραν συμβουλὴν τὴν ἀπὸ πραγμάτων. Contextus iubet corrigere *ἡγοῦντο.* Hæc enim de Antiochenis dicta, non de *Libanio:* eique mox reſpondet de iisdem; ſi autem ipſe nihil movi, *ἠδίκουν εἰ μὴ μιμούμενοι.* Ac ſtatim poſt: *πλὴν εἰ τοῦτο λέγοιεν, ὡς ἐθανάτουν*: ſine hæſitatione corrigere debebat *ἐθανάτων* vel *ἐθανατίων.* Nam hoc eſt *mo-
ri cupiebant*, non illud, apud *Platonem Phaed.* p. 64. B. & alios. 8.
Iam hoc typographorum vitium videtur *πολὺν ἀργύριον*, pro *ἄργυρον*: illud autem interpretis, *ὡς συχνῶν τε δεῖν ὀχημάτων ἑκάστῳ* (ad aſportandas pecunias ſc.) *καὶ πολλῶν ὀρέων ἕκαστον*: quod vertit V. D. *ut eo traducendo ſinguli multis curribus*, (mel. plauſtris) *pluribusque montibus egerent.* Quorſum montibus ad aſportandum argentum? Senſit vir doctus: ſed cum id admonere deberet, uti de interpretatione meliori cogitaret, mollire rem conatus eſt, addens in paren-

parenthesi: *ad se resque suas tutandas.* Frustra. Immo ὀρέων est *mulis*, ex ὀρεύς, quod verbum ei ex initio Iliados notum esse poterat. His ad asportandam pecuniam utebantur: eorumque in eadem re mentionem facit idem *Libanius*, oratione supra laudata p. 402. quam cum hac conferre neglexit noPag. 9. ster. Καὶ ὁ χρόνος — πᾶς ἀνηλοῦτο. Quidnam hoc verbi est in hoc loco, ἀνηλοῦτο. Est enim *clavis affigebatur*, non *consumebatur*. ἀνήλωτο scripsit *Libanius*, idque in textu po-

13. nendum erat. Disputans *Libanius* adversus eos, qui Antiochiam ob sublatam eius amplitudinem, parum idoneam studiis literarum dicebant, immo ademta ei esse dicit, quae studiis istis obessent: τῶν δ' ὄντων ἀγαθῶν οὐδὲν τῇ μεταβολῇ τῆς προσηγορίας βέβλαπται. Μεταβολὴν τῆς προσηγορίας, vertit *fortunae vicissitudinem.* Sed cum V. D. ipse sentiret, ita προσηγ. verbum non exprimi, notulam addidit: vel *ex ea nominis & appellationis mutatione.* Quae autem esset ista nominis mutatio, lectoribus quaerendum relinquit: quod non debebat fieri. Quaerenda erat illa nominis mutatio; quae si nulla facta est, colligendum, vocem illam mendosam esse. Videtur autem respici ad cognomen urbis solenne, cuius & in his orationibus mentio, ut cum *Magna* appellata antea, nunc ad φρουρᾶς σχῆμα redacta, & ornamentis privata, hoc cognomen amisisse videretur. Quod si cui non placeat, τῆς

15. πρόσθεν εὐτυχίας legat, aut simile quid. In secunda oratione, in pr. orator se adversarium ita refutaturum ait, ὥστε αὐτὸν τοῦτο τὸ μὴ ἔχειν ἀντειπεῖν ὁμολογῆσαι τῇ σιωπῇ. In his vitium est, quod facile deprehendas, si ordinem verborum requiras, legendumque vel τῷ, atque ita conveniet Viri docti versio, *cum nihil habeat &c.* vel τοῦτον: *ut ille ipse inopiam*

16. *refutationis silentio proditurus sit.* Est, ubi heroes quosdam Homericos commemorat *Libanius* sic: Αἴαντα τὸν Λοκρὸν, καὶ τὸν μέγαν, καὶ τὸν Τυδέως, καὶ τὸν αὐτὸν Ἀχιλλέα &c. Haec sic vertuntur: *Aiace Locrensi, viro praestantissimo*; non bene. καὶ τὸν μέγαν intelligere convenit alium ab *Aiace* Lo-

ibid. crensi diversum: alias καὶ abesse deberet: nempe *Aiacem Telamonium*, qui *Magnus* dicitur, quia virtus eius magis a poeta celebra-

celebratur, quam illius. Neque recte versa sunt haec: ὦ καὶ τεθνεῶτι τῶν βασιλέων τις, τὸν νεκρὸν τιμήσας, ἀπέπεμψε: *quem & mortuum quidam Imperator honore prosecutus, sepulturae mandavit.* τὸν νεκρὸν male *mortuum* vertitur; ὁ νεκρὸς est *cadaver:* & in ἀπέπεμψε excidit verbum rei, qua missa Imperator cadaver hominis honorari voluit. Fuisse enim hunc morem quondam mortuorum honorandorum, mittendis coronis, vestibus &c. nemo nescit. Ἐι Δάφνην ταύτην τὴν ἔτω καλὴν δένδρεσι, καὶ κήποις, καὶ πηγαῖς, καταγωγαῖς ἀηδὲς εἶναι λέγεις χωρίον &c. Ultima vertit: *ingratum exhibere diversorium diceres.* Bene: sed ita in graeco scribendum, λέγεις. Post scire se dicit, quod sint magistratus, καὶ πόσον ἑκάστῳ τὸ μέτρον: vertit, *quodque eorum munus.* Sed id μέτρον quomodo significet? Immo, *quae cuiusque sit statura*, utrum magnus an parvus, uter altero maior. Inter instrumenta rustica commemoratur σμινύη, *bipalium:* quod est vel Codicis vel operarum vitio, pro σμινύη. Porro: ὀλίγων δὴ τῶν ἐν ταῖς εἰκόσι ῥητόρων διήνεγκας: *cum paucos rhetores figuras tractantes antecelleres.* Primum εἰκὼν est species figurae, non totum genus. Tum quale est, rhetor figuras tractans? Immo sensus requirit, ut dixerit, eum paucis de plebe rhetorum praestitisse. Sed hoc non efficitur ex edito. Unde credibile est, vocem εἰκόσι mendosam esse.

Pag. 16.

19.

20.

22.

Mox dicit, Praesidem pecuniam pro honore datam, non ex arca, sed a feneratoribus sumsisse, καὶ τὴν τιμὴν ἅπασαν ἐκ ὄικοθεν καταλαβὼν: pro quo clarum est reponendum esse καταβαλών. Eundem dicit esse ταπεινὸν & ὑβριστήν· τὸ μὲν γὰρ, ἃ σύνοιδά σαυτῷ ποιεῖ· τόδε ἵνα ἐκείνοις κρύπτηται γίνεται. Versio: *nam cum ea, quorum tibi ipsi conscius es, perpetrare non erubescis, tum iniquis ea modis occultare studes.* Quae non exprimunt graeca. Tu sic verte: *quorum illud* (sc. ταπεινὸν εἶναι) *faciunt ea, quorum ipse tibi conscius es: alterum autem fit, ut ab illis occultentur.* Sed legendum putamus ἐκεῖνα, *ut illa* (quorum sc. tibi conscius es) *occultentur*, non animadvertantur. Nam subiicit τὴν ὕβριν esse illi παραπέτασμα ταῖς κλοπαῖς. Furtorum autem & rapinarum ibid.

 Praesi-

Præſidis teſtes eſſe dicit multas civitates: in his primam *Chalcida*, τὴν δεξαμένην τὰς πληγὰς πεπραγμένας: quod vertitur: *quae ſaeviſſimae plagas exactionis accepit:* non ſane bene. Immo illa *Chalcis* fuit receptatrix furtorum eius & exactionum, ut *Meſſana Verris* quondam; ſimiliterque altera teſtis
Pag. 26. *Apamea* particeps furtorum fuit, & eo nomine grata Præſidi. Aliud autem egit Vir doctus, cum verba oratoris, Præſidem *Scyllam* appellantis, ob rapacitatem, & cognatos eius totidem circa ipſum capita, de *Sylla* dictatore eiuſque crudelitate accepit: cum illa capita admoneant facile, de monſtro *Scylla*, capitibus caninis ſuccincto, eſſe ſermonem, quod etiam apud *Ciceronem* crudelitatis exprimendæ cauſſa commemoratur, cum v. c. *Verrem* cum Scylla comparat, & miniſtros eius canes circa *Verrem:* quamquam fortaſſe quis, quod apud *Libanium* capita illa circa Præſidis caput ponuntur, ὕδραν pro σκύλλαν
28 extr. legendum putet. Atque etiam illa ὡς τάχιστα ἀπῆλθον, ἀφεὶς τὸ — διαλεχθῆναι, non vertenda erant *diſcedendum putavi. Mitto vero dicere* &c. ſed: *abii, abiecto dicendi conſi-*
32. *lio* &c. Neque intelligi poteſt, quare ἀφοσιοῦνται verterit *conqueruntur*, quod alienum eſt, & a verbo, & a contextu: immo *leviter & perfunctorie cauſam agunt*, quæ elegans iſtius
33. verbi ſignificatio eſt, quam contextus clare deſiderat. Paullo poſt verba quædam ſunt haud dubie aliena, & eiicienda, οὐκ εἰκὸν πείθειν ἕλκειν; nam ſenſum turbant, & e proximo verſu
35. repetita ſunt temere. In verbis κἂν εἰς τὸ οἴκημα ἐλθόντα καθῆναι, vitium operarum eſt pro καυθῆναι. Vertitur enim *concremari:* cetera male vertuntur *domi:* immo *in car-*
ibid. *cerem coniectum.* Nec ἐνεχθεὶς χορηγὸς eſt *electus choragus*,
36. ſed ἀποδειχθεὶς, aut λεχθεὶς, &c. Nec ὕπαρχος eſt *Conſul*, ut ſemper (ut p. 70. 72.) vertitur, confuſus cum ὑπάτῳ: ſed *Praefectus Praetorio.* Scripturæ autem vitium eſt in his:
42. τοὺς οὐκ ἀξιοῦντας εἰδέναι τὰς ἑαυτῶν: *qui patrias diſciplinas noſſe dedignantur:* bene. Sed τὰ ſcribendum, & hoc fortaſſe dare voluit V. D. ut p. 43. *Veniat in ſenatum pater, aut tutor, aut ipſe adoleſcens*, οὗτος ὁμολογησάτω editum eſt pro οὕτως, *ſic, tum ſpondeat*, non *hic ſpondeat*, quod ſenſum non habet,

habet, nec fert in hoc contextu græca ratio, quæ οὕτως prorſus deſiderat. Nec dubium eſſe poteſt, quin pro ὁι τὴν Ρώμην Pag. 45
ἄγοντες reſcribendum, ſit Ρώμης ἄρχοντες; intelliguntur enim *proceres*, cum ἄγοντες ſint *vexantes:* certe illud hoc ſenſu non dici putamus. Nam quod infr. p. 80. τὴν πόλιν ἀπὸ νευμάτων ἄγων dicitur, paullo aliter ſe habet. Porro 46.
facile intelligas, pro εἰ γὰρ ἕν, ὃ μέν τις, ὑπὸ τοῦ νόμου τέτακται, τοῦτο καταλείψη, ζητήσει δὲ τι μεῖζον &c. legendum eſſe: εἰ γὰρ, ἐν ᾧ τις — τέτακται &c. exigente τῷ τοῦτο, quod in illa lectione ſtare non poſſet: nec illud ἕν locum hic habet. Ibidem milites ordines deſerentes dicuntur ἀποτυμπανίζεσθαι, quod non male vertitur *fuſtibus caedi:* ſed additur notula huiuſmodi: *neque fuſtibus modo, ſed etiam morte &c. tribunos privari ſolitos, tradit Iulianus Ep. 17.* Atqui ἀποτυμπανίζεσθαι, *fuſtuarium pati*, quam & *Livius* poenam ordines deſerentium tradit, eſt capitalis poena: & ἀποτυμπ. eſt ad necem cædere, ut *Balthaſar* ille apud *Danielem* ἀπετυμπανίσθη ῥοπάλοις. Atque etiam p. 54. pro 54.
ἐπὶ τοὺς Φαινομένους τῶν ὄντων ἐκ ὀλίγους, ſcripſerim τῶν ἄρτων, quod etiam in verſione exprimitur: nec enim in propinquo ſunt ἄρτοι, ad quos τὸ ὄντων referri queat. 56.
Piſtores revocanti ſe in urbem *Libanio* reſpondent, nihil eorum quæ vellet ſe non facturos: οὐδ' εἰ τὰ σώματα τῶν τέκνων προσθεῖναι δέοι τοῖς Φρυγάνοις. Id vertitur: *ne ſi filiorum quidem noſtrorum corpora obiicienda forent rogis ardentibus.* At primo Φρύγανα non poſſunt eſſe *rogi*, etſi in iis & Φρυγάνων uſus, ut celerius flammam conciperent ligna maiora. Dicuntur enim Φρύγανα de iis, quæ tota e ſarmentis fiunt, ut nidi avium ap. *Ariſtophanem:* atque in hoc ſenſu etiam corrigendum foret προθεῖναι: nam hoc eſt *obiicere, prodere:* non προσθεῖναι. Videndum, an intelligantur ſarmenta, quibus piſtores utuntur ad calefaciendos furnos, quibus panes coquunt: *ne ſi liberi quidem noſtri una cum ſarmentis in fornaces proiiciendi forent.* Aliquoties etiam in le- 58.
gendo aberravit librarius græci Codicis, & coniunxit disiungenda, idque feſellit Cl. Editorem. Κινδύνῳ δὲ μικρὸν τοῦτο ἀνη-

Pag. 66. ἀνεφαίνετο: pro τȣ̃το ἂν ἐφαίνετο, & alibi: ἢ τȣ́των ἀνειργόντων, pro ἢ τȣ́των ἂν εἰργόντων. Miſeri & male vexati verberibus piſtoris uxor rogat miniſtros ſævitiæ, τὸ καλύψαι
58. τὰ νῶτα miſeri. At illi ȣ̓ χαρίζονται μὲν, ἀποδίδονται δὲ, καὶ παρῆν ἰατρὸς καὶ φόβος περὶ τῆς ψυχῆς. Hic hæſit V. D. in ἀποδίδονται, maleque vertit locum: *hi ſupplicem ſpernunt, & miſerum cruciatibus tradunt:* quod quomodo ex ἀποδίδονται erui poſſit, non apparet: immó, *at ei non gratificantur illi quidem hoc, ſed vendunt tamen*, i. e. pecunia demum data impetrat, ut dimittatur & medico dari poſſit: quod patet e mox ſequentibus, quæ & ipſa non aſſecutus eſt. Libanius his auditis, rumore nuncio, mittit, qui videret, an iſta ita ſe haberent, καὶ εἰ μισθὸς τȣ̃ τυχεῖν τῆς κλίνης τὸν ἄνθρωπον δέδοται: *utrum pretium aliquod pro lecto comparando exhibitum fuiſſet:* quod nec intelligi poteſt. Volebat ſcire, an uxori pecunia danda fuerit, ut iſte miſer in vitæ periculum
60. adductus medici curatione uti poſſet. Occurrunt in eadem oratione ἀρτοπόποι, qui operis deberi videntur, quæ eos no-
72. bis pro ἀρτοποιοῖς dedere. *Cynegius* ad conſtituendos ordines Decurionum in Orientem miſſus, dicitur μεγάλα μὲν ἀπειλῆσαι, δεῖξαι δὲ, ἃ κἂν αἰσχυνθείη τις εἰπεῖν: *magna quidem minatum eſſe, ſed prae ſe tuliſſe* &c. Immo, *praeſtitiſſe,*
74. *feciſſe.* Hunc porro locum nemo e verſione intelligat, nec intellectus eſt ab editore doctiſſ. Cum oporteret mittere, qui Coronas deferrent Imperatoribus, qui tantam Senatoriorum ordinum curam geſſerant, ἔχεσθαι τῶν ἀποδεδομένων, μὴ συγχωρεῖν δὲ τοῖς ἄρχȣσι μέλλειν, μηδ' ἀναβολαῖς χαρίζεσθαι τοῖς ὑπὸ τῶν γραμμάτων τεθηρωμένοις. Verſio primum omittit illa ἔχεσθαι τ. ἀ. *ſtatim uti ſ. urgere quae attributa, conceſſa eſſent,* deinde ultima ſic reddit: *neque cunctando gratificari iis, qui per literas captabantur.* Immo: *iis, qui reſcriptis veſtris tenebantur,* cogi poterant ad Decurionatum. In
79. eadem pag. eſt etiam ϛρατῶται, vitioſe, pro ϛρῶται Illud autem nobis haud dubie corruptum videtur: τόγε πρὸς τὴν ἐνεγκȣ̃σαν δίκαιον πρότερον ἔδει πεποιῆσθαι καὶ τῆς ψυχῆς αὐτῆς. Senſum bene reddidit V. D. officium erga patriam.

An

An vero ἡ ἐνεγκοῦσα est patria? Immo ἐκτεκοῦσα vel ἐντεκοῦσα, quod utrumque hoc sensu est in Lycurgi oratione. Ortum forte vitium e paullo post sequente φυλακῇ τοῦ δικαίου ἐνεγκοῦσῃ κίνδυνον. In oratione V. quae est ad Imp. *pro senatoriis ordinibus*, narrat, *Letoium* coegisse tres cohortium duces Decurionatum suscipere: ea re sibi exercitus ducem iratum fecisse: eum ducem habuisse γράμματα aliorum, sed *Letoii* γράμματα, quae & βιβλίον vocat, nullo modo ab eo impetrare potuisse. Hic quivis desideret notulam editoris, quaenam ista γράμματα, istud βιβλίον fuerint. Sed qui nos docet alibi, quae urbes sint *Chalcis*, *Apamea*, qui *Tyndari* filii, & similia, nihil hic adnotationis suae dedit. Nobis videntur intelligenda decreta Impp. quibus mittendis potestas data erat cogendi homines ad Decurionatum, quem tum tantopere fugiebant. Γράμματα & βιβλία, item βιβλίον, vocari talia Decreta principum, dubio caret.

Facile foret, talia de singulis orationibus admonere: sed haec, speciminis caussa prolata, sufficere possunt lectoribus eruditis: quibus, his ipsis legendis, sperabamus iniici posse cupiditatem operis cognoscendi, in eoque iudicii sui experiendi; cuius rei hic non parcam materiam dari ex dictis intelligi potest.

COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanae. *Tom. XIV.* ad ann. 1744-46.

Petrop. 1751. 2 Alph. 3 plag. 7 Tab. aen.

Classis horum Commentariorum mathematica, continet quinque dissertationes huius argumenti, quarum prima est *methodus integrandi formulas differentiales rationales, unicam variabilem continentes*, auctore *L. Eulero*. Omnes formulae differentiales, quarum integrationem Auctor hic tradit, continentur in hac forma generali Xdx, ubi X denotat functionem quamcunque rationalem ipsius x. Cum igitur omnis functio rationalis sit vel integra, vel fracta: tracta-

tio hæc in duas partes tribuenda fuiſſet, niſi integratio illis caſibus, quibus X eſt functio integra, nulla laboraret difficultate. Totius ergo negotii cardo in hoc vertitur, ut integretur formula, in qua eſt

$$X = \frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4 \text{ \&c.}}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \epsilon x^4 \text{ \&c.}}$$

In eiuſmodi fractione vero, x vel continet in numeratore tot vel plures dimenſiones, quam in denominatore, vel pauciores. Si tot vel plures occurrant dimenſiones in numeratore, quam in denominatore, fractio data v. g.

$$X = \frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4 \text{ \&c.}}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 \text{ \&c.}}$$

dividendo revocari poterit ad aliam, in qua ſumma ipſius x dimenſio in numeratore minor ſit, quam in denominatore. Omne igitur negotium huc redit, ut integretur formula Xdx, in qua eſt

$$X = \frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4 \text{ \&c.}}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \epsilon x^4 + \zeta x^5 \text{ \&c.}}$$

Ad hanc igitur formulam integrandam ſeſe accingit Auctor, & primo quidem conſiderat illum caſum, in quo terminus primus α vel aliquot termini initiales denominatoris evaneſcant. Hoc enim ſi fit, integratio multum levari, atque ad caſum faciliorem, de quo poſtmodum dicemus, reduci poteſt. Reductio autem in hoc conſtat, quod denominator tum habeat unum factorem cognitum, qui erit vel x, vel x^2, vel x^3 &c. prout unus pluresve termini initiales denominatoris evaneſcant: ideoque poterit fractio propoſita in duas alias fractiones reſolvi, quarum altera, cum habeat poteſtatem ipſius x ſimplicem pro denominatore, nullo negotio integratur, ita, ut tantum altera remaneat, cuius integrale quæratur. Sic, ſi primus tantum terminus denominatoris deſit, erit formula differentialis propoſita huiusmodi

$$\frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4 \text{ \&c.}}{X(\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \epsilon x^4 \text{ \&c.})}$$

quæ æqualis eſt his duabus iunctim ſumtis

$$\frac{\frac{A}{\alpha x}dx + \left(B - \frac{A\beta}{\alpha}\right) + \left(C - \frac{A\gamma}{\alpha}\right)x + \left(D - \frac{A\delta}{\alpha}\right)x^2 \&c.}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 \&c.} dx$$

quarum prioris partis $\frac{A\,dx}{\alpha x}$ integrale eſt $= \frac{A}{\alpha} lx$. Poſterioris vero partis integrale, methodo deinceps tradenda reperiri debet. Similiter, ſi fuerit

$$X = \frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4}{x^2(\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \varepsilon x^4)}$$

id eſt, ſi bini termini initiales denominatoris deficiant, fractio hæc itidem in duas alias reſolvitur, ut fiat

$$X = \frac{a + bx}{x^2} + \frac{\mathfrak{A} + \mathfrak{B}x + \mathfrak{C}x^2 + \mathfrak{D}x^3 \&c.}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 \&c.}$$

quo facto habetur facile $\int \frac{a + bx}{x^2} dx = -\frac{a}{x} + b\,lx$.

Fractio poſterior vero per diviſionem reſolvenda erit in aliam, in qua x gaudeat minori dimenſione in numeratore, quam in denominatore, donec remaneat fractio quædam $\frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3}{\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \varepsilon x^4}$ ubi x in denominatore plures habet dimenſiones, quam in numeratore, ut itaque totius negotii ſumma iterum ad hunc caſum, cuius iam ſupra mentionem fecimus, reducatur. In hoc vero caſu nulla alia ad integrationem via patet, quam ut denominator $\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3$ &c. in ſuos reſolvatur factores ſimplices. Quamquam enim radicum inveſtigatio, cum qua reſolutio in factores congruit, adhuc ultra æquationes quatuor dimenſionum generatim non ſit perducta, tamen in integrationum negotio, Auctor, iure meritoque ſibi reſolutionem æquationum quotcunque dimenſionum concedi poſtulat. Is enim formulæ ſeu æquationis differentialis integrationem perfecte dediſſe

H 2 cenſen-

censendus est, qui eam ad resolutionem seu constructionem æquationis algebraicæ revocaverit. Assumantur igitur denominatoris propositi v. g. $1 + \alpha x + \beta x^2 + \gamma x^3 + \delta x^4$ &c. factores simplices $(1+px)$ $(1+qx)$ $(1+rx)$ $(1+sx)$ $(1+tx)$ &c. quorum factorum numerus, uti constat, æqualis est maximæ dimensioni ipsius x quam habet in denominatore proposito. Hac posita denominatoris in factores resolutione, formula differentialis $\frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 \text{ \&c.}}{1 + \alpha x + \beta x^2 + \gamma x^3 \text{ \&c.}} dx$

abibit in hanc formam

$$\frac{A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + Ex^4 \text{ \&c.}}{(1+px)(1+qx)(1+rx)(1+sx) \text{ \&c.}} dx$$

quæ porro resolvi poterit in fractiones totidem simplices, quot denominator continet factores, suntque hæ fractiones simplices differentiales hæ:

$$\frac{Pdx}{1+px} + \frac{Qdx}{1+qx} + \frac{Rdx}{1+rx} + \frac{Sdx}{1+sx} \text{ \&c.}$$

Patet enim, his fractionibus addendis expressionem esse proditiuram superiori similem. Sed determinatio quantitatum assumtarum P, Q, R, S, &c. multum parit negotii, ubi numerus fractionum paullatim accrescit: cui tamen incommodo, ope compendii, Auctor, quantum per naturam rei licet, medetur. Inventis vero harum litterarum valoribus, integrale fractionis propositæ $\frac{P}{p} l(1+px) + \frac{Q}{q} l(1+qx)$ $+ \frac{R}{r} l(1+rx) + \frac{S}{s} l(1+sx)$ &c. in promtu est. Illi autem incommodo, quod oritur, si interdum duo vel plures factores sibi invicem æquales sunt, ab Auctore medela quoque affertur. Unicum tamen incommodum adhuc sæpe numero accidit, quod in hoc consistit, ut quoties denominator habeat factores imaginarios, toties integralis partes ex iis

iis oriundæ fiant quoque imaginariæ; quæ, etsi coniunctim sumtæ quantitatem realem præbent, tamen ea ex imaginariis non tam liquido appareat. Auctor itaque & hoc removet, & integrale ab imaginariis omnino liberum, solisque quantitatibus realibus expressum, exhibet. Ex his igitur intelligitur, quomodo formulæ cuiuscunque differentialis rationalis integrale inveniri, atque adeo in forma reali exhiberi oporteat. Postquam enim differentiale, per modos prius expositos, ad formam posterius pertractatam fuerit perductum, tum totius negotii cardo vertetur in inventione factorum realium denominatoris, qui sunt vel simplices binomiales, vel trinomiales; atque quilibet factor dabit partem integralis quæsiti: quare, si methodo præscripta ex singulis factoribus integralis partes respondentes fuerint inventæ, omnium harum partium aggregatum erit integrale quæsitum. Ex quibus porro patet veritas non exigui momenti, quod integrale omnis formulæ differentialis rationalis perpetuo concessis logarithmis & arcubus circularibus exhiberi queat; ita ut integratio, si algebraice absolvi nequeat, alias quantitates transcendentes non requirat, præter logarithmos & arcus circulares. Harum autem rerum usum, quamvis per se latissime pateat, & perspectu facillimus sit, Auctori tamen in casibus specialibus probare, ac simul applicationem regularum traditarum ostendere, placuit; quem quidem usum amplissimum esse, exinde satis elucescit. Excipit hanc tractationem alia *Georg. Wolffg. Krafft, de superficie cylindri & coni scalenorum.* Occasionem solvendorum horum duorum problematum præbuit Auctori Cel. *Heinsius*, Collega noster, qui ea in tractatu de proiectionibus astronomicis, cuius nuper mentionem fecimus, methodo tamen diversa, explicuit. Cum itaque Auctor videret, rariores inveniri utriusque problematis constructiones, calculorum sublimiorum ope eas eruere constituit. Pro cylindro itaque scaleno, cuius altitudo $= a$, latus $= b$, $\sqrt{(b^2 - a^2)} = c$ & radius baseos $= r$, angulus baseos vero, pro quo pars superficiei intercepta quæritur $= \frac{y}{r}$, elementum superfi-

perficiei reperit $= \frac{dy \sqrt{b^2 r^2 - c^2 y^2}}{\sqrt{r^2 - y^2}}$ cuius elementi integrale ab ellipſeos rectificatione pendere in aprico eſt. Idem ſine calculo differentiali Auctor demonſtrat alia ratione, quam, cum mirum ſit veteres geometras non animadvertiſſe, hic integram adiicere licebit. Secetur cylindrus obliquus $DCIFEG$ ita, ut nova ſectio NMI ſit normalis plano $DIFE$, & axis NI perpendicularis ad latus cylindri DH; eritque hæc ſectio ellipſis NMI, cuius axis maior DI minor autem NI. Nam ſi in nova hac ſectione pro ſemiapplicata quavis PM ſit ſectio baſi parallela AMB, habebitur, quia baſis circularis eſt, $AP \times PB = PM^2$; ſed ob triangula ſimilia eſt $AP : PN = PB : PI$, unde


Fig. A.

$PB = \frac{AP \times PI}{PN}$, quod ſubſtitutum in priori æquatione, efficit hanc $\frac{AP^2 . PI}{PN} = PM^2$. Sed habetur quoque,

$AP : PN = DI : IN$, aut vero $AP^2 = \frac{PN^2 . DI^2}{NI^2}$,

quod denuo ſubrogatum in hac æquatione ultima, præbet hanc $\frac{DI^2 . PN . PI}{NI^2} = PM^2$; vel $PM^2 : PN . PI = DI^2 : NI^2$; quod indicat, ſectionem NMI eſſe ellipſin, in qua axis ipſi PM parallelus eſt æqualis ipſi DI, & alter axis æqualis ipſi NI. Sed apparet, eſſe $DI > IN$, ergo NMI eſt ellipſis, cuius axis minor eſt NI. Eſt igitur cylindrus ex hac nova ſectione ortus $HFIMN$ ellipticus, ob baſin NMI ellipticam, ſed eſt cylindrus rectus, cuius quippe latera perpendicularia ſunt ad hanc baſin cylindricam; ſuperficiei igitur pars quæcunque $HKMN$ æqualis eſt arcui elliptico NM ducto in latus HN. At vero ob angulos $NICD$ & $HFGE$ ſimiles & æquales, area $HKMN$ cylindri recti ſed elliptici eadem eſt cum area correſpondente EmD cylindri obliqui, ſed

ſed circularis, unde patet. ..t



factore denominatoris reſpondentem integralis partem ... determinandi; in quo negotio Auctor ante uſus fuerat methodo cum nimis operoſa, tum ex alienis principiis deducta. Tandem methodus, quæ hic proponitur, ad omnes formulas differentiales eſt æque accommodata, neque ulla opus eſt reductione,

..., cujus quippe latera perpendicularia sunt ad hanc basin cylindricam; superficiei igitur pars quæcunque *HKMN* æqualis est arcui elliptico *NM* ducto in latus *HN*. At vero ob angulos *NICD* & *HFGE* similes & æquales, area *HKMN* cylindri recti sed elliptici eadem est cum area correspondente *EemD* cylindri obliqui, sed

ſed circularis, unde patet, etiam aream *EmD* æqualem eſſe priori facto, & pendere conſequenter ab ellipſeos rectificatione. Ad conum quod attinet, poſita altitudine coni perpendiculari $= a$, $axi = c$, $\sqrt{(c^2 - a^2)} = b$, radio baſeos $= r$, anguli in baſi ſumti, cuius pars intercepta ſuperficiei conicæ quæritur, ſinu $= x$, Auctor invenit elementum ſuperficiei $= \frac{-\frac{1}{2} r dx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}} \sqrt{\left(a^2 + \frac{(r^2 + bx)^2}{r}\right)}$, quod neque ad circuli, neque ad hyperboles quadraturam, ulla ratione reduci poteſt. *Eulerus* in ſequentibus filum diſſertationis ſupra indicatæ pertexit, & *methodum faciliorem atque expeditiorem integrandi formulas differentiales rationales* tradit. Quamvis enim omnium formularum rationalium integratio, per præcepta ſupra tradita ſemper abſolvi queat, dummodo denominatoris factores, ſive ſimplices ſive trinomiales, habeantur, & ſic nihil amplius methodo ante expoſitæ addendum videatur: hic tamen omnia, quæ ante explicata fuerant, non ſolum magis naturali modo ex propriis fontibus deducuntur, verum etiam præcepta ita adornantur, ut integratio omnium huiuſmodi formularum multo facilius atque expeditius perfici queat. Primum enim methodum, tam latiſſime patentem, quam facilem, proponit, cuiuſcunque denominatoris trinomiales factores inveniendi, dum antea hos factores elici oportebat ope cuiusdam theorematis Moivræani, quod nonniſi tum valet, quando ſupremæ poteſtates variabilis x, iisdem, quibus infimæ, coefficientibus ſunt coniunctæ: hocque ipſo integratio ad plurimas alias formulas applicari poterit, quibus prior methodus minus genuina non ſufficiebat. Deinde inventis factoribus, tam ſimplicibus, quam trinomialibus, methodus longe ſimplicior ac facilior communicatur, ex quolibet factore denominatoris reſpondentem integralis partem determinandi; in quo negotio Auctor ante uſus fuerat methodo cum nimis operoſa, tum ex alienis principiis deducta. Tandem methodus, quæ hic proponitur, ad omnes formulas differentiales eſt æque accommodata, neque ulla opus eſt reductione,

ctione, quæ in methodo priori requirebatur, ubi primum ex denominatore factores potestatis x elicere, atque tum terminum denominatoris absolutum unitati æqualem reddere oportebat. Huic dissertationi subiunxit 59. *Theoremata circa divisores numerorum in hac forma* $pa^2 \pm qb^2$ *contentorum*, quæ tamen omnia, cum singula recensere per spatium non liceat, quædam vero seligendo nihil omnino diceremus, hic prætermittimus. Pergimus potius ad *Eiusdem considerationem motus corporum flexibilium.* Argumentum, quod hic pertractandum suscipit Auctor celeberrimus, insignem mechanicæ partem constituit. Cum enim hac scientia, cunctorum corporum motus, tam quales permaneant, quam quomodo potentiis immutentur, investigari debeant: ex diversa corporum indole primaria tractationis divisio originem trahit. Hinc corpora flexibilia, quorum structura ita comparata est, ut partes inflecti queant, ad peculiarem mechanicæ partem referri debebunt: quæ, etsi alias universa motus scientia iam satis exculta videatur, tamen ne ad hoc usque tempus quidem a quoquam est tentata, ita ut etiam prima principia, ex quibus corporum flexibilium motus definiri debeat, adhuc ignorentur. Quanquam enim ab Auctore pariter, atque a Dan. Bernoullio, motus oscillatorius huiusmodi corporum feliciter explicatus sit: tamen, quia tantum oscillationes minimas contemplati sunt, ipsis genuinis principiis, quibus corporum flexibilium motus continetur, supersedere poterant, cum principia statica omnino sufficerent. Quoniam igitur hoc argumentum plane novum & adhuc intactum est, Auctor casus tantum nonnullos simplicissimos evolvit, cum in finem, ut principia horum motuum inde perspiciantur, simulque methodus tradatur, quæ omnibus huius generis problematibus resolvendis conveniat. Flexuram vocat, eiusmodi duorum corporum partium AB & BC connexionem in B, ut utraque pars circa hoc punctum B liberrime inflecti atque rotari possit. Flexura scilicet B tantum divulsioni partium AB & BC resistit, de cetero autem non impedit, quo minus utraque pars, ad quemcunque angulum ABC vel ABc incli-

Fig. B.

inclinentur. Quando autem partes liberrime inflecti posse dicuntur, hæc flexura perfecta, de qua hic sermo est, a flexura elastica distingui debet; ad partes enim circa flexuram perfectam inflectendas tantum opus est, ut inertia partis movendæ superetur, cum, si flexura esset elastica, præterea elater superari deberet. Hanc ob rem partes, per flexuram inter se connexas, tamquam lineas rectas Auctor repræsentat: quod tamen non impedit, quo minus quæcunque figuræ, dummodo sint idoneæ, in istarum linearum rectarum locum mente substituantur. Si igitur corporis flexibilis singulis partibus æquales motus secundum eandem plagam imprimantur, totum corpus, quasi esset rigidum, nullam inflexionem patietur, sed eadem perpetua celeritate in eandem plagam moveri perget, nisi a caussis externis in hoc motu perturbetur. Ut igitur appareat, utrum per flexuram motus immutetur, concipiatur nexum omnem in flexuris tolli, ac dispiciatur, utrum, dum quælibet pars motum sibi impressum prosequitur, termini, qui ante in flexuris erant coniuncti, a se invicem discedant, nec ne? priori enim casu, flexuræ vis, sese in continendis partibus exserens, motum turbabit, altero autem casu motum invariatum relinquet. Ad motum ergo cuiusque corporis flexibilis determinandum, singulæ partes, quasi inter se essent dissolutæ, considerari, & quo motu perrecturæ sint, examinari debent; tum vero flexuræ cuiusque vis erit investiganda, motum ita dirigens, ut partes, uti natura rei secum fert, contiguæ conserventur, hocque pacto, ad quodvis momentum, singularum corporis partium motus definiatur. Maximum autem subsidium in hac investigatione in eo versatur, ut motus quæsitus commode per symbola repræsentetur. Considerat itaque Auctor primum, corpora unica flexura prædita: his enim pertractatis, ad plurium flexurarum motum investigandum accessus patet. Huiusmodi autem corporis motus, utcunque fuerit comparatus, mente comprehenditur atque intelligitur, si primo cognitus sit motus, quo ipsa flexura progreditur, id est, via, quam describit, eiusque celeritas in locis singulis. Deinde, si utra-

que pars non motu ſibi parallelo flexuram ſequatur, utriusque motus rotatorius, ſeu angularis, circa ipſam flexuram debet cognoſci. Tandem ad quodvis tempus ſitus partium, reſpectu plagæ datæ, eſt definiendus. Has autem res, ſi in quovis motu oblato determinare atque aſſignare quis potuerit, dubium nullum eſt, quin totus ei corporis motus perfecte ſit cognitus. Ad hæc autem expedienda Auctor inveſtigat primo, quemadmodum utraque pars, ſi eſſet ab altera ſoluta, motum ſuum eſſet continuatura; deinde quomodo quævis potentia ſollicitans hunc motum perturbare valeat. Denique eam flexuræ vim quærit A. qua fit, ut utriuſque partis terminus B æquo motu cieatur: ſic enim vis, quam flexura ſuſtinet, ſeu quæ ruptioni reſiſtit, innoteſcit; qua cognita, utriuſque partis, atque adeo totius corporis motus ita determinari poteſt, uti perfecta eius cognitio requirit.

Pergimus ad claſſem phyſicam, in qua primum locum tenent: *du Vernoi animadverſiones variae in erinaceorum terreſtrium anatomen, quarum nonnullae nunc ad ſtructuram veſicularem viſcerum; nonnullae ad novorum renum ſuccenturiatorum illuſtrationem pertinent.* Viſcera, ſecundum naturam componi debebant diſſimili reliquarum partium ratione, e communibus non ſolum particulis inſtrumentalibus, ut ſunt canales omnis generis, ad materiam nutritioni & ſecretionibus utilem adducendam & reducendam; verum etiam e privata ac propria ſubſtantia, a vaſculari natura, uſu, & ſtructura diſcrepante, ad actionem ſecretionis proximam & immediatam, & ad reliqua eo ſpectantia perficienda. Quamvis enim alii, ab hac ſententia recedentes, viſcera docuerint & corpora glanduloſa componi, ac duntaxat uti ſimplici fabrica vaſculoſa, præmemoratum ſecretionis actum perficiente; Auctor tamen contrarium oſtendere ſtuduit, exemplo ab erinaceis deſumto, & ad eorum ubera, lactationis inprimis tempore, & ſubcalido adhuc corpore, ſpectante, in quibus, cute duntaxat inciſa, tam interna, quam externa ſuperficie, ipſæ veſiculæ, incredibili frequentia, protinus ſeſe prodere inceperunt, & ſic per ſe, nulla manuum opera, ultro conſpicuæ fuerunt. Hæ veſiculæ, tametſi

etsi sola membrana tenuissima sint præditæ, spectatu tamen eo faciliores fuerunt, quanto maior luciditas a lactis inclusi copia accesserat; aliquot enim millia, in extima superficie, per se, ac inermibus oculis fuerunt conspicua, ut earum peculiaris figura, series, & color niveus, nunquam exactius & elegantius referri posse visus fuerit. Similiter, ad reliquam substantiam interiorem quod attinet, nihil illa a priori discrepavit; omnes universim inter se æquali fuerunt figura, & magnitudine minime discrepante, invicem strictius unitæ, ac per multiplices membranosas propagines, plurimis vasculis instructas, simul firmatæ, ex quibus varia intersepta & retia fibroso vascularia composita fuerunt. Credibile tamen Auctori videtur, quod nonnulli erinacei, ob alimentorum, regionum, & temporum diversitatem, dissimiles ac pinguiores inveniantur: ob quam caussam, per implexum pinguedinis, vel per plenitudinem vasorum, vesiculæ sic obductæ sint, ut globuli adiposi potius, quam vasa esse videantur; unde eo magis perspici poterit, cur in variis aliis descriptionibus vesicularis structura viscerum plane omissa fuerit. Hoc idem iudicium cadere Auctori videtur in capsulas erinaceorum seminales, quas observavit: 1) corpus retulisse amplissimum, mensuram pelvis longe excedens, ac versus renes altius ascendens, membrana bipartitum pellucida, per quam non solum dextræ & sinistræ divisionis nexus, verum etiam commune involucrum a natura constitutum fuit; 2) unicuique divisioni quatuor glandulæ propriæ fuerunt, laxis membranis interstinctæ, ut distincti lobuli, unde totum præmemoratum corpus e glandularum quatuor paribus constitit. 3) Istæ ex membranosa tenui alba & pellucida substantia simpliciter constructæ fuerunt, unde per eas semen inclusum manifeste transluxit. 4) Sub communi membrana, seu involucro, has investiente, multiplices series orbiculares, forma ac specie pellucidi & longissimi ductus seu sacculi, semen continentis, transparuerunt, quæ series nihil a veris vesiculis discreparunt, nisi quod crassitie fuerint maiore, nec ad ovalem, ut aliæ vesiculæ, verum ad cylindricam figuram accesserint; unde Auctori

effici non videtur, ut propterea pro veſiculis haberi non debeant. Similiter Auctor inquiſivit in erinaceorum renes ſuccenturiatos, de quibus iam tomo præcedente ſermonem fecerat. Ducto enim obſervationum ſuarum principio a corpore humano, lubuit inveſtigare, num viciſſim hi minimi renes beſtiarum corporibus communes ſint, nec ne? Examen itaque ea de cauſſa, diverſæ ætatis & ſexus erinaceorum, ſæpe multumque ab Auctore inſtitutum eſt, ſed nunquam eos conſpicere licuit; unde oculos effugiſſe parvitate videntur, uti eventus poſtea docuit. Alia nempe occaſione ipſi allatus eſt echinus femina, recens natus, una cum matre eum lactante, in qua quidem nullum renem ſuccenturiatum, præter duos ordinarios, offendere potuit; in iuniore vero ſpes eum non fefellit. Is enim rene ſuccenturiato, ut in ſupra memoratis, conſtitit, poſt hæc, horum dexter, uti diſtincte obſervavit, alterum ſibi ſocium habuit minimum figuræ orbicularis, grano papaverino æqualem, ac, uti viſum fuit, haud extra, ſed intra tunicam celluloſam immediate poſitum, unde ea detracta, hunc a rene facile divellere licuit. Vas perexiguum arcus in modum, ad huncce renem tendens, ſpectatum fuit. Denique eius ſubſtantia renis ſuccenturiati ſimillima, cortice, cavea, ac colore prædita fuit, uti ceteri renes ſuccenturiati, in corpore humano primum obſervati. Hunc excipit *Ioſias Weitbrecht, de pituita glutinoſa laryngis.* Interiorem oris cavitatem, labiorum, linguæ, palati, pharyngis, laryngis ſuperficiem, innumeris emunctoriis ſcatere, quibus humores vario habitu excreti miſtim in ore deponuntur, anatomicorum ſcrutinia, & experientia ipſa abunde docuerunt. Inter hos humores multum inter ſe diverſos, ſingularis aliqua materia per ſcreatum ex faucibus eiici ſolet, quæ nec ſaliva, nec mucus glandularum palati, aut narium, nec denique pus dici poteſt, ſed quæ ab his omnibus, conſiſtentia & natura ſua, colore, & origine diſtinguitur, ideoque ſpecialiorem conſiderationem utique meretur. Huius igitur pituitæ naturam ut cognoſceret A. copiam eius per plures menſes paullatim collegit, & in vaſculo leviter tecto in muſeo conſervavit, ut, quibus mutationibus

foret

foret obnoxia, cognosceret. Quamvis autem totius anni spatio, absque ullo putredinis aut effervescentiæ signo notabili, quod aut nares afficeret, aut oculis cerneretur, consisteret: non tamen prorsus eadem permansit. Et quidem primo, quoties nova additio facta fuit, omnes pituitæ glomi & monticuli post aliquot horas in æquabilem planitiem diffluxerunt. Tum vero, cessante collectione, superior superficies in duram crustam induruit; reliqua autem massa non indurata, in volumen minus contracta, aerem contentum in unum spatium medium coegit, & amissa tenaci glutinositate sua, in crassam, mucosam, pultiformem, opacam, subflavam materiam, granulis albis, duriusculis, friabilibus interspersam abiit. Huius materiæ portio retortæ indita, & e[illegible]mini ignis subiecta, in paucum sal volatile, & oleum acerrimum, intolerabili foetore, olea ex C. C. parata longe superans, & phlegmati plurimo supernatans, resoluta est. Alia [illegible]o; granulis illis albis potissimum constans, per affusam [illegible], & quietem, ad maiorem putrefactionem evecta, in [illegible] sebaceum, aqua non solubilem, abiit; in patina autem ferrea prunis candentibus imposita, evaporata humiditate, & proiectis plurimis bullis aereis, in squamulas fuscas, pulverulentas, nullo sapore præditas, exaruit, relictis in ferro maculis, de tenaci cum ferro cohæsione testantibus. Quantum Auctori ex observationibus assequi licuit, humor hic glutinosus non in faucibus, aut palato, aut oesophago hæret, neque etiam in pulmonibus eius sedem quærendam putat, sed in sola trachea, & quidem speciatim in portione eius superiore, nempe in ipsius laryngis cavitate interiore, ventriculis præsertim & cryptis, circa ipsam glottidem & eius operculum. Quando pituita pura & copiosa eructatur, Auctor observavit, plerumque sub habitu massæ alicuius spissæ, rudis, indigestæ, & uniformis apparere solere, in qua nulla partium componentium distinctio cernatur. Saliva vero, aut narium muco vitreo, aut laryngis madore intermisto, generationem eius quodammodo manifestari. Ex plurimis enim massulis, quasi granulatis, conflatam esse cognovit, conglomeratis ex mucosis filamentis, serpentino

modo intortis ac convolutis. Ex hac filamentorum configuratione infert, adesse singularia organa, ex quorum orificiis angustioribus illa eructentur, & in quorum sinubus ac recessibus interioribus a massa sanguinea secernantur. Organa vero ista, glandulæ dici solita, qualia & quæ istæ glandulæ sint, quæ hanc pituitam glutinosam & tenacem laryngis secernant, per solas anatomicas disquisitiones satis determinatum non videtur. Quid tamen de iis statuendum sit, ulterius prosequitur: & quamvis certi nihil definiat, tamen in epiglottidis glandularum, & quas arytenoides produxit Morgagnus, recessibus, pituitæ huius glutinosæ scaturiginem quærendam putat. Has denique observationes, ad usum physiologicum & pathologicum applicat. Succedunt *G. W. Krafftii, de calore ac frigore, experimenta varia.* Cum natura regionis, in qua Auctor celeberrimus tum temporis degebat, instituendis experimentis de frigore optime faveat, hiemis ille acerbitatem in n[illegible] vertere non neglexit, variaque experimenta, magno sane [illegible] physicam commodo, instituit. Ac primo quidem quantitatem refractionis in glacie determinavit, eamque invenit talem, ut si radius ex aere in glaciem incidat, sinus anguli inclinationis se habeat ad sinum anguli refracti = *1000 : 713*. Quæ ratio cum secundum Newtonum in aqua pluvia sit = *100 : 75*, apparet inde, refractionem glaciei paullulum tantum ab illa differre, quam radius in aqua patitur. Ad naturam glaciei quod attinet, fuerunt, qui glaciem esse aquam rarefactam; iterum vero alii, qui condensatam putarent. Verosimile Auctori non videtur, omnibus corporibus, excepta sola aqua, id convenire, ut maius habeant volumen in fluiditate, quam in sua firmitate. Ad glaciem vero in specie quod attinet, invenit, aquam tubo cylindrico vitreo contentam, fluidam occupasse longitudinem *1168.* partium, congelatam vero replevisse longitudinem *1290* earundem partium. Durante quidem congelatione, ruptus fuit tubus aliquot in locis, sed mansit tamen cylindricus, & ad sensum eiusdem diametri cum priore, partibus ruptis sibi cohærentibus: unde Auctor infert, esse densi-

densitatem aquæ ad densitatem glaciei = *1290 : 1168* = *1000 : 905*, vel circiter = *9 : 8*, quæ vulgaris est sententia. Alio tempore, eodem experimento curatius instituto, invenit densitatem aquæ ad densitatem glaciei, ad instar crystallum purissimæ, = *1000 : 916*. Ab his progreditur ad determinandam quantitatem voluminis a nive & aqua, ex illa collecta, occupati; quod vero varie inter se differre, & modo ut *1000 : 634*, modo ut *1000 : 363*. sese habere reperit. Vasa aquam vel aliam fluidam materiam congelatam continentia, si subito calori admoveantur, rumpi, notissimum est. Hoc quoque experimentis Auctor confirmavit, phænomenon exinde explicans, quod calor, glaciei recens admotus, hanc ad ampliorem voluminis mensuram extendat, quo fit, ut vas, ob glaciem expansam satis iam extensum, & ruptioni adhuc vix resistens, hanc, modica accedente ulteriori dilatatione, tandem patiatur ac disrumpatur. Cohærentiam hoc phænomenon & nexum cum illo plane mirando casu habere videtur, quem Friewaldus observavit: qui, cum vas vitreum oblongum, aqua repletum, diabolos sic dictos Cartesianos continens, in conclavi non calefacto reliquisset, etiam a congelatione aquæ periculum instrumento metueret, subito accedens, ut illud museo calefacto inferret, offendit quidem aquam adhuc liquidam, sed cum vesicam superne alligatam premeret digito, ut diaboli subsiderent, dicto citius omnis aqua abiit in lamellas tenues glaciales, atque sic initium congelationis factum est. Vi aquæ in glaciem abeuntis, vasa ferrea vel quævis fortissima diffringi posse, Auctor quoque experimentis comprobat; nec non temperiem duorum miscibilium, eiusdem consistentiæ, sed diversæ temperiei, si invicem misceantur, ope experientiæ determinat. Nec glaciei elasticitatem prætermittit, ad quam investigandam paravit duos globos glaciales, diametri circiter duorum pollicum, ex aqua diu multumque cocta, æqualis inter se ponderis, & bene pellucidos. Hos suspendit in machina Gravesandiana collisionum, atque effecit, ut in alterutrum quiescentem incurreret alter celeritatibus successivis, ut *16* ad *20*, quibus quiescens obtinuit celeritates ut $9\frac{3}{4}$ ad $11\frac{1}{2}$, & globus incurrens, post collisionem

paullo

paullo etiam resiliit. Patet ex regulis collisionum generalibus, si glacies spectetur ut corpus molle, celeritates ortas ex collisione futuras fuisse ut *8* ad *10*; cum igitur observatæ fuerint paullo maiores, patet, etiam aquam per congelationem acquisivisse quidem aliquam elasticitatem, sed admodum parvam; si enim globi considerentur ut perfecte elastici, celeritates esse debuissent ut *16* & *20*. Idem consequitur ex aliis experimentis ab Auctore institutis. Globo nempe eburneo, cuius pondus *7*. semunc. quiescenti immisit globum glacialem *5*. semunc. celeritatibus ut *10*. *15*. *20*. quæ produxerunt post collisionem celeritates ut $5\frac{3}{4}$, $7\frac{1}{2}$, & $9\frac{1}{2}$; aut cum iterum duos globos glaciales, quorum pondera erant ut *194* & *159* inter se committeret, quiescente maiore, & minore incurrente celeritatibus ut *5*. *10*. *15*. *20*, ortæ fuerunt post collisionem celeritates respectivæ maioris globi ut *3*. *6*. *9*. $11\frac{1}{2}$. Denique, ut alia brevitatis causa taceamus, examinavit quoque experimentum illud, quod in Experimentis Academiæ del Cimento legitur, ubi frustum glaciei, pondus *500* librarum tenens, oppositum speculo cavo, frigus ad thermometron repercussisse perhibetur. Cupidus admodum spectandi huius phænomeni, curavit duo frusta glacialia, dura & valde pellucida, ita locari, ut parietem quasi formarent pedes *4* altum, *5* longum, & *2* crassum, superficiem itaque tenentia simul *20*. pedum quadratorum Londin. & soliditatem *40*. pedum cubicorum, qui consequenter fuerunt ponderis *2280*. librarum. Huic massæ glaciei, plus quam quadruplo maioris illa, quam Academici Florentini adhibuerunt, opposuit speculum causticum metallicum diametri $2\frac{1}{8}$ ped. Lond. In focum huius speculi collocavit bullam superiorem thermometri Drebbeliani, ob insignem & conspicuam eius nobilitatem adhibiti. Quibus ita præparatis, integrum speculum obduxit velamento laneo, atque tamdiu moratus est, donec thermometron in perfecto statu quietis esset, quo obtento revelavit subito speculum, & sollicite attendens ad thermometri mutationem, ne minimam quidem unquam observavit, etiamsi in variis speculi a glacie distantiis, variisque caloris aeris gradibus experimentum repetitum fuerit.

Quæ

Quæ vero in quolibet caſu fuerit diſtantia glaciei & thermometri a ſpeculo, Auctori adiicere non placuit. De *Eiusdem obſervationibus meteorologicis, annis* 1742. & 1743. inſtitutis, hic nihil eſt, quod dici omnino queat. Quamobrem ad *Eiusdem* diſſertationem *de denſitate metallorum ſecum permixtorum* pergimus. Duo ſunt hydroſtatices præcipua problemata, alterum: dati corporis cuiuſcunque denſitatem comparare cum denſitate alicuius fluidi; alterum: ex datis voluminibus & ponderibus ſimplicium duorum, aut pro lubitu plurium, in mixtum aliquod ingredientium, futuram denſitatem mixti prædicere. Utrumque duplici nititur fundamento; primo, pondera, ſeu maſſas, duorum quorumvis corporum eſſe in ratione compoſita denſitatum atque voluminum; altero: corpus quodcunque ſolidum, immiſſum vaſi aqua penitus repleto, expellere tantundem aquæ ex hoc vaſe, quantum voluminis ipſum occupat. Hæc problemata, ob ſuam ſingularem & amoenitatem & utilitatem, Auctor in hac diſſertatione latius proſequitur, & poſitis ponderibus trium miſcendorum reſp. $= P, p, \pi$, iactura ponderis in aqua $= A, a, \alpha$, ac denſitate aquæ $= h$, invenit ſecundum regulam vulgarem denſitatem mixti ex tribus ingredientibus $= \frac{h\,(P+p+\pi)}{A+a+\alpha}$ ſed huius problematis inverſum, ne in unico quidem caſu ſolvi poteſt, quia numerus quantitatum indeterminatarum, problema ingredientium, numerum æquationum ſuperat, & ſic problema indeterminatum evadit. Niſi itaque in datis caſibus una aut plures novæ circumſtantiæ præſto ſint, ut problema fiat determinatum, nullo artificio hydroſtatico deprehendi poterit, qua proportione ſint commixta, quod in infinitum variari poſſunt. Quia tamen exſtat methodus aliqua determinandi pondera & volumina trium ingredientium, ex cognito pondere mixti & volumine naturaque ingredientium, hæcque methodus tam ſpecioſa eſt, ut ipſi Auctori aliquamdiu illuſerit, Auctor illius fraudem, ne alios in poſterum quoque fallere poſſit, detegit, oſtendens, æquationes ope huius me-

 thodi

thodi inventas, quamvis numero plures ſint, tamen revera eſſe pauciores, quam ad ſolvendum problema requirantur, ita, ut v. g. in caſu trium permixtorum ad duas tantum reales reducantur, tertia vero ab iſtarum duarum alterutra ſola ſimulatione & expreſſione diverſa ſit. Supererat alia adhuc conſideratio, utrum ſcilicet aeris, in quo corpora ponderantur, ratio habenda ſit nec ne? ſi denſitatem eorum exacte determinare quis velit. Amittunt enim in aere aliquid ſui ponderis corpora, quod facile ad calculum revocari poteſt. Sed cum animadvertiſſet Auctor, differentiam denſitatum hinc oriundarum in corporibus minutis, qualia plerumque in experimentis adhibentur, vix eſſe ſenſibilem; hanc methodum non adhibuit, ſed ordinariam ſecutus eſt, negligendo particulam iſtam ponderis, quæ ab aere ambiente abſorbetur. Quum itaque in promtu ſit, prædicere, quænam denſitas oritura ſit ex datis quibusdam ingredientibus, denſitatemque ipſam, in mixto ortam, explorare ex regulis hydroſtaticis; campus latiſſimus hic patet, theoriam hanc cum experientia comparandi, quem in finem, diverſa metalla inter ſe permiſcendo, maxima cum cura experimenta inſtituit, mixtorumque denſitatem, ope regulæ ſupra dictæ, exploravit. Ex his inſtitutis atque ad unum recenſitis experimentis, fieri non potuit, quin animadverteret Auctor celeberrimus, quod ab aliis iam obſervatum conſtat, metallorum hoc pacto commixtorum gravitatem ſpecificam modo augeri, modo minui. Cauſſa harum ſeceſſionum a regula magna difficultate laborare, intimamque metallorum cognitionem requirere Auctori videtur: quare cum vera cauſſa efficiens in promtu non ſit, id tantum agit, ut eas, quas quis veras ſuſpicari poſſet, excludat ac removeat. Experimenta docuerunt, mixtum ſemper minoris eſſe ponderis, quam quod tenebat ſumma duorum ingredientium; & aurum quidem, cum argento miſtum, quam minimum detrimentum ponderis pati, ac a denſitate regulari quam minimum recedere. Conſtat porro ex certiſſimis experimentis, multa cum cura inſtitutis, metalla, ſtannum præcipue, cuprum & plumbum, durante diutius fuſione,

ſione, ponderis incrementum ſenſibile acquirere. Non ſine probabilitatis ſpecie igitur quis opinari poſſet, ex ſolo ingredientium orto ponderis incremento vel decremento, effectus modo dictos explicari poſſe, ita, ut ſemel per experimenta determinato incremento vel decremento ponderis in caſu ſpeciali, illud dein pro ſtanti aſſumtum, ad ceteros caſus applicari, & inde differentia denſitatum explicari queat. Ducto vero calculo rem non ſuccedere, ſed a veritate & experientia nimis aberrare, apparuit. Altera ratio, quæ forſitan in ſubſidium vocari poſſet, hæc eſt: metalli denſioris particulas, durante fuſione, partim metalli rarioris poros intrare, ita tamen, ut exinde huius volumen non augeatur, ſed recepta ponduſcula libere, ac ſine ſuarum partium extenſione, in ſe contineat. Ponantur pondera corporum miſcendorum P, p, eorum volumina V, v, unde denſitas mixti, poſita denſitate aquæ $= 1$, erit $= \frac{P+p}{V+v}$. Poſito vero, particulas denſioris ſeſe recipere inter particulas rarioris, ſumma voluminum $V+v$ neceſſario minuetur quantitate v. g. d, quamobrem habetur denſitas $= \frac{P+p}{V+v-d}$, quæ conſequenter ſemper maior eſt denſitate priori $\frac{P+p}{V+v}$. Exinde ergo explicari non poſſe Auctori videtur, quo pacto metalla quædam per fuſionem fiant rariora. Idem incommodum oritur, ſi particulæ rarioris intrare ponantur interſtitia denſioris: quamobrem hæc cauſa, ad explicandum utrumque effectum, minus ſufficere Auctori videtur, niſi forſitan ex permiſtione particularum nonnunquam oriantur interſtitia maiora, ſicuti fit, ſi v. g. cubis globi intermiſcentur. Hoc enim pacto voluminum ſumma $V+v$ augetur quantitate v. g. d, unde denſitas $= \frac{P+p}{V+v+d}$, quæ ſemper minor eſt denſitate ſupra inventa $\frac{P+p}{V+v}$, ubi tamen per ſe

 patet,

patet, valorem quantitatis *d* inconſtantem fore, & pro diverſitate particularum, fluidorum permiſcendorum figuram modo maiorem, modo minorem eſſe, immo plane in quantitatem negativam degenerari poſſe: quo facto habebitur caſus, in quo particulæ denſioris in interſtitia rarioris ſeſe recipere poſſe dictæ ſunt. Sed Auctor pergit, & quid ab utriuſque explicationis combinatione exſpectandum ſit, experitur, hocque pacto phænomena ſatis commode explicari poſſe invenit. His quartam adhuc adiicit hypotheſin, ſtatuens 1. utrique metallorum ingredientium, durante fuſione, aliquid ponderis decedere; 2. ex metallo denſiori tranſire portionem quandam in poros rarioris; & 3. hanc portionem tranſeuntem augere aliquantum etiam volumen rarioris: hancque hypotheſin adhuc minus a veritate recedere, ac latius patere quam priorem, docet. Poſt hunc *G. W. Richmann* oſtendit, *qua ratione inſtrumentum, quo quantitas aquae, calore atmoſphaerae naturali ex ſuperficie aquae certa in aerem elevatae, commode menſuretur, conſtrui debeat.* Totum compendium huc redit, ut per operculum vaſis perforatum demittatur cylindrus vel alius tubus cavus, per quem fluidum in vaſe contentum cum aere communicare poſſit. Hoc enim pacto clarum & perſpicuum eſt, aquam in vaſe contentam tam celeriter in vapores abire non poſſe, ac ſi integrum vas apertum eſſet; hinc aqua pluvia excepta ſucceſſive, ſicuti excepta eſt, vaſi infundi poteſt, nec metuendum eſt, ut, tempore pluvio forſitan per aliquod tempus non incidente, aqua interea in vaſe evaporando abſumatur. Pergimus ad *Ioſ. Weitbrecht de vera ſignificatione proceſſuum mammillarium cerebri.* Quamvis nemo negaverit, ad diſtinctam rerum cognitionem, & evitandam idearum confuſionem, plurimum conferre, ut res quælibet proprio nomine ſuo deſignetur, tumque perinde eſſe, qualecunque nomen fuerit, dummodo, quid per illud intelligendum ſit, ſtricte definiatur: tamen ſimul cavendum merito eſt, ne nomina eligantur falſa aut incongrua, quia ſæpe accidere poteſt, ut eiuſmodi incongruæ denominationes, falſam quoque ipſius rei ideam animis ingenerent. Ex pluribus eiuſmodi

modi exemplis, in Anatomia occurrentibus, Auctor processus mammillares cerebri delegit, per quod nomen veteres quid intellexerint, & quatenus illud nervis odoratus in homine competat, partim ex historiæ anatomicæ fontibus, partim ex ipsius rei natura, explicare constituit. In aprico est, processuum cerebri mammillarium denominationem, ex brutorum sectione traxisse originem, cui certæ quædam cerebri extuberantes appendices occasionem dederant. Quis vero hos processus primum mammillarium & papillarium nomine insignierit, non æque constat. Probabile autem Auctori videtur, temporibus Vesalii demum hoc nomen invaluisse. Quisquis autem huius denominationis Auctor fuerit, concedendum tamen est, illam omnino cum processuum figura satis convenire. Origo, directio, & terminus horum processuum, effecere, ut veteres illos pro olfactus organo habuerint, & præterea cerebri pituitam per eosdem expurgari crediderint. Favebat huic opinioni interna cavitas, quæ cum ventriculis ipsis per meatus singulares manifesto communicat. Quæ cavitas & communio, uti negari nequit, ita isti expurgationi obstat, quod illa cavitas in ipsas nares non pateat, quo habitu isti processus etiam pro veris olfactus organis haberi nequeunt. Quo minus autem hi processus inter nervos referrentur, singularis eorum forma & habitus impedivisse videntur. Quemadmodum vero multa ex brutorum descriptionibus in corporis humani historiam translata sunt, quæ tamen vel hic non reperiuntur, vel saltim nonnisi improprie iisdem nominibus insigniri queunt: ita etiam hic accidit. Postquam enim semel processuum mammillarium vel papillarium appellatio civitate anatomica donata esset; tales autem productiones illis brutorum similes in homine non invenirentur, nec a Galeni opinionibus impune discedendum esset: multæ inde varietates ac dissensiones, immo confusiones, quarum iam Vesalius suo tempore mentionem fecit, inter rerum anatomicarum peritos obortæ sunt. Hæc dissensionum nubes ut discutiatur, Auctor mentem suam cordatius exponit, quippe cui processus Galeni, quando cranio ablato spectantur,

in brutis ſunt veræ productiones ipſius cerebri, & hi quidem proceſſus ſummo iure mammillares dici queunt. Hanc vero proceſſuum maſſam pro organo olfactus ſolo & immediato, inter nares & cerebrum nervorum ad inſtar communicante, haberi non poſſe, exinde probat, quod deprehenduntur in cerebri baſi veri nervi olfactorii, ſub habitu faſciolæ medullaris, albæ, qui cum ad eum circiter locum pervenerunt, ubi proceſſus in averſo latere a lobis cerebri diſcedunt, in illorum ſubſtantia corticali tuberoſa immiſcentur, ac quaſi ſepeliuntur. Sunt igitur etiam in brutis nervi ſingulares olfactorii, a proceſſibus Galeni, & nervis Diemerbroekianis diſtincti; quos cum nec a veteribus, nec a recentiorum quopiam obſervatos, vel ſaltim indicatos invenerit, figura aeri inciſa exprimere tentavit. Contra vero in homine tales cerebri productiones non dantur, quæ proceſſuum mammillarium nomen ſimili modo mereantur. Ad uſum quod attinet, quem iſti proceſſus in brutis præſtant, & quare illis ſola bruta gaudeant, homines vero deſtituantur, Auctoris ſententia hæc eſt. Supponit nimirum, ſubſtantiam nervorum olfactilium adeo mollem ac teneram eſſe, ut absque ſuſtentaculo in longitudinem protendi nequeant. Iam vero os frontis in homine iuxta criſtam galli utrinque in laquearis formam elatum, propter oculorum orbitas ultra oſſis ethmoidis laminam perforatam, quæ ad laquearis baſin in medio complendam concurrit, prominet; unde evenit, ut loborum cerebri apices quoque ſuper hac baſi in anteriora exporrecti, ipſum os cribriforme obtegant. Nervi igitur molles ad hæc loca pertingentes, in his cerebri lobis anterioribus commodam ſedem nacti ſunt, in qua molliter quieſcerent, & tenuis membranæ interventu ab omni rupturæ metu tuti colligerentur; ſiquidem & propter nervorum bulbos ovales ſingularis foveola inter anfractus cerebri utrinque exſcalpta eſt. At vero in brutis alia eſt cranii conformatio. Nam orbitæ oculorum non priori calvariæ loco, ſed lateraliter poſitæ ſunt, & quidem paullo altius & poſterius, quam os ethmoidis. Neque oſſa cribroſa in baſi calvariæ horizontalem ſitum habent, ſed ad

ad latera interfepti medii offis frontis angufta cavitas offea nares verfus producitur, cuius fundum refpectu bafeos calvariæ perpendiculare foraminibus pertunditur, quibus ex altero narium latere canaliculi cartilaginci arcuati, pectinatim in orbem difpofiti refpondent. Hinc anterior frontis offium fedes principio non in altum eminet, fed propter infignes finus lamina cranii interior valde depreffa, poftquam ad formandam dictam cavitatem concurrit, tum demum paullatim affurgit, & turgentibus cerebri hæmifphæriis locum concedit. Propter hanc igitur fingularem offium conformationem, non tota cerebri anterioris maffa ad nares usque pertingit, fed ad marginem cavitatis illius fuperiorem, retufis apicibus fubfiftit, & fola portio aliqua fub habitu brevium proceffuum exporrecta, cavitatem iftam adimplet, quæ mollem & medullarem nervum olfactilem, ob amplitudinem offis cribrofi, in minutiffima fila difperfum, fubftantia corticali amplecteretur, involveret, & tuto ad cribri foramina deferret. Sequitur *de tincturis metallorum* tractatio chymica, Auctore *Mich. Lomonofow*. Quam variis & admirandis prorfus metalla gaudeant qualitatibus, inter rerum peritos abunde conftat. Quædam enim diverfis iifque elegantibus coloribus ludunt ac fuperbiunt, nonnulla autem fordido velamine cooperta funt, & vilius quidquam repræfentando, imperitorum oculos eludunt. Ita nobilium metallorum facies plerumque obfufcatur, fucatur fæpe ignobilium. Nec metallorum, quæ iam defæcata in ufum adhibentur, fine pari admiratione poffumus indolem contemplari, quod tam duro corpori tam tenax tractabilisque infit ductilitas, quodque cæcos montium receffus tam fulgida, & luce dieque digniffima occupent corpora. Atque iftæ quidem funt qualitates, quæ metalla a reliquis corporibus diftinguunt, ut ea per corpora fulgida & ductilia Auctor putet congrue definienda. Memoratæ qualitates corporum ullam mutationem fubire nequeunt, nifi in eorum partibus infenfibilibus mutatio aliqua contingat. Hæc vero contingere nequit, nifi corpori vel aliquid accedat, vel decedat, vel corporis partes trasponantur. Metalla enim

enim ignobilia dum calcinantur, vapores emittunt, ſenſum olfactus adeo ferientes, tuſſimque excitantes, & plumbum, dum in furno docimaſtico in vitrum urgetur, fumum emittit oculis ſpectantium, ut vix dubitari queat, quin ignobilium metallorum calcinatio & vitrificatio fiat ob deceſſum partium. Quamdiu volatile hoc ignobilium metallorum miſcibili inhæret, fulgor metallicus & ductilitas manent incolumes; quamprimum vero ignis violentia abigitur, metalla in cineres ſatiſcunt, & tandem in maſſam fragilem minus fulgentem conflantur. Unde perſpicuum eſt, fulgorem & ductilitatem metallorum ignobilium, a volatili illo principio pendere. Quoniam igitur memoratum miſcibile metallorum volatile formam metallicam illis conciliat, eaque fulgido colore quaſi tingit, Auctor illud tincturæ nomine haud incongrue inſignire non dubitavit. Hanc itaque metallorum tincturam in præſenti Auctor conſiderat, eamque, quod ad metalla ignobilia attinet, ex inflammabili ſubſtantia, quæ alias apud chymicos Phlogiſton appellatur, præcipue conſtare probat, & ſulphuris phlogiſton metalla in tellure tingere docet. Ratio vero cur metalla & fulgore & ductilitate tantopere inter ſe differant, quærenda eſt in reliquis metallorum miſcibilibus, quæ phlogiſto varia proportione admixta, ſimul cum illo in ſuperficie cuiuslibet corpuſculi metallici mixti hærent. Etenim cum fulgor & ductilitas a phlogiſto proficiſcantur, ſequitur, metallorum, quæ magis fulgida & ductilia ſunt, ſuperficiem denſius phlogiſton occupare, quam eorum, quæ minus fulgent minuſque ductilia ſunt. Adeoque, ubi inflammabile minus ſtipatum ſuperficiei corpuſculorum mixti adhæret, ibi neceſſe eſt, ut particulæ aliorum miſcibilium illis ſint interpoſitæ, vel per eius interſtitiola proſpiciant, quæ quales ſint, ulterius A. proſequitur. Sub finem analogicam coniecturam de metallorum tranſmutatione adiicit, quam a tranſmutandis eorum tincturis proficiſci poſſe exiſtimat, ſuſpicans, ſi quis in arte chymica verſatiſſimus, phlogiſton concentratiſſimum, & ab heterogeneis ſollertiſſime defæcatum poſſideat, eum metalla ignobiliora, tinctura impuriore expulſa, in nobiliſſimum metallum præci-

præcipitare, & convertere posse. Finem facit *G. W. Richmann, de electricitate in corporibus producenda, nova tentamina.* Auctor celeberrimus, instituendis & imitandis experimentis electricis occupatus, hancque sibi operam aliquando feralem futuram tunc temporis nescius, offendit 1. quædam phænomena, ab iis Auctoribus, qui de electricitate varia annotarunt, non observata: 2. novam methodum, commode instituendi experimenta & examinandi corpora, quæ originariæ, & alia, quæ derivativæ tantum electricitatis sunt capacia: ac denique 3. sub mensuram etiam aliquatenus productam electricitatem revocare annisus est. Cum vero instituendis hisce experimentis, machinam a Gravesandio in Elem. Phys. descriptam animadverteret minus commodam, eam quodammodo emendavit. Quibus expositis, ceterum apparatum breviter & distincte describit, atque experimenta eo apparatu facta, & gravitate rei, & cura qua fuerunt instituta, se maxime commendantia, subnectit.

Classem tertiam, historica continentem, occupat *I. H. Schulzius, in describendis numis quibusdam rarioribus* totus occupatus: quos cum ille tam breviter, succincte tamen, hic exposuerit, ut eorum descriptio arctius contrahi omnino nequeat, hic breviter indicasse sufficiet. Sunt vero sequentes: 1. *Duo numi Gelensium,* quorum unus æneus exhibet caput Iovis diademate cinctum, ΓΕΛΩΙΩΝ, in aversa parte vero, Herculis barbatum caput, & exuviis leoninis tectum; alter, itidem æneus, sistit caput Iovis laureatum, ΓΕΛΩΙΩΝ = Caput Herculis imberbe, leonis exuviis tectum. 2. *Numi Traiani & Iustiniani, Augg. quibus barbati exhibentur.* Ille æneus sistit Caput laureatum & barbatum, *IMP. CAES. TRAI. AUG. GERM.* = Verrem vitta redimitum. S.C. hic, quoque æreus, caput, cum parte pectoris, diademate ornatum & barbatum, *DN. IUSTINIANUS P. P. AUG.* = in area *M.* ad cuius utrumque crus stella, supra crux, infra *CON.* 3. *Galeriae Valeriae Aug. numi illustrati,* omnes ænei. Primus exhibet caput Augustæ capillis ita comtis, ut ad similitudinem exuviarum leonis accedere videantur, a temporibus surgente ornamento,

mento, lauri foliis ſimili; *GAL. VALERIA AUG.* = Figuram femininam ſtantem, dextra pomum, ſiniſtra ſtolam elevantem: hinc ſtella, illinc luna, *VENERI VICTRICI.* Sub pedibus litterarum detritarum evanida exſtant veſtigia. Alter, caput Auguſtæ ad pectus cum ſtola, capillis in modum galeæ compoſitis, *GAL. VALERIA AUG.* = Figuram ſtolatam ſtantem, ut in præcedenti. Eadem epigraphe; a dextris in area ſtella; a ſiniſtris Γ; ſub pedibus ſunt litteræ *SM: TS.* Tertius, caput Auguſtæ cum parte pectoris, capillo in modum exuviarum leonis comto, & monili baccato cincto. *FL. HELENA AUGUSTA*, = Feminam, ſtantem ſtolatam, dextra ramum tenentem, *SECURITAS REIPUBLICAE.* Sub pedibus videntur litteræ *BS*, intermedio ſerto. 4. *Numus Marcianopolitarum*, in quo conſpiciuntur capita adverſa *GORDIANI PII & TRANQUILLINAE AUG.* ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος ΑΝΤώνιος ΓΟΡΔΙΑΝΟC ΑΥΓουστος. CEB. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. in averſo: Femina ſtans, dextra ſpicas tenens, ſiniſtra ſcutum. ΥΠ. ΤΕΡΤΥΛΛΙΑΝΟΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. In area ſeorſum *E.* 5. *Numus Cyrenaeorum Ptolemaeo inſcriptus*, aeneus, integerrimus, & quem antiquum genuinumque firma & nobili ærugine fuſca cuivis exploranti ſe comprobaturum Auctor aſſerit. Conſpicitur in eo caput dei Hammonis; = Aquila ſtans, fulmen Iovis ungulis tenens: inter utrumque pedem monogramma, illi, quod Chriſtianis poſt multa ſæcula placuit ad nomen Chriſti deſignandum, admodum ſimile. Ante aquilam cornu copiæ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. 6. *Numus Neapolitarum explicatus*, æneus, ſiſtens caput iuvenile comatum & laureatum, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ; in averſa parte vero, Minotaurum, ſupra quem roſa & littera Π, infra monogramma, litteras *A P* exhibens. Huic appendicis loco iungit argenteum, in quo conſpicitur caput laureatum, *VIRGILIUS MARO*, = Sol. 7. *Denarius argenteus Arabicus*, in Pomerania inventus. Faciem adverſam illam iudicat Auctor, qua primarium religionis Muhammedicæ ſymbolum conſpicitur.

Illud

Illud autem legitur in media arrea, idiomate Arabico: non eſt deus, præter illum unicum, non eſt ipſi ſocius. Circulus exterior hanc habet ſententiam huius tenoris: dei eſt negotium ante & poſt: & die illa lætabuntur fideles in auxilio dei. Partis averſæ area includit alterum religionis Moslemicæ articulum: deo. Muhammed eſt legatus dei. Circulus vero aream cingens, habet ſententiam ſequentem: Muhammed eſt legatus dei, quem miſit cum directione & religione veritatis, ut apparere faciat eam ſupra religionem quamcunque aliam, etiamſi renuant aſſociatores. Hi numi omnes ſuccincte explicati, adiectis figuris aeri inciſis illuſtrantur. Properamus ad obſervationes aſtronomicas, ubi celeberrimus *G. Heinſius, ſitum geographicum Iakuti* (Iakutſk), *urbis Sibiriae ad fluvium Lekam*, determinat. Tranſmiſſæ tunc temporis ad Academiam fuerant obſervationes aſtronomicæ, quas Kraſſilnikow, Geodæta expeditionis in Kamtſchatkam, Iakuti habuerat, pro determinando huius loci ſitu geographico. Latitudinem eius borealem, ex altitudinibus meridianis ſolis & fixarum ipſe definivit 62° 2', ad longitudinem vero cognoſcendam varias inſtituit obſervationes eclipſium lunæ & ſatellitum Iovis, occultationum fixarum a luna; ex quibus vero, ob defectum obſervationum reſpondentium, aliorumque requiſitorum, nullam concluſionem deduxerat. Noſter itaque, electis quibusdam ſatellitum Iovis eclipſium obſervationibus, differentiam meridianorum Petropolitani & Iakutenſis in hac diſſertatione definivit, eamque invenit = 6 hor. 37' 40" in tempore.

NUOVO FONTE DA CAVAR PRONOSTICI NELLE malattie diſcoperto, &c.

i. e.

NOVUS SIGNORUM PROGNOSTICORUM fons detectus, a Doctore IOANNE EBERHARDO ZEVIANI.

Veronæ, 1754. apud Antonium Andreoni.

in 4. plag. 10½.

 Novam,

Novam, durationes, moras, & pendentes inde eventus morborum, definiendi rationem se invenisse arbitratus est cl. Auctor, in distantia temporis causae externae ab effectu suo positam. Diligentissimis enim experimentis a se institutis deprehendit, cum subito, hactenus sano existente homine, morbus exortus esset, omnibus eius symptomatis uno veluti impetu erumpentibus, brevem illum extitisse, & pro aegri singularibus conditionibus, naturae vim iuvantibus, aut pro servata ipsa curandi methodo, per sua tempora provectum esse feliciter: ast longiores fuisse febres, cum causa longiore tempore praegressa esset. De febribus autem ephemeris, aliisque acutis simplicibus, sermonem tantum moveri, docet scriptionis altera pars, quae historica est, & exempla fidem asserto factura, excitat, utpote in qua nonnisi casuum febrilium, ab aeris aliqua iniuria excitatorum, continetur expositio. Et quilibet sane sponte intelligit, generalitatis vitio laborare legem hanc, nec perpetuam esse posse, qua morbi subito invadentes breves quoque esse dicuntur; quam longae sunt paralyses, hemiplegiae, etiamsi illae a causa aliqua occasionali celeri, subitaneo aliquo effectu, consequuntur? ut alias causas repentinas longorum morborum nunc praetereamus. Igitur novus ille signorum fons febres tantum acutas attinet, quae hoc longiores semper esse dicuntur, quo longiori spatio causa occasionalis praecesserat. Quando enim celer naturae est expeditio & febris, statim, ex quo eius causa corpore suscepta fuit, incalescit: signo illud est, constare vires, quibus ad morbum per sua tempora celeriter transvehendum opus est; harum scilicet sufficientia non potest non celeriorem expeditionem promittere, quam sperari potest cum vires languent. Tunc enim longius abesse iudicationis diem coniicimus, si febris cum languore invadit, & lento aliquo veluti reptatu procedit. Observavit Cl. Auctor, cum octavo, postquam causa invasisset, die, eius demum effectus in febre mota comparuit, febrem quoque ipsam octavo demum die iudicatam fuisse: refertque exempla eorum, qui, cum eodem die, eadem causa, frigore scilicet post sudores, afflicti fuissent, aequali progressione

ſione, & pari dierum criticorum numero, pari etiam eventu, morbi negotium abſolverunt. Inde etiam fit, ut eo longiores ſemper morbos eſſe oporteat, quo cognitæ minus illorum cauſæ ſunt, & non tam ab aliqua prophaſi aut occaſione luculenta, quam a ſpontaneis erroribus, in homine ſenſim natis, exortæ fuerunt. Proinde magnum ſemper momentum tam curationis rite inſtituendæ, quam prognoſis formandæ, in eo ponitur, ut affectiones hominis morbum prægreſſas, quas *propathiam* græci vocant, medicus recte percipiat: nec enim omnes ſtatim invadunt febres, nec omnes in univerſum morbi derepente irruunt, ſed aliquos haud pauci præmittunt nuntios. Maxime autem ad vires hominis in ſtatu illo, qui inter ſanitatem & morbum medius eſt, reſpiciendum erit, quarum deiectio, quæ veluti aliqua naturæ eſt deſperatio, longos hos labores fore denuntiat; utque febris lenta aliqua evolutione erumpit, ita certum eſt, cauſam eius ſolidis tenacius inhæreſcere, quando, ſi quæ ſubito in flammam erumpit, coniecturæ locus eſt, in motu tantum & quantitate humorum cauſam eſſe poſitam. Etiamſi autem in novo hoc ſignorum fonte, multum penes cel. Auctorem fiduciæ eſt: neutiquam tamen ille alia celeritatis vel tarditatis morborum, qua procedunt, ſigna ſuperhabenda eſſe exiſtimat, ſed, quid ſymptomatum gravitas, quid temporis, in quo morbus reſpectu ſuæ durationis eſt, ratio, ſecum afferat, quid ex illis, quæ de corpore fluunt, iudicari ad definiendam febris brevitatem vel longitudinem poſſit, exponit fideliter, excitatque omnium veterum monumenta, atque ex illis, doctrinam de morborum iudiciis, erudite, ornate, & ad artem faciendam utiliter, ſuccincto aliquo, aſt ordinato ſchemate, delineat.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII DISSERTAtio, de Secta non timentium deum, ſeculo XIII. vel enata vel efficta, exhibens ſtatum eccleſiae reique litterariae, ac diſſidia inter imperium & ſacerdotium, inprimis originem famoſi dicterii, ac commentitiorum ſcriptorum, de tri-

bus impostoribus. Accedit Supplementum diplomaticum.

Brunsvici, 1756. impensis Orphanotrophei. 8.
12 plag.

In aetatem ac imperium Friderici II. cumulavit fortuna casus varios, ac in utramque partem spectabiles. Averroës & Almericus, ad Pantheismum delapsi. Imperator ipse in suspicionem haereseos incidit. Adiunxit Io. Harduinus, Iesuita, ad tempus Severi Archontii officinam, imposturis plenam. In id tempus, quo Fridericus II. floruit, collatum fuit illud dicterium famosum *de tribus impostoribus*, quod frustra Imperatori Edelmannus adfinxit, a Friderico ipso, & aliis deinceps confutatum. Recentiores in Friderici illius aetatem, fictione abutentes, originem scriptorum *de tribus impostor.* contulerunt, Papis Romanis, Gregorio IX. & Innocentio IV. severioribus. Quantum differat imago status episcopalis seculorum ecclesiae primae Christianorum a statu seculi XIII, Auctor significavit, praeter reliqua illa capita, in praefatione. Anno 1247. nam ad tractationem progrediendum est, Wil-
Pag. 30. helmus in Regem Romanorum Augustum fuit electus. Monacho Kirsgartensi ad eum annum teste, in comitiis Episcoporum decretum fuit ad Rhenum, ut ii, qui Wilhelmum sectarentur, nomine *timentium deum* appellarentur; ii autem, qui Friderici II. ac eius filium familiamque sequerentur, dicerentur *non timentes deum*, & ab universis ecclesiae sacramentis arcerentur. Secuti fuerunt Episcopi decreta Gregorii IX. ac Innocentii IV, qui Fridericum II. e communione Christi & ecclesiae eiectum pronuntiaverant, fulminibus interdicti ecclesiastici horrendis sublevati, & ad Petri vicariatum provocantes. Augerius, Iesum ipsum dixit in Papam fuisse electum:
33. Hadrianus II. docuit, successoribus Petri cunctos christianos fuisse traditos regendos. Ipsis in imperium Germanicum potestatem attributam fuisse creditum, inde a Gregorio VII. possessiones & iura Paparum Petro fuerunt adscripta. Haec dicta

cta sunt *regalia Petri,* ut intelligitur ex Henrici V. Imperatoris ad annum 1122. diplomate, quod Auctor curatissime edidit p. 162. Qualem sibi Innocentius III. auctoritatem ex Petri vicariatu tribuerit, patet ex eius epistola ad Gregorium, Latinum Armeniae Episcopum. Comparatus fuit Papa cum Pag. 35.
sole, Imperatores ac Reges cum luna. Innocentius idem, Henrico VI. defuncto, Ducatum Romae & regiones complures occupavit, ac ipsas Mathildis terras. De *legationibus obedientiae,* Romam missis, deinceps differitur. Indoles *regnorum obedientiae* describitur. *Orthodoxi* vocati, qui Papis morem ge- 38.
rebant. Origo osculationis, pedibus Romanorum Pontificum adhibitae, ac ipse progressus, indicantur. Delineatur coelum 41.
portatile pretiosum, quo Innocentius IV. a. 1151. fuit exceptus. Humilis sui abiectio, qua Imperator Romae coronandus humi procubuit, exponitur ex *ordine Romano.* Gregorius IX. duos sibi tribuit gladios. Rationes, cur Fridericum II. habuerit invisum, edisseruntur. Effecta eius odii adiiciuntur. Friderici II. ac Innocentii IV. odia mutua significantur. Lites de iuribus *Regis Siciliae* coeperunt. Inquiritur in initia 43.
huius regni, ac diadematis regii, a primo Rege Normanno 46.
per Siciliam suscepti. Rogerium a. 1129. suo arbitrio regium nomen & diadema sumsisse, docetur. Displicuit Episcopis consuetudo Friderici II, cum philosophis frequentata. Averroes cum filiis duobus, in aula non Friderici I, sed Friderici II, fuit versatus. Huius Imperatoris studia, liber, & 50.
in eruditionem ardor, exponuntur. In errores Averrois inquiritur, pantheismo faventes. Almaricus Carnotensis, scriptor libri pantheistici, cui nomen *Pisum,* cum libro iussu 54.
Episcoporum damnatus, ac Parisiis combustus. Averrois sententia, quae intellectum mentibus universis unum ac communem asseruit, philosophos Italiae passim infecit, a Thoma Aquinate, aliisque doctoribus refutata. Obiecta fuit Friderico II. errorum contagio, a Graecis & Arabibus philosophis contracta. Adiecta & criminatio per dicterium *de tribus impostoribus,* quod Henricus Raspo se ex Friderici ore au- 56.
divisse

Pag. 56. diviſſe perhibuit. Viſus fuit Fridericus fidem derogaſſe transſubſtantiationi, ac cerimoniis ei ab Honorio II. a. 1220. adiunctis, ſacram tamen coenam, licet interdicto plexus, ſumſit cum maiori Papæ indignatione. Gregorius IX. ei a. 1239. publice tribuit averſum a doctrina animum, nec non
61. dicterium illud famoſum. Oppoſuit ei Fridericus publicam ſui apologiam. Reclamavit ipſe criminationi per epiſtolam publicam, ad Reges chriſtianos miſſam. Innocentius eam a. 1245. in concilio Viennenſi repetiit, impatiens ibi audiendi vindices, qui cauſam Friderici aderant peroraturi. Crimen huic obiectum, mera in ſuſpicione, neque comprobata, verte-
64. batur. Fabuloſa eſt eorum narratio, qui exiſtimant, Fridericum per Averroen ſcribendum curaſſe librum illum famoſum, *de tribus imp.* & ad Othonem Illuſtrem, Bavariæ Ducem, miſiſſe. Fabulam ornavit ille, qui Hagæ Comitum 1716.
68. evulgavit gallice *Reſponſum ad Diſſertationem de la Monnoye.* Epiſtola Friderici II. commentitia, gallice ſcripta, a Noſtro adſertur. Inſidiæ Pontificum in Fridericum II. ex teſtimoniis veterum recenſentur. *Reſponſi* illius argumentum indicatur; nec non libri maioris gallici, unde hoc traditur deſumtum. Differt ab utroque libro famoſus ac vetuſtior liber, *de impoſturis religionum*, aliquoties typis publicis expreſſus.
72. Vidit eiuſmodi exemplar ipſe Auctor. Oſtenditur huius libri ac illius, cuius eſt initium, *quoiqu'il importe*, origo ſat recens & fraudulenta. Adduntur ea, quæ ad Friderici II innocentiam ſpectant. Suſpicio hæreſeos non ſoli Friderico attributa,
75. ſed in filium quoque eius & nepotem traducta fuit. Innocentius IV. *filium* iudicavit *deo rebellem, nec unquam imperio praeficiendum*, ob hereditarias opinionum perverſitates. Clemens IV. ob candem cauſſam abhorruit a Conradino. In Suevia a. 1248. exorta fuit ſecta, Conrado IV. dedita, quæ odio proſecuta eſt graviori faſtigia hierarchiæ ipſa, ſibi
79. iuſto altiora viſa. Deſcribitur ſectæ animus, & agendi ratio, Othoni Bavaro communis. Expeditio cruciata fuit illi ab adverſario oppoſita. E contrario *Apoſtolici* in Germania & Italia

Italia coeperunt, reformandam esse ecclesiam, dictitare. Sectæ aliæ multum Papis facessiverunt negotii, quo maior his erat cura de orbe terrarum sibi suæque ecclesiæ subiiciendo. Sed & proceres imperii Germanici se Papis opposuerunt, Imperatores pro arbitrio designaturis. Italiam impleverunt homines, a sede Romana dissentientes. Vaticinia Ioachimi passim summi æstimata, & ad Fratricellos aliosque traducta. Irritati ac incensi homines, quibus nomen *non timentium deum* fuit impositum, tantum turbarum Pontificibus inviti dederunt, quantum ad imminuendam Paparum auctoritatem sufficeret. Turbis his, per aliquot posthæc secula, Pontifices frustra medelam quæsiverunt. Quid per *plenitudinem potestatis* suæ designaverint Papæ, & quantum illi sibi acquisierint seculo XIII. iurium, sumserintve, exposuit Auctor, testimoniis fide dignis in rem suam usus. Diplomata tractationi subiunxit 104, ad unum omnia fere adhuc inedita, & pæne singula ad seculum XIII. referenda. Adparet ex iis pietas Friderici II. & filii Henrici pietas in res sacras; Pontificum & virorum de ecclesia potentia; indulgentiarum usus; invocatio sanctorum; & donatio multiplex, in societates sacras redundans. Multis inde familiis illustribus ac locis, iuribusque, conciliari potest lux & accessio.

MIRTISBI SARPEDONII, PASTORIS ARCADIS, de vera Atticorum pronuntiatione ad Graecos intra urbem dissertatio, qua, cum ex historia, tum ex veterum Graecorum Latinorumque testimoniis, perspicue ostenditur, quam longe hodierna Graecorum pronuntiatio a vetere discesserit.

Romæ, apud Venantium Monaldinum, & Nic. Pagliarinum, anno Iubilæi MDCCL. ex typographia Hieronymi Mainardi. Superiorum facultate.

pl. 7 ½. in 4.

Hæc accurata tractatio continet, post προλεγόμενα, tres partes. Ibi præmittitur stricta narratio de linguæ Græcæ primordiis, incrementis, & fatis, neque minus

controversiæ κρινόμενον statuitur. Pars prima docet, linguam
hodiernam Græcorum admodum defecisse a veterum Athe-
niensium consuetudine, quod attinet ad phrasin ac pro-
nuntiationem, & oppositas deiicit argumentationes. Altera
accuratius exponit, in quibus denique vocalibus, consonan-
tibus, ac diphthongis, a veterum pronuntiatione discessio facta
sit; ubi disputatur de *B* consonante, deque vocalium sono,
nominatim autem *eta* tamquam *ε* longum pronuntiari debe-
re, monstratur ex alphabeti linguæque Græcæ natura, testi-
moniis Latinorum & Græcorum per seculorum ordinem, &
constante vocalis unius in aliam commutatione: expenditur
præterea sonus τοῦ Υ, & diphthongorum, ac respondetur ar-
gumentis *R. P. Gregorii Placentini*. Pars ultima de reliquis
agit eo pertinentibus, accentibus quippe Græcorum, & ver-
suum quantitate. Quibus *corollarium*, ut Auctor nomi-
nat, iungitur, exponens, quænam sit hodie via pronuntiationis
Pag. 2. eligenda. Notum est, quod initio Græci plures litteras nondum
habuerint. Hinc *Plinius* e. g. VII. 57. *priusquam Graecis
inter vocales repertae essent η & ω, vicem earum tum apud illos,
tum apud nos, explebant ε & ο.* O etiam scribi solitum pro
syllaba *U*, probatur; E autem pro ε & η. Sic in antiquissimis
inscriptionibus, inter quas est Atheniensis illa, quam adfert
Sponius, (in *Poleni* Thes. T. IV. p. 1278.) ubivis occurrunt
ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ, ΕΥΦΑΝΕΣ, ΔΟΡΟΘΕΟΣ cet. Idem
post receptum η & ω factitatum esse, nummi quidam ostendunt
apud *Vaillantium*, & alii, quos ex observationibus *Schmidtii
Wetsteiniique* recenset *Io. Clericus*, in *bibliotheque ancienne &
3. moderne* T. VII. Magnum eorum numerum exhibet *il Te-
soro Britannico del Sig.* N. F. Haym, p. 51. sqq. Nimirum,
tunc a sculptoribus & aliis, nominatim Atheniensibus, ε & η,
quod plurimis exemplis ostenditur, promiscue solebant adhi-
beri. Ceterum, ut elementis, sic & aliis rebus, incrementa
coepit maxima Græcorum sermo, donec ἀκμὴν παρακμὴ,
sive corruptio sequeretur, qua quidem hodieque laborant
Græci. Cum eadem admodum facile confirmentur: potior
8. nobis est quem controversiæ statum adpellant. Ita vero quæ-
ritur,

ritur, utrum lingua, quæ Platonis, Demosthenis, & æqualium
ætate tantopere floruit Athenis, eadem sit cum illa, quam in
scholis ac templis usurpant hodieque litteris in Græcia pollentes,
an quid contraxerit vitii? Demonstratur autem posterius:
ad phrasin quod attinet, breviter, idque tam testimoniis, quam
experientia; quod ad sonum autem, fusius ac distinctius.
Huius ergo membri nobis etiam quædam notabilia dicentur.
Spectat eo *Platonis* locus in Cratylo, vocabulum ἡμέρας ex- 16.
plicans, eiusdemque pronuntiationem sic ostendens, ut inde
pateat, tunc diversum habuisse ε, η, ι, sonum; nostro quippe
iudice, η non tam exilem ac tenuem ut ε, sed potius graviorem,
ut magnificentius quiddam hoc modo exprimerent vocabula,
sonum habuit; quem hodierni Græci cum ι confundunt.
Auctori nostro calculum addit *Terentianus Maurus*, antiquissimus,
atque ut dicitur, æqualis *Martiali*, grammaticus.
Quando *Sarpedonius* accusat recentiores, quod διφθόγγους 18.
faciant μονοφθόγγους, & ταυτοφωνίαν aut μονῳδίαν ubique
molestam intrudant, per septem pluriumve litterarum
eundem sonum omnia confundentes: Auctor idem istud
vel inde falsum esse contendit, quoniam *Aristoteles*, in li- 19.
bris de *repreh. Sophist.* minuta quælibet investigans, nullibi
mentionem faciat deceptionis per similiter pronuntiata,
etsi diversis rationibus scripta vocabula: quod utique facturus
fuisset, si ι, η, υ, οι, ει, υι, η cet. prorsus eundem sonum
habuissent. At, dixerit aliquis, ita tamen omnes ubi- 20.
que terrarum hodierni Græci, Siculis & paucissimis aliis exceptis,
pronuntiant, quamvis alioqui vulgaris sermo plurimum
differat. Hoc autem, aliis linguis cum æque acciderit, fieri 21.
talia sensim sine sensu, *Waltono*, *Clerico*, nostro denique, testibus,
videmus. Inde potius quod sit factum, ostenditur per singulas
partes. Male β pronuntiari tamquam *v* Latinorum, ore 25.
quidem clauso tamquam *b* efferendum, *Plato* docet, in *Thaeeteto*,
dum τό τε σίγμα τῶν ἀφώνων, ait, ἐστὶ ψόφος τὶς μόνον,
οἷον συριττούσης τῆς γλώττης. τοῦ δ᾽ αὖ βῆτα οὔτε φωνή,
οὔτε ψόφος. Item *Ausonius: dividuum Betae monosyllabum* 26.
Italicum B nec non V *ferale sonans, Cecropiis ignota notis.*
Sic & *Mekerkius* se vidisse refert cantica Davidis, Latinis exa-

 rata

rata litteris, A. C. 1105. in quibus occurrebant: *basileus*, *uranu*, *autu*, *ecclesia* cet. nusquam *fasilefs*, *aftu*, *ecclisia* cet.

Pag. 27. *Plutarchus* etiam in Bysii mensis notationem inquirens, non posse quasi Φύσιος a nascendo dici, sed quasi πύσιος a con-

31. sulendo, cum istae demum litterae mutentur. Quod η sit *e* longum, docent contractio semper ex ε, ut plura *i* in ι contrahuntur, ut & verba in μι, praecipue cum inter α & η, testi-

32. bus *Rob. Stephano* ac dialectis, magna sit consensio. Idem confirmant *Varro* de R. R. II, 1. *Iuven.* sat. XIV, 200. *Per-*

33. *sius* IV, 13. *Martial.* V, 26. VII, 37. *Auson.* de litter. monos. *Augustin.* de doctr. Christ. II, 24. codex MS. seculi VII. a *Montfauconio* laudatus in *palaeogr.* ubi *beta*, *theta* cet.

34. dicuntur, & sic porro. *Plato* pariter in Cratylo semper fere η derivat ab ε, ἥρως ab ἔρως, σελήνη a σέλας, νέον & ἔννον, κίνησις ab ἴεσις cet. *Aristot.* poet. c. 21. vocalis brevis in longam mutatae profert exemplum, πέλεως, πόληως. *Eustathius* ad Hom. adfert versum tritum *Cratini*: ὁ δ' ἠλίθιος, ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ. λέγων βαδίζει. Idem probat permutatio

35. vocalium. Hac occasione iunguntur regulae duae, quarum altera est: *voces quae alia ex lingua desumuntur, relinquantur integrae; neque diversa inflexione ad alterius linguae genium accommodentur; altera: litterarum haec commutatio sit constans, neque paucis duntaxat, sed in omnibus paene vocibus reperiatur, una alterave fortassis excepta, quam usus & consuetudo velut alio vultu finxit.* Nectitur illis tertia: *natio quae peregrinas huiusmodi voces adsciuit, sonum earum naturalem calleat.*

37. Graecorum Υ sonum non tam acutum, sed dilutum magis, quam *i* Latinorum habuisse, vel ipsa notatio designat. Quare passim creditur τὸ υ non figura tantum, sed & sono respondisse *v* consonanti Latinorum, quam eo fere modo prolatam

38. a Latinis, quo Gallorum *u* fuisse, plures adferunt cum *Lipsio.* Diphthongos duplicem apud veteres sonum habuisse, roboratur inprimis auctoritate *Plutarchi sympos.* L. IX. ubi consonare

40. dicuntur. Excipitur modo εὐαγγέλιον, quod trium vocalium

43. concursus aliud postulet. Inter obiectiones a nostro confutatas sunt e. g. quod Germani *Tafel* forment a τάβλη, *stampfen*

pſen a *στέμβειν*, quod Græci *βάσκω* mutent in *Φάσκω*, *βλάζω* in *Φλάζω*, veriſſimum in *βηρίσιμον*, quibus per in- Pag. 46.
ſtantias, quas dicunt, reſpondetur. Ad *η* vero quod attinet, ſua facit ille *Montfauconii* verba ex palæogr. ubi quidem in marmoribus, numis, & exemplaribus ante ſeptimum Chriſti ſeculum, paucos *iotaciſmos*, ſive mutationes *τοῦ η* in *ι* obſervavit: in poſterioribus autem, præſertim a X. ſeculo, vitium illud invaluiſſe. *Tertia parte* perſuadet Auctor, *Ariſtotelis* 47.
auctoritate, *de elench. ſoph.* c. 3. ſcriptos antiquitus accentus 48.
non fuiſſe, ſed, inter loquendum, accentus, a ſyllabarum 49.
quantitate diſtinctos, a. h bitos eſſe credibilius noſtro videtur: cum ingens alioquin in loquendo debuiſſet oriri confuſio de vocabulis propemodum innumerabilibus, quæ ſolo accentu diſtinguebantur. Horum longum indicem habent *Criſpinus* & 50.
Budaeus in lexico. Sic *Demoſthenes*, pro corona, *μίσθωτος* ſtudio dicens, ab omnibus emendabatur, *μισθωτὸς* acclamantibus. Verſus autem, ut liberam orationem, ad accentus fuiſſe recitatos, non perſuadetur ab hodiernis Græcis noſtro, qui quantitatis leges præfert, & ex modorum poeticorum cum Latinis conſenſione, probat. Denique iudicium is interponens, 51.
eam hodie quamvis in pronuntiando ſequi nos rationem debere 52.
putat, quæ locis, ubi ſtudiis operam navat, accommodetur: neque tamen criminis magni poſtulat linguæ Græcæ doctores, ſi potius inſtillandis Atticarum dictionum formulis, quam inculcandis, nullo pæne fructu, accentibus, & encly ticorum regulis, recitationum tempus impendant.

NOVA LITTERARIA.

Quod ſæpe alias, iudicium BENEDICTI XIV. Pont. Max. ſapientiſſimi Principis, laudare nos atque extollere in his Actis noſtris meminimus, idem iſtud, nuper admodum, maximo Litterariæ Reipublicæ commodo, eminuit. Obierat Vaticanæ Bibliothecarius, QVIRINVS Cardinalis, quo nomine omnes eruditionis, perſpicaciæ, humanitatis laudes

continentur. Hic ne desideraretur, & ne eam iacturam lugerent quotquot bonis litteris bene cupiunt, providit BENEDICTVS. Successorem QVIRINO dedit DOMINICVM PASSIONEVM, R. E. Cardinalem, Virum eruditissimum, in quo, quid natura, cum doctrina & bonarum litterarum studio coniuncta, possit ad famam, & quae inde sua sponte provenit gloriam, illustri exemplo apparuit. Hoc igitur Vaticanae Bibliothecario, quid sperandum melioribus litteris, e divite illa penu Romana, sit, edito programmate, Bibliothecae Apostolicae Vaticanae Custodes, sacrae profanaeque eruditionis cultoribus, liberaliter indicarunt. Programma istud tale est: *Compertum iam erit, & in Sacrae Profanaeque Eruditionis Cultores pervulgatum, splendidis atque immortalibus* BENEDICTI XIV. *Pontificis Maximi in omne literarum genus promeritis, nuper hoc adcessisse, quod ad Literariam Rempublicam in dies ornandam augendamque, eruditissimum omnique laudis genere spectatissimum S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium* DOMINICVM PASSIONEVM *constituerit. Quam praeclare vero in eo munere tali tantoque Viro mandando Pontifex vere Summus, cui nihil placet quod non sit optimum, literarum bono atque incremento consuluerit, aperte res ipsa declarat. Ex quo enim Eminentissimus* PASSIONEVS *integram Apostolicae Vaticanae Bibliothecae possessionem adivit, pro ea qua pollet doctrina atque sapientia, iam tum ad opus mentem animumque convertit, cogitavitque in primis, quomodo de literis omnibus optime mereri posset. Quare Vaticanae eiusdem Bibliothecae Ministris in consilii societatem humanissime adscitis, quid sentiret, quid meditaretur, aperuit; deinde tum singulos, tum universos hortatus est, ut quaecumque penitioris eruditionis non ad Latinam minus, quam ad Graecam, quam ad orientalem etiam literaturam spectantia, aut nondum edita supererant, aut iam edita ob exemplarium paucitatem magnum sui desiderium facerent, illi & anecdota edendo, & iam vulgata adnotationibus illustrando, omnia in Reipublicae Literariae decus utilitatemque conferrent. Quumque permotos omnes inflammatosque videret, primo tamdiu expetitum desideratumque Vaticanae Bibliothecae Codicum Manuscripto-*

scriptorum, orientalium praesertim, Catalogum exornari, typisque mandari iussit, non illum tamen, qui nuda Scriptorum nomina, aut puros Voluminum titulos complecteretur, sed elaboratum, sed absolutum, perpetuisque observationibus instructum; ut omnes probe intelligant, Bibliothecam nullam unam esse, quae librorum vel pretio, vel copia, vel varietate possit cum nostra de principatu contendere. Ad praestantiores deinde Auctores edendos se convertit.

Quam ob rem ex Ebraeis prodibunt: Alexandri de Franciscis, Episcopi Forolivienfis, Observationes in Pentateuchum, *ubi aliquot Vulgatae Editionis loca, quae ab Ebraico textu dissona videntur, docte & erudite conciliantur. Liber praeterea* Zikuk; *id est,* Expurgatorium, *inscriptus, quo nimirum plures Ebraeorum libri a mendis, erroribus, & exsecrationibus in Christianos coniectis, purgantur, quemque Auctor diligentissimus, quisquis ille fuerit, ea mente consilioque elaboravit, ut Sacri potissimum Inquisitores probe noscerent, qui libri typis impressi, aut manu exarati, Ebraeis legendi retinendive permitterentur.*

Ex Graecis: Spicilegium, *sive Anecdota tum Sacra, tum Profana praeclarorum Scriptorum, quae vel diligentissimos Graecanicarum rerum Interpretes, atque Editores, hactenus latuerunt.*


Ex Latinis vero, praeter Epistolas ANTONII AVGVSTINI, PETRI VICTORII, LATINI LATINII, & CAROLI SIGONII, *Vitae & Opera omnia nondum typis commissa, Cardinalium* HIERONYMI ALEXANDRI, GVLIELMI SIRLETI, *aliorumque celebriorum S. R. E. Bibliothecariorum, nec non Vaticanae Bibliothecae Praefectorum, qui non tam de Bibliotheca ipsa, quam de universa Literaria Republica, optime promeriti iudicantur.*

Tandem facem praeferet omnibus, doctissimus ipse CARDINALIS PASSIONEVS. *Is enim quum a Lambecio & Pagio, Viris clarissimis, didicisset, quam manca esset, & quot mendis erroribusque scateret, celeberrimi* Codicis CAROLINI, *qui summa diligentia ac religione in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi adservatur, editio a Gretsero primum curata; quumque iteratis Sapientum votis novam adcuratioremque praestantissimi eiusdem*

Codicis

Codicis editionem quam maxime desiderari intellexisset, iam tum, quum apud Carolum VI. Romanorum Imperatorem Legati Apostolici munere fungeretur: gratissimam non Apostolicae modo Sedi, verum etiam literatis Viris, rem se facturum putavit, si neque precibus neque sumtibus pepercisset, ut absolutissimum emendatissimumque tanti Codicis exemplar adsequeretur, quod demum in lucem emitteret. Id autem, quod frustra alii tentaverant, quum unus PASSIONEVS *obtinere potuerit, & multis aliis Diplomatibus auctum, observationibusque illustratum, ad umbilicum iam perduxerit, quamprimum est editurus, & ad immortalem sui nominis gloriam publicae consecraturus utilitati. Quae quidem Opera in vulgus prolata, alia in posterum haud minoris pretii consequentur.*

De his omnibus, quae & sapientissimo Pontifice BENEDICTO MAGNO, & DOMINICO PASSIONEO *S. R. E. Cardinali Bibliothecario, literarum fautoribus amplissimis, digna sunt, Sacrae Profanaeque eruditionis Cultores praemonitos esse volumus, ut additos sibi ad sapientiam stimulos sentiant, eorumque voluntati, qui de omnibus bene mereri exoptant, privato studio diligentiaque obsecundent. E Bibliotheca Vaticana Nonis Maiis MDCCLV.* His consiliis, quod nemo non videt, neque ad laudem maius quidquam esse, neque ad litterarum incrementa fructuosius, potest. Nos, Eminentissimo Purpurato, vitam & vires, sed & eos potissimum laborum socios precamur, quales Ipse maxime optet, hoc est, laboris patientes, & qui, nihil esse enitentibus impervium, putent.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLVI.

Pars I.

NUMOTHECA PRINCIPUM AUSTRIAE, EX gazis aulæ Caesareæ potissimum instructa, & aliunde aucta: exhibens Habspurgicae gentis Principum Lineæ Germano-Austriacæ, numos cuiuscunque formæ & metalli, præcipue tamen Mnemonicos atque Iconicos, qui vel horum iussu, vel eorum gratia, percussi vel fusi fuerunt, typis æneis expressos; ducendo initium a Ferdinando I. Rom. Imp. & serie non interrupta progrediens ad usque Ferdin. IV. Rom. Regem, PARS II. TOMI II. *Monumentorum Aug. Domus Austriacæ: complectitur tabb. æri incisas num. XLI. operam & studium conferentibus, P. R. P. MARQUARDO HERRGOTT, Ord. S. Bened. Principalis Asceterii ad S. Blasium Capitular. Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. Principi San-Blasiano a Secretis Consiliis, Vices gerente, & Præposito in Crotzingen, nec non S. Cæs. Reg. Mai. Consiliario & Historiographo; & M. R. P. RUSTENO HEER, eiusdem Congregationis Capitulari, Bibliothecæ San-Blasianæ Præfecto, & Numophylacii directore.*

Friburgi Brisgoviæ, typis Io. Georg. Felneri, Universit. Typogr. 1753.

Alphab. 2. plag. 3. Charta max. in fol. tabb. æn. 41.

Quam gloriam, quanto minus appetit Reverendiſſimus *Herrgottus*, tanto maiorem ſequi neceſſe eſt. Etenim, quæ monumenta, ſumma, quæ in eo, quæ in bonis omnibus in Sereniſſimam gentem Auſtriacam, pietate, collecta in lucem prodeunt, ea quoque diligentiam in colligendo, iudiciumque, nec non ſollertiam elegantiamque in deſcribendo, & in explicando eruditionem pariter atque ingenium Reverendiſſimi Editoris dant immortalitati. Quodſi quis dubitet, virtutibus Principum Auſtriacorum ſplendoris plus accedere ex monumentis eiuſmodi, quam ex fama, quæ tot per ſecula implevit terrarum orbem: is cogitet, eandem famam, dum adulationibus & calumniis ſubinde aut creſcit aut deprimitur, nunquam certo ſibi conſtare; & laudes Principum, æque ac ceterorum mortalium, commendationis habere plurimum e veritate, quam non alia ex re magis, quam ex hiſce monumentis erui, ſatis probatum dedit duobus, quæ hoc præceſſere, Voluminibus, Vir Reverendiſſimus *Marquardus Herrgottus*. Qui igitur virtutum ſereniſſimæ gentis Auſtriacæ laudator ex vero exiſtit, quique ita cogitat poſteritatem, ut vera habeant, tum quæ ſequantur, qui exiſtent in poſterum ex iſta gente gentium rectores, tum quibus hos ad quævis laudanda excitent ingenui Principum laudatores; cumne laudibus extollendi ſuis, id eſt veris, vel ullam occaſionem dimittamus? Enarravimus priorem Numothecæ huius Auſtriacæ partem *in Novis Actis Eruditorum Ao. 1753. Menſis Iunii pag. 289 - 295:* alteram nunc pro dignitate enarraturi.

Perſequitur hac altera parte Tomi ſecundi Monumentorum Auſtriacorum, Reverendiſſimus *Herrgottus*, cum ſocio laboris Rev. P. *Ruſténo Heer*, viro eruditionis & integritatis laude ei, qui talem ſibi adſcivit, omnino pari, Numothecam Principum gentis Habsburgicæ, eodem iudicio, eademque elegantia, quibus priori parte, in prolegomenis, inde a primis, queis numi cuderentur in Auſtria, temporibus inchoatam, in ipſa tractatione per omnes familiæ Hiſpano Auſtriacæ gradus perduxit.

Progreditur ſcilicet ad familiam Habsburgicæ gentis Germano Auſtriacam, & ingentem numorum, Principum omnis ætatis

ætatis & ſexus, a Ferdinando I. I. R. ſanguinem ducentium ad Leopoldum uſque R. I. pandit ſeriem, tabulis quadraginta & una ære affabre ſculpto ſcienter expreſſis. Noluerunt Auctores Rev. ulterius progredi: dum enim per tempora irent noſtris viciniora, obtulit ſe meſſis adeo larga, ut certum modum tenere, quam Tomos ſingulos, his monumentis conſtitutos, innumeris aliis cumulare mallent. Nec tamen ſpem, ad ea quæ vivimus tempora provehundi, & ad finem perducendi operis, abiecerunt omnem: nec nos abiicimus, quin potius Rev. Auctoribus vitam & otium, & fauſta quælibet apprecamur, candidique pollicemur, nos ſemper inſtituti huius laudatores ex vero & excitatores futuros, iisque, pro tantis in Rempublicam litterariam meritis, publice ſubinde acturos eſſe gratias. Quamvis enim alii, quod imitentur, inde capere poſſint, qui deinceps ad continuandam hanc Numothecam Auſtriacam animum adpellent: præſtabit tamen iis auctoribus prorſus proficere, quorum iudicio & fide in his rebus ſtat litteratus orbis. Igitur eos, qui in colligendis numis ſtudium ponunt, publice laceſſimus & hortamur, ut quidquid rari, aut notatu digni ipſis contigit, huc conferant, unde pro ſtudio & conferendi promtitudine, capiant grates, & laudes uberrimas, exemplo Rev. D. Philippi Iacobi ad S. Petrum in nigra Sylva Abbatis, nec non Ill. Schlægeri, & B. Koeleri, quorum benevolentia publice celebratur in præfatione. Quæ autem in poſterum laboris & otii ratio ſit, audiamus ex ipſis Rev. Monumentorum editoribus: *Nobis vero*, inquiunt Præfat. p. 1. *L. B. conſtitutum cum ſit, illa Principum Auſtriae monumenta, quae & a ſacra quadam vetuſtate commendationem habent, & ab adulatione ſuperſtitum aliena ſunt, ſtilo atque typis cumprimis perſequi: inſtituti noſtri memores, relictis tantiſper recentioribus & hodiernis numis, ad parandam Pinacothecam, quam Tomo III. monumentorum exhibere promiſimus, nos accingimus. Habent harumce deliciarum amatores, qui aera trium poſteriorum Imperatorum Auſtriacorum, typis expreſſa, videndi deſiderio tenentur, ſcriptores nonnullos in praefatione ad P. I. §. VIII. XII. XIII. a nobis laudatos, quos interim conſulere*

 pote-

poterunt, donec Numotheca Austriaca, ea, qua coepimus ratione, vel a nobis vel ab aliis continuabitur. Præfationi adiectæ sunt Tabulæ duæ genealogicæ, quarum altera Ferdinandi I. R. I. ex Maximiliano II. I. R. subnexa Ferdinandi Tirolensis progenie; ex Carolo, altera, Styrensis lineæ satore, oculis subiiciuntur posterorum nomina, quibus continetur ratio ordinis, qui per universum opus regnat, chronologici, nisi quod novarum linearum satores iuncti sunt posteris suis, & prolium feminearum numi adnexi statim paternis. Atque in his explicandis non alia, quam in priori parte, procedunt ratione. Nimirum, dum numos Imperatoris cuiusdam aut familiæ capitis adgrediuntur, elogium breve ex numis præmittunt, optime de lectoribus merendi consilio, ut rerum gestarum, quæ numis indicantur, serie, instructiores, habeant unde iudicent. Proles autem serie non interrupta percensent, veluti numis, ita elogiis. In tanta autem numorum copia & varietate, quam sub Ferdinandorum præcipue imperio apparuisse, nemo mirabitur, quum ipsi tot tantisque simul imperitarint provinciis, ad diversa iterum numorum genera vel inprimis erat respiciendum. Hinc rursus, quod iam parte priori observatum, numi in suas, quoad eius fieri potuit, classes distributi, primo loco intuendos offerunt Iconicos, memoriæ caussa cusos, de quibus ubique & certo constat. Ab his distinguuntur Iconici mere tales, & si qui exstant, qui vel a sphalmate, ex imperitia aut imprudentia monetarii nato, vel deficiente temporis nota, vel denique erroribus descriptorum, redditi sunt dubii, suo tempori vel nomini, quod præ se ferunt, vindicati. Hos excipiunt numi unciales, & monetæ in auro & argento, publicis usibus olim dati, quorum ex innumera, in tot provinciis, quæ Principibus Austriacis parere solebant, percussorum copia, elegantiores tantum & notatu digniores, magno iudicio selecti, hic reperiuntur. Coronidis loco appositi sunt iis, qui ad Auctorem familiæ pertinent, si qui exstant, numi quibus historia ipsius illustratur. Non quasi ceteri numi ad historiam nihil faciant: quo quantum faciant, nemo non, qui leviter tantum historia tinctus est, statim videt: sed quod ea

illorum

illorum singularis vis est atque praestantia, ut ipsi rerum gestarum memoriam perquam luculenter in se contineant, nec quidquam lucis ex historia capiant, sed potius lumen ostendant ipsi, quod sequantur certo certius ii, qui in extricandis epochis occupati, diurno nocturnoque pollice necquicquam subinde versant diplomata librosque, ex hisce solis demum sapiunt. Documento sit numus p. 210. N. LXXXI. expositus, qui epochas inchoatae pariter atque omissae obsidionis urbis Brisaci iustas prodit, quas frustra quaeras alibi. Quam operosa res sit, & plane difficilis, collectionem parare monumentorum, quae vel propter vitae, cui inservirent, commoditatem, vel ut memoria rei cuiusdam innotesceret, & servaretur pluribus, in publicum dispersa sunt, documento est, quod qui diligentissimi fere omnium & curiosissimi harum rerum scrutatores sunt, Auctores Rev. dum largissimam messem offerunt, opus habuerint spicilegium facere, & supplementi loco adiicere tabulas duas, quae XXXIII. numos elegantissimos contemplandos sistunt, qui tamen in decursu voluminis suis locis expositi sunt.

Ceterum, quam bene perspectum habeant studii huius ambitum, & quantopere in eo amplificando sint operati, quamque hisce divitiis, quae fastus alias & arrogantiae mater sunt, iis non turgeat animus, videre est ex eo, quod cavere iubent: *ne quisquam*, utimur verbis eorum, *existimet, hisce supplementis rem omnem confectam esse, atque integram Augustae gentis extare Numothecam, cum in aliis locupletioribus Numophylaciis, plures adserventur elegantes numi, quorum ectypa aliquando ceteris, quae fortasse sequentur, huius Tomi partibus inserenda erunt.* Index huic volumini adiectus est triplex, ad omnem, quoad edita est, numothecam pertinens. Primus quidem summa capita chartarum, diplomatum, ceterorumque documentorum, quae Parte prima Numothecae, ad Prolegomena, probationis loco allata sunt, ordine chronologico percenset, & maximam partem diplomata ad rem monetariam spectantia respicit. Index alter Epigrammata, lemmata, apophthegmata, & inscriptiones reliquas, cum sacras, tum profanas,

in Numotheca Austriaca occurrentes, ordine alphabetico complectitur. Tertius denique est generalis, rerum & verborum, cum cura adornatus.

Atque hæc huius voluminis est οἰκονομία, cuius lectione diu multumque delectatos, iuvat pauca quædam exprimere, ad gustum ciendum iis, qui libros historicos uno filo conscriptos continuo haustu ingurgitant, ceteroquin rei numariæ incuriosiores, quæ tamen multa delibanda propinat singularia, ad historiam omnem pertinentia. Quum primis tantum, ut ita dicamus, labris gustaremus, inhæsimus statim expositioni numi II. Tab. I. Ferdinandi I. scitæ sane & perutili. Numus hic Ao. 1518. in Belgio forte percussus, exhibet Principis & Infantis Hispaniæ titulum, ubi adnotarunt Auctores Rev. ex Seldeno, elogium hoc inprimis Principis Hispaniæ, nonnisi indubitatis Regum Hispaniæ successoribus tribui, qui tum sine dubio erat, ex testamento Ferdinandi Catholici, Ferdinandus noster, fratre Carolo improle, quin innupto. Tandem, excitato Struvio, commemorant, Ferdinandum hoc elogium exuisse, ex quo Regios Hungariæ & Bohemiæ titulos suscepisset Ao. 1526. Quidni potius statuendum, Ferdinandum elogium Principis Hispaniæ simul abiecisse cum spe succedendi, quum intelligeret, Carolo Regi adnasci iugiter heredes suos? N. III. IV. V. VI. sistitur effigies Annæ, uxoris Ferdinandi I. cum elogio Reginæ Hungariæ, in numis, dum frater Ludovicus adhuc regnum teneret, in honorem eius percussis. Iudicant exinde Editores Rev. liberis Regum Hungariæ, regis elogium semper & ubique proprium fuisse: quod iterum colligunt ex eo, quod filia huius Annæ Imperatricis, Anna, nupta Alberto V. Duci Bavariæ, eodem, superaddito quoque Bohemiæ elogio, resplendet in numis N. LXXIX. LXXX. Tab. V. expressis. Pag. 69. seq. subtiliter admodum & accommodate disputatur super numis Ferdinandi Tirolensis, in quorum aversa cernitur Ionas propheta, ex ore balenæ eiectus, aut repens, adiecto lemmate: *vincit potentia fati*, seu: *In ipso & per ipsum*. Sunt, qui eos Mnemonicis accensendos existimant: sed verius ostenditur, Ferdinandum hoc emblemate per omnem vitam sibi admodum

dum plausisse, adeoque rectius inscribi Emblematicos. In Ferdinandorum II. & III. Imperatorum numis, crebri occurrunt aurei Silesiaci, & civitatum quarundam Imperialium. Quod ultimum rei numariae tributum, ut constaret, quae incrementa habuerit in Imperio R. G. sub Imperatoribus Austriacis. Inter Ferdinandi II. Mnemonicos & Iconicos, eminet numus elegantissimus, & faberrime expressus, in cuius adversa signum Imperatoris, laurea coronatum, circumdatumque serto quercino, tropaeis superimpositum, conspicitur. In aversa vero sol, vultus humani specie, corona Imperiali redimiti, spargentis radios. Additae tres aliae coronae, in triangulo dispositae, quarum inferiori signum coeleste virginis incumbit. Cuius in explicatione prorsus assentimur Rev. Editoribus, quippe ab argumento deducta, quod ad nuptiarum, quam coronationis cum D. van Loon, referre maluerunt solennia. Haud minus rem acu tetigisse eos, pauci forte ibunt inficias, simulatque legerint nterpretationem numi exequialis, in memoriam Ferdinandi IV. R. R. ubi praeter cetera, quae aenigmata redolent, egregie soluta, sigla I. K. E. M. redduntur: *Ich klage es Mariae*: quo nil esse potest ad speciem accommodatius. Ab ipso enim argumento, deducto ex numo exequiali, a Ferdinando I. R. I. Annae uxoris memoriae dato, cui inscriptum: *Wir klagens Gott*, sic forte arguendum erat. Quae quum sint simplicia, & naturae rei sic satis convenientia, sagacitatem in indagando, quae est limatissimi ingenii documentum, nec non iudicium acre & emendatum illius, qui ita decernit, in illustri ponunt loco. Neque tamen vel ea ratione, harum siglarum interpretationem putamus omnino comprobatam. Nam qui Austriaco idiomate Germanico, quod multis modis depravatum esse nemo nescit, Ferdin. I. numo inscripserat: *Wir klagens Gott*, fidem facit, scripturum fuisse Ferdinandum III. *I. K. M. (Ich Klags Mariae):* ita ut littera *E.* heic loci redundet. Oportet igitur, aliam subesse quatuor his litteris sententiam, de qua iam non laboramus.

Quod reliquum est, vehementer optamus, ut, quae iam Volumine IV. elegantissimi operis secutura est, Principum Au-

Auſtriæ Pinacotheca, quamprimum lucem videat, nobis gratiſſimam illam occupationem, *Hergotti & Herrii*, Virorum doctiſſimorum, in hiſtoriam Auſtriæ, omnemque eruditionem merita, dignis laudibus proſequendi, iterum præbitura.

Johann Daniel von Olenſchlager, erläuterte Staatsgeſchichte des Römiſchen Kaiſerthums, ꝛc.

i. e.

IOH. DANIEL. AB OLENSCHLAGER, DE REbus Imperii Romani, ſub Alberto I, Henrico VII, Ludovico Bavaro, atque de iis, quae geſta ſunt ſub initium reip. Germanicae a Carolo IV. adminiſtrandae, Liber commentarius. Accedunt ſelecta rerum documenta.

Francof. ad Moen. 1755. 4. mai. 2. Alph. 8. pl.

Expoſuit vir illuſtris hoc libro vices ac mutationes rei Germanicæ illas, quæ quidem ſeculo poſt N. C. decimo quarto acciderunt. Simul id egit, ut de rebus geſtis ab Imperatoribus exponeret, quatenus eæ Germaniam in univerſum reſpicerent. Verum conſulto omiſit hiſtoriam cuiuſque Status ſive provinciæ, quam quippe peculiari opera traditurus eſt, una iura & conſuetudines quoque eorum temporum. Putat vero, & merito quidem, eiuſmodi mutationum cauſam fuiſſe conſilium Francorum, qui ſedem Pontificis, quæ ad id tempus Romæ fuerat, Avenionem transtulerunt. Nam ea res confirmavit eorum propoſitum, ſtatum Germaniæ publicum ſuo arbitrio regendi. Nec aliunde deſcendit quædam veluti ſeries & Ilias eventorum, quæ triſtes motus continet, in Imperio & in Eccleſia excitatos. Dum hæc Auctor commemorat, non prætermiſit exempla quædam illuſtria, e quibus patet, Imperatores, etſi anguſtiis premerentur, tamen animum reparaſſe, quo magis poteſtatem ſuam, tum ſecularem, tum ſacrorum, ab iniuriis Pontificum vindi-

vindicarent. quodque in hanc rem Auctor disseruit, ita comparatum est, ut attentum faciat lectorem, cuius interest nosse, quomodo, & quibus causis diminuta sit tandem vetus potestas Imperatorum.

Iam vero nostrum est, praecipua momenta harum rerum in litteras referre, quod sufficiat, ad iudicium nostrum, quod est de libro proposito, lectori adprobandum. Primum igitur Auctor commentatus est de rebus Imperii sub Alberto I. breviter quidem; neque enim opus ipsi videbatur esse longiore commentatione, quando id potissimum agebat, ut declararet, sedem Pontificis Avenionem translatam fuisse. De qua re, vel in primis memoranda, nonnulla nunc proponemus. Bonifacius enim Papa, supra modum humani ingenii tunc temporis fertur tumidus fuisse. Is igitur regem non agnoscebat Albertum, non aliam ob causam, nisi quod Principes eum sine consensu Pontificis legissent. Id quod observandum est, quia probat, consensum Pontificis, in creando Rege Germanorum, haud necessarium fuisse, etiam eo tempore, quo Electores de coeundo in unum nondum convenissent, quod item uberius ostendit b. *Ioh. Christoph. Peslerus*, qui iura civilia Francofurti ad Viadrum nuper professus est, docta commentatione sua, quam inscripsit: *de postulato Pontificis R. confirmandi electionem regis Romanorum sibi nuntiatam.* Idem Bonifacius postea sibi contraxit odium Philippi Pulchri, Francorum Regis, unde illud factum est, ut Alberto imperium consensu Pontificis confirmaretur; qui Pontifex praeterea ipsi magnificentia munerum gratus esse studeret. At Alberto gloriae ducitur, quod Francis imperare recusavit, etsi id ut faceret, a Pontifice iussus esset. Ita quidem a plerisque rem traditam accepimus. Sed illustris Auctor in alia est sententia, atque putat, Imperatorem dono oblatum sibi regnum Francorum, aliquo pacto gratum habuisse; quemadmodum colligi videatur ex litteris illius, quibus Bonifacio reverentiam testatus est. Hic tamen, malo suo, liberalis videtur fuisse. Captum abduci se passus est ab eodem Rege, de cuius possessione regni modo sustinuerat pleno iure disponere. Arbitrio

Philippi creatus est Pontifex quidam, cui nomen Clementis V. datum; quo ille, eiusque successores, usi sunt consiliorum suorum ministro & adiutore. Reliqua, quæ ad historiam Alberti I. pertinent, veluti consilia ipsius adversus Helve-
§. 6. tios, quæque in Bohemos paravit agenda, §. 6. huius libri continet; ad quem lectorem remittimus.

Antequam vero ad ea, quæ sequuntur, progredimur, repetenda sunt quædam, in quibus non idem cum Auctore sentimus. Controversiam moverunt Alberto Electores ecclesiastici, a quibus revocaret portoria Rhenana, occupata ab iisdem tempore Interregni. De ea igitur controversia, satis adhuc obscura, nonnulla Auctor observavit, quæ, ne longiores hoc loco simus, quam necesse est, omittimus. Satis erit animadvertisse, Pontificem Albertum iussisse, ut ad se veniret, causam dicturus de crimine occisi Regis Adolphi, cuius criminis accusatus erat. Hoc item Auctor animadvertit. Quod autem subiungit, Principes ad Rudolphum, comitem Palatii ad Rhenum, causam detulisse, qui de crimine cognosceret, simul an iure creatus esset Albertus Rex Romanorum? quodque præterea statuit, semper ita observatum esse, etiam antiquissimis temporibus, ut eiusmodi cognitio ad Comitem Palatinum pertineret: duo hæc nos quidem non possumus vera putare, quanquam cedamus viri doctiss. auctoritati. Sane negari nequit, Principes de caussa patrimonii regis Romanorum, (quod *domanium* vocant) Rudolphum illum adivisse, cuiusmodi caussarum Comitis Palatini esset cognitio antiquitus instituta. Simile quid Fridericus *Ahenobarbus* instituit, cum iura maiora Imperii, (sive regalia) quæ Itali exercerent, in publicum redigeret: namque is dicitur iudices constituisse, qui caussam fisci principis & privatorum ex æquo & bono iudicarent; itemque constat, Comitem Palatinum, sub Henrico *Sancto*, eiusmodi iudicium patrimonii principis egisse. Neque tamen is unquam de capite Imperatoris cognovit, ea ratione, tanquam si ad id iudex datus esset; neque suppetunt exempla, quibus existimare possis cum Auctore, morem

rem Germanis fuisse, ut in dubio, an iure facta esset creatio regis, ea de re cognoscendum Comiti Palatino mandarent.

Deinde non erat caussa, cur Alberto id Auctor imputaret, quod Helvetii in societatem coivissent. Quanquam enim constat, eo imperante, Helvetios multa dura passos fuisse, ipse tamen a culpa videtur liber esse. Nisi forte hoc ei culpæ vel vitio dare velis, quod cum primum voluisset, ut unus ex filiis suis provinciæ isti præesset, postea, mutato consilio, eius administrationem præfectis committeret, qui eam non ex fide gesserunt.

Denique ad ea, quæ habentur apud Auctorem de creatione Pontificis Clementis, unam rem, pace ipsius, addemus. Notum est, Bonifacium eum, cuius supra meminimus, successorem habuisse Benedictum XI. Hoc igitur mortuo, Itali & Franci, quibus ius erat suffragii ferendi in creando Pontifice, inter se non convenerunt; donec remedium ei dissidio componendo excogitatum est huiusmodi, ut Franci e tribus candidatis, quos Itali ipsis commendassent, dignissimum legerent: atque ea ratione dignitas Pontificia Archiepiscopo Burdigalensi creditur delata esse.

Alberto successit in imperio Henricus, comes Luciburgi, qui eo nomine septimus vocatur. Novum decus is existimandus est genti clarissimæ adtulisse. Nam primus illius gentis fuit Hugo, Lothario cognatione iunctus, siquidem fuit eius fratris filius, vel certe adfinitate. Non diuturnum Henrico nostro imperium fuit: verum res gestæ ab eo, maximam partem memoratu dignæ sunt. Cum plures competitores haberet dignitatis regiæ, atque potentes, favit ei fortuna ita, ut præter opinionem omnium eam dignitatem adipisceretur. At non est dubium, consilia Pontificis hic intervenisse, quemadmodum declaratum est ab Auctore, quem adire iuvabit, adcurate ea de re disserentem. Quod Domino a Ludewig §. 7. 8. 9.
olim videbatur, hunc regem primum Aquisgrani corona argentea coronatum esse, ea quidem, quæ capiti recens creati regis prima imponi solita: hoc idem noster adfirmavit. De 11.
proscriptione Roberti, ducis Apuliæ, maxime celebrata, dein- 25.

 ceps

ceps commemoravit; quem quidem ducem ab Imperatore proscribi potuisse, Pontifex negaret propterea, quod ille imperio subiectus non esset. Sed perfunctorie huius contradictionis caussam redditam esse, verba Edicti proscriptionis, publice propositi, satis evincunt. Expeditio Italica Imperatoris copiose
§. 16. describitur, cuius ideo meminimus, quod Imperator, antequam eam susciperet, Iohanni, Bohemorum regi, administrationem rei Germanicae dicitur mandavisse: quod argumento est, eo tempore nondum constitutos fuisse vicarios Imperii perpetuos. De morte huius Imperatoris non convenit inter Scriptores. Mussatus quidem credidit, Pisis eum mortuum esse; aliis vero videtur in pago quodam Florentino, qui *Bonconvento* dicitur, praematuram mortem obiisse. Verum non fuisse id quod natura cogit, ut credamus, mo-
26. vent nos rationes ab Auctore propositae, quas, brevitatis caussa, omittimus.

Divisis Principum suffragiis, iam duo reges Germanorum creati memorantur. Fridericus quidem, cognomine *pulcher*, creatus est die 19. Octobr. 1314. atque sequenti die, Ludo-
35. vicus, dux Bavariae, quam in rem Auctor multa egregie observavit: veluti, quod vulgo dicitur, legatum Electoris Brandenburgici, per imprudentiam Ludovico suffragatum esse, eius rei rationem aliquam haberi, forsan eam, quod etsi suffragio ferendo adesset Elector Voldemarus, is tamen aeque ac legatus, errore lapsus esse recte argueretur.

Grave bellum inde in Germania exortum est, cum uterque rex virtutem armis vindicaret: cuius belli monumenta Auctor egregie composuit, item descripsit proelium, quo de summa rerum 1322. dimicatum est in Bavaria. Hic autem animadvertimus, Auctori quoque probari, id quod Aventinus de Nobilibus Austriacis, eo proelio captis, retulit, Ludovicum regem, eos Burggravio Norimbergensi, quem dicunt, donasse, hunc eundem vero, cum nobiles parati fuissent, pretium redemtionis praestare, illud repudiavisse, quo magis eis persuaderet, ut beneficiario iure ipsi se obstringerent. Inde nimirum Aventinus originem petit nexus beneficiarii, quo adhuc

huc iuncti sunt, Brandenburgicis plures in Austria nobilium. Iam victor Ludovicus dicitur invidiam Pontificis incurrisse, cuius invidiæ molem vix sustineret. Provocavit tamen ad concilium oecumenicum Ecclesiæ: quæ res argumento est, non ita Pontificum decreta olim tenuisse, ut Imperatores ab iisdem ad Concilium non potuerint provocare. §. 45.
De pactis Ludovici regis, quæ iniit cum Friderico, agitur in sequentibus; declarantur item privilegia, quæ Fridericus regia potestate fertur concessisse: qua quidem re Auctori videtur otium fecisse *Raymundus Duellius*, commentatione sua de Friderico Pulchro, Norimb. 1733. edita. Non liberum esse creditur regi Germanorum, imperio se abdicare; neque id sine ratione. Exemplo est Ludovicus Bavarus, qui, ut anathematis vinculo se liberaret, fertur de regno sua sponte decessisse; neque tamen Principes Germaniæ hoc ei concesserunt. 63. 65.
Relatum legimus deinde, eundem veterem Ducatum Sueviæ restituendi consilium cepisse. 107.
Nec minus memoratu dignum est, quod habet A. de iure dispensandi, quod Imperatori quondam competeret, in caussis matrimonii contrahendi, & solvendi. 137.
De morte Ludovici, eiusque caussa, sequentia legi merentur. 168.
Hoc denique addimus, eum regem quidem Campoduni sedem suam fixisse, sed inde non probari posse, iam tunc temporis morem fuisse, ut Imperatores sedem suam & domicilium in urbe certa constituerent; quin Ludovicus existimandus est ideo Campoduni commorari consuesse, quod metueret, ne si in alium locum secederet, sacra, quibus interdictus esset, ipsi denegarentur.

Atque hæc fere sunt ea, quæ ex his commentariis æquo iudicio lectoris subiicienda putavimus. Ceterum, virum illustrem, iis conscribendis, dignam & ingenio & litteris operam suscepisse, libere profitemur.

ANTONII ARRIGHII DE VITA ET REBUS gestis Francisci Mauroceni Peloponnesiaci, Principis Venetorum, ad Senatum Libri IV.

Patavii, 1749. excudebat Iosephus Cominus, Superiorum permissu, in 4.

2 Alph. 10 plag.

Epistola Auctoris, in laudanda reipublicæ Venetorum forma ac facie versatur. Respublica laudatissima, in Arrighio dignum se præconem, & disertissimum encomiasten nacta fuit. Quam egregia sunt illa, & quam splendide dicta, quæ lectori dare & exhibere animus est, ut genus scripturæ expendat. En illa: *Veneta Respublica ea re maxime caeteris antistat maxime, qua verissime gloriatur, eam pestem civium nunquam in civitate coaluisse, quae coaluit in reliquis civitatibus. Viri editi, quorum ea indoles atque ingenium perpetuo fuit, non ut certarent factione cum factiosis; non divitiis cum divitibus; sed cum strenuis virtute: cum modestis pudore: abstinentia cum innocentibus: eiusmodi postremo, qui boni esse quam videri mallent. His luminibus honestatis late nitet; virtute nulla maximis minor, pluribus maior, quae religio habet, quaeque nobis contigit; illis non contigit.* Celebrat laudibus postea virtutem bellicam Stephani Contareni, Caroli Zeni, Aloysii Molini, Dominici Pisani, Antonii Bragadeni. In Mauroceno autem suo omnes eloquentiæ nervos contendit. Præfatione munus genuini historici edisserit, ex Tullio & Luciano. Tractatio ipsa complectitur quatuor libros. Delibabimus inde paucula. Nobilitas generis Maurocenorum elu-
Pag. 2. cet ex Thomasina Maurocena, ex qua Andreas, isque tertius, cognomento *Venetus*, Rex Pannoniæ, natus fuit; & ex Constantia, Michaelis Mauroceni filia, quæ Andreæ eiusdem matrem habuit amitam maiorem, & Uladislao nupsit, Stephani filio, Uroscii I, Regis Serviæ, nepoti. Franciscus ex hac gente in lucem editus fuit a. 1618. m. Febr. Venetiis, patre Petro, aedis Marci procuratore, matre Maria Maurocena; domi admodum severe habitus, cum indole asperiore esse videretur. Virtus, & respublica, ei continenter ob oculos versari debuit. Ab ineunte ætate amavit præcepta historiæ, reique nauticæ ac militaris. Fictis litterarum pugnis haud fuit

fuit captus: dicens, urbes illis pugnis nullas expugnari, ad
bella propulſanda natus & factus, nec locutus libenter, niſi de
bellis prœliiſque. Togam virilem a. 1638. ſumſit. Ex eo in Pag. 4.
claſſe fuit, reique publicæ operam dedit. Interfuit eodem
anno proclio ad Aulonem. Se ibi talem præbuit, ut omnes
ipſum conſiderent fore alterum Scipionem. Quater impe-
rium & principatum nactus, a. 1641. navi triremi præfuit,
remigibus 60. inſtructæ, eique primæ. In proelio maritimo
a. 1645. apud Melon inſulam, primus ipſe Turcorum præ-
toriam adortus, ita, ut eam pæne dilaceraret, donatus ideo 5.
iuſſu publico corona & virgula, quia primus inierat prælium.
Inde ab anno 1646. ad triennium quinqueremis regendæ po-
teſtatem tenuit. Rhytimnam 1646. ſociata opera Turcis ex-
torſit. Cædem hoſtium magnam a. 1647. apud Chium fe-
cit. Anno eodem Grimanus Imperator, Nauplia decedens, 9.
navium longarum manui Maurocenum præfecit, eumque cæ-
teris antetulit. In bello Cretico, quod ea tempeſtate exarſit,
invictum ſe præſtitit, & Martenengum caſtrum recuperavit. 12.
Tum provincia ſinus Adriatici ei delata, ad fines Italiæ tuen-
dos, & piratas ſubmovendos. Officio fecit ſatis ubique.
Pugna, inter Paron & Naxum, navibus conſerta a. 1650,
victoriam ſuis conciliavit. Anno 1651. iudicio Senatus im-
perator claſſis univerſæ renuntiatus fuit. Anno poſtero præ-
fectus claſſis creatus eſt. Turcorum naves bene multas ce- 15.
pit. Corcyram, inteſtinis diſſidiis laborantem, perterreſe-
cit, ac tranquillam reddidit. Secundum factus eſt Imperator
a. 1654. ac Foſcolo ſucceſſit, navibus Turcicis paſſim infeſta- 29.
tis, captis, incenſis. Anno integro acriter in Helleſponto pugna-
tum fuit. Ereptæ Turcis inſulæ, Tenedos, Lemnus, Samothra- 43.
ce, quæ diu retineri haud poterant. Lazaro Mocenico patre a.
1657. defuncto, filius Franciſcus aedis D. Marci procurator
conſtitutus fuit, illico claſſis reficiendæ ſtudioſus. Ne tunc
quidem claſſi præeſſe deſiit, in utraque fortuna ſemper ex-
celſus. Inſulas Ægei maris paſſim ad fidem redire cocgit.
Turcis ad Arrabonem in Hungaria per Germanos devictis,
Veneti multo metu fuerunt liberati. Pace Turcos inter & 85.
Ger-

Germanos composita, illi vim Candiæ inferre studuerunt, Imperatore ferociter sic statuente, & duce eius bellico nil maius exoptante. Maurocenus ad Candiam tuendam omne consilium, vires ingenii omnes, contulit, Turci tamen tribus annis continenter insulam divexarunt. Vicissitudines fortunæ non est nostrum repetere, quibus tunc Mauroceni virtus patuit, vel enituit. Ad Candiam continuo Venetis infestiores fuerunt Turcorum molitiones. Opem labefactatis tulerunt Galli,
Pag. 153. Germani, Itali. Achmetes Vezirius tandem conditiones pacis proposuit. Oppugnare Candiam haud destitit. Arrighius libro II. omne bellum Creticum fuse exposuit, eo scripturæ genere numquam non usus, quod lectorem retineat, mulceat, doceat. Multum invidiæ sibi contraxisse virtutem ac fortitudinem, idem graphice exponit, ac significat verbis, quæ
269. odium vitii ingenerare queunt. Fuit Mauroceni virtus denuo cognita bello, quod Imperator Leopoldus ac Veneti, sociatis viribus, contra Turcos, inde ab anno 1683. acriter gesserunt. Peloponnesum tunc recepit Maurocenus, ac inde nactus fuit cognomentum. Cum in eo esset, ut Chalci-
391. dem a. 1693. oppugnaret, mors eum hiemis initio abstulit. E gravi morbo propemodum convaluerat, cum repente multo graviori implicatus, triduo post exstinctus fuit a. 1694. 8. Id. Ian. Ipse elatus est Naupliæ, magno adparatu, atque honore militari decoratus, ac tristitia ingenti Ducum militumque honestatus. Venetiis deinde ei iusta a Patribus persoluta, memoriam eius, regali quadam nobilitate ac magnificentia, prosequentibus. Ipsi monumentum, grati erga memoriam optime de Republica meriti Principis, in aula, quam *Scrutinii* adpellant, collocarunt insolitum, addita inscriptione: *Francisco Mauroceno Peloponnesiaco Senatus anno* 1694. Iidem in Mauroceni propinquos liberales, Franciscum & Michaelem, e fratre nepotes, in quibus spes de patruo erat imitando, ante aetatem in ordinem Senatorium cooptarunt. Monumento tamen illi publico haud dispar est elogium, quo Arrighius Maurocenum ornavit, ac ad omnem posteritatis patriæque memoriam transmisit.

DISSER-

DISSERTATIONE TEORICO-PRATICA DELL' UTIlità del Salasso nel Vaiuolo, à Sua Excellenza la Signora Bianca Contarini Dolfina.

h. e.

DISSERTATIO THEORETICO PRACTICA, DE Utilitate Venae Sectionis in Febre Variolari.

Veronæ, apud Petrum Antonium Berni, 1754. plag. 3. cum dimidia in 8.

Incogniti nominis, ast eruditus Auctor, veluti illum ratione & experientia doctum esse, sermo cultus, nexus rerum, lectio, iudicium, docent, præiudicium, contra sanguinis missionem in cura variolarum, ortum confutaturus, necessitatem huius auxilii ex natura febris inflammatoriæ, quæ a variolarum eruptione inseparabilis est, æstimat. Etiamsi autem auctoritatibus gravissimorum medicorum solis militare velle, satis ad arguendos vulgi errores haud sit: tamen, ut constet, non hodie aut nudius tertius ita factum esse, ut variolas Venæ Sectione sanandas medici arbitrarentur, *Cl. Auctor* Arabum, & summorum, qui propius ad nostra tempora vixerunt, medicorum testimonia super Venæ Sectionis necessitate adducit; quorum asserta etiamsi quis ignoraret, oporteret tamen illum, ratione, & febris variolaris cum inflammatoriis reliquis analogia inductum, ita existimare, quod salutare sit vim febris, in putridum ceteroquin & gangrænosum liquamen abituræ, præstantissimo, si quod unquam est, (Venæ Sectione autem vix aliud potest esse efficacius,) antiphlogistico auxilio frangere. Neminem autem arbitrari fas est, sine discrimine, hoc heroico, in quo error omnino facilis est, utendum esse remedio; sed signa generalia, quæ Venæ Sectionem in aliis quoque febribus requiri indicant, adesse omnino oportet, pulsus scilicet magnitudinem duritiemque, faciei ruborem, dolorem capitis ac lumborum, deinde, ætatem pleniorem, hinc plethoram, & sanguinis mittendi consuetudinem. Temporis autem ratio habenda est sedulo: nam-


que ſub primo huius morbi ſtadio, quod ebullitionis tempus dicitur, venam ſecare utiliſſimum eſt, quo facto tantum abeſt, ut, quod vulgus evenire exiſtimat, eruptio impediatur, ut potius illa ſuccedat eo felicius: id quod, cum neglectum eſt, ſuperveniunt plerumque ſtatus inflammatorii viſcerum, pleuræ, pulmonum, faucium, ipſiusque meningis, tandemque ſub ultimo ſtadio, quando nova illa & ſecundaria febris accenditur, convulſio ægrotos aufert. Laudanda eſt Cl. Auctoris induſtria, qua ille errorem humano generi noxium, ex animis plebeiorum evellere tentavit, quos non vult medentibus obloqui, ut, quod artis eſt, quivis ex cordatioribus exequi poſſit.


SELECTA QUAEDAM NUMISMATA GRAECA, inedita hactenus, nunc vero explicata a M. FRID. SIGISMUND. WITZLEBEN.

Lipſiæ, 1754. apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopfium. in 4. plag. 12. c. fig.

Prodiit duobus abhinc annis iſte libellus, parvæ quidem molis, ſed ob numorum quorundam Græcorum inſignem raritatem, utpote qui ab Auctore hic primum in lucem producuntur, eruditis nequaquam ſpernendus. Quatuor Diſſertationibus conſtat, quarum ſingulis numus quidam aeri inciſus præmittitur, cuius deinde explicationem Auctor ſuſcipit; & cum varia in eis contineantur, quorum cognitionem, humaniorum litterarum amatoribus haud ingratam fore arbitrati ſumus, operæ pretium eſſe putavimus, quandam e ſingulis epitomen lectoribus noſtris hic exhibere; in quorum etiam gratiam, ipſos numos, cum archetypis denuo collatos, aeri incidi curavimus, ut eo facilius de ſingulis ipſi poſſint iudicare. In Præfatione inſtituti ſui rationem Auctor exponit, atque hos numos a Iudæo fortuito ſibi oblatos commemorat, quos ab eodem pretio ſoluto ſibi comparaverit. Aliquamdiu dubius hæſit, an iidem numi forſan ab aliquo iam fuerint producti, necne? quos cum tandem, uno excepto, ineditos eſſe ac unicis forte

TAB. II. ad Nov. A. P. I. pag. 115. seq.





forte accenſendos deprehenderet, in obſcuritate diutius eos latere noluit, ſed conſilium coepit, eoſdem cum aliis etiam eruditis communicandi. Egregie illud promovit Vir illuſtris, *Ioh. Iac. Maſcovius*, qui ex Bibliotheca & numophylacio Ampliſſimi Senatus Lipſienſis, omnia Auctori ſubminiſtravit, quæ eius inſtituto aliqua ratione poſſent inſervire.

Prima Diſſertatione numus argenteus Delphiorum producitur, omnium huius urbis procul dubio vetuſtiſſimus, qui quidem hactenus innotuerunt. In parte anteriore capra cernitur, quæ in terra quieſcere, cum capite tamen retro in dorſum flexo, quaſdam geſticulationes facere videtur; additæ ſunt duæ tantum litteræ, in monogrammatis modum iunctæ ΔΕ, quæ vel Delphorum urbis, aut etiam populi nomen, deſignant. In parte averſa ſeu poſteriore, figura quadrata, formam foraminis in ipſo numo habens, comparet, quam alia figura, crucis ad inſtar, diſſecat, & in quatuor partes æquales dividit. Antequam Auctor ad ipſam numi explicationem accedit, quædam de variis urbis Delphorum nominibus præmittit. Vocabatur enim Delphi in plurali numero; attamen, quia in quatuor numis a Goltzio editis, ſecundus huius nominis caſus, in numero ſingulari Δέλφȣ effertur, Delphos olim in eodem numero, in nominandi caſu, forte dicta fuit. Huius autem appellationis origo diverſimode ab antiquis Auctoribus traditur; quidam enim, ut Homerus, vel quiſquis ſit Auctor *hymni in Apollinem*, ſub eius nomine vulgati, eandem ab Apolline, in Delphinum transformato, & Cretenſibus, primis urbis huius conditoribus, ſub hac adſcititia forma, iter monſtrante, arceſſunt. Scholiaſtes vero antiquus in *Euripidis Oreſtem*, Delphum Deucalionis ex filia pronepotem, conditorem urbis huius fuiſſe ait. Servius tamen ad Virgilii *lib. III. Aeneid. v. 332.* in alia omnia ſibi eundum eſſe credidit; refert enim, Icadon quendam, Apollinis filium, facto naufragio, delphini tergo fuiſſe exceptum, & iuxta Parnaſſum delatum, ubi templum patri ſuo ædificaverit, & locum ipſum a delphino Delphos vocaverit. Suidas denique, a Dracone Delphine hoc urbis nomen ortum fuiſſe, putat, qui ibi ab Apol- Fig. I.

 line

line interfectus sit. Verum ex tam diversis veterum opinionibus, hoc tantum nobis constat, dubiam ac incertam esse huius nominis, æque ac urbis ipsius, originem. Neque magis notum, unde alterum fuerit ortum: Pytho enim vel Python sæpe a poetis urbs ista dicitur, Homerus semper hoc nomine eandem vocat, quoties eius mentionem facit, & post istum alii. Pindari Scholiastes ad initium *Pythior.* a Pythone dracone, qui idem est cum Delphine modo memorato, istud derivat, vel etiam a verbo πυνθάνεσθαι, quia advenientes Delphos, plerumque hoc iter Oraculi consulendi caussa faciebant. Eustathius vero, a verbo πύθω, *putrefacio*, manult illud deducere, quoniam iste draco, ab Apolline sagittis confixus ibi computruerit. Pausanias in *Phocic.* Pythin quendam huius quondam regionis dominum memorat, qui Delphi filius fuerit, & a cuius nomine urbs ista suum acceperit. Notatur hic ab Auctore nostro Pindari scholiastes, qui loco supra cit. prodidit, dictam aliquando hanc urbem fuisse Petreessam, postea quoque Crissam; cum tamen prius verbum tantum adiiciale sit, a saxoso urbis solo petitum, & quod interdum poetæ cum alio urbis nomine coniungere soleant, uti Homerus in *Catal. Navium*:

Οἱ κυπάρισσον, ἔχον πυθῶνά τε πετρήεσσαν
Qui Cyparissum inhabitabant & Pythona saxosam.

deinde quod Crissam, urbem a Delphis plane diversam, cum eisdem temere confuderit, quæ ignorantia hominis Græci, in ipsa Græcia adeo hospitis, æquo animo vix ferri potest.

Pag. 6. Auctor breviter agit de urbis huius hodierno statu, eandemque nostris temporibus tantum pagum esse, nomine Castri, observat, auctoribus, *Whelero* Anglo, & *Iac. Sponio*, quorum Itineraria excitat. Numi huius urbis ex auro, argento & aere exstant, si Goltzio hac in re aliqua fides, qui octo illorum produxit; verum Auctor noster observat, præter Goltzium neminem eruditorum, aliquem ex antiquioribus Delphiorum numis producere, nec facile unum in præstantissimis museis reperiri; unde merito colligit, eosdem rarissimis numismatibus accensendos esse.

Nunc

Nunc propius ad numi sui explicationem venit, & istius partem anteriorem & posteriorem accurate describit, quam descriptionem, quum paullo superius iam a nobis ex ipso libello excerpta sit, hic denuo repetere supersedemus. Quoniam vero hic numus insigni crassitie & tumente margine est conspicuus, Auctor inde colligit, istum e globulo argenteo, malleo percussum esse, cum numi post Alexandri M. tempora, ex argento, prius in laminas diducto, fuerint facti.

Pag. 9. & sqq. parvam excursionem facit, de modo, quo antiquis temporibus pecunia fuerit signata. Affirmat cum Savoto, Wagenseilio & aliis, Romanos veteres metallum prius liquefecisse igne, & tunc formae monetariae infudisse, inde etiam Triumviros monetales dictos, *Auro, Argento, Aere Flando, Feriundo.* Certissimum tamen esse ait, quam plurimos reperiri, qui non ex metallo liquefacto, sed plane crudo fuerint percussi, quod fissurae & alia signa, quae in iisdem conspiciuntur, satis clare indicent. An vero etiam Graecis modus hic numos fundendi fuerit cognitus, Auctor dubitat; quum vetustissimi numi indicia percussionis satis certa ostendant, qualia sint, tumentis marginis rotunditas, vel etiam fissurae, quae in quibusdam comparent, ut in praesenti Delphiorum numismate, quod duas habet, licet admodum tenues, quales tamen in numis fusis nullo modo possent contingere.

Pag. 12. & seq. de forma vetustissima litterarum Graecarum, earum occasione, quae in hoc numo conspiciuntur, Auctor disputat. A Phoenicibus Graecos suas primas litteras accepisse, Herodotus & post eum omnes alii scriptores veteres tradunt. Samaritanas plerasque esse veteres Phoenicum litteras, Auctor cum Iosepho Scaligero & aliis statuit; & hinc insignem vetustissimarum Graecarum cum Samaritanis consonantiam deducit. Quod vero Samaritanae litterae non semper exacte cum Graecis conveniant, hoc mutationi, partim ab ipsis Phoenicibus, novis Graeciae incolis, partim ab Ionibus postea factae, tribuendum esse: de qua re insignis locus est apud Herodotum lib. V. quem Auctor noster post alios eruditos adducit & explicat. Non possumus hic silentio praetermittere aliquam

 emen-

emendationem, quam in *Plinii Hist. Nat. lib. VII.* c. 58. facit. Verba huius scriptoris sunt sequentia: *Veteres Graecas* (litteras) *fuisse easdem paene, quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in palatio, donò principum Minervae dicata, in bibliotheca, cum inscriptione tali:* NAVSIKRATES TISAMENO ATHENAIOS KORAI KAI ATHENAI. Cum vero mirum sit, Plinium principum nomina non adscripsisse, qui illud donum Minervæ obtulerint, deinde non admodum conveniens videatur, aliquid huic Deæ dicare, quod iam pridem eidem ab alio consecratum fuerat; Auctor mendum hic latere putavit, quod ductu inscriptionis, qua olim hæc tabula insignita fuisse dicitur, ita tollendum censuit: *quae est hodie in Palatio in bibliotheca, dono Proserpinae & Minervae dicata, cum inscriptione tali* &c. Notum enim, Proserpinam ab antiquis Græcis Κόρην frequenter κατ' ἐξοχὴν dictam fuisse; talia vero nomina propria, utpote omnibus nota, a librariis olim, per compendiariam scripturam, & sæpe tantum initialibus litteris, in vetustis codicibus exprimebantur: quæ tamen sigla posterioribus sæpe caussam hallucinandi præbuerunt. Huius Pliniani loci occasione, alium ex *A. Gellii Noct. Attic. lib. X. c. 1.* adducit, ubi legitur Pompeium Romæ ædem Victoriæ dedicasse; verum *Plutarchus in vit. Pompeii, Tertullianus de Spectac.* & *Plinius lib. VIII. c. 7.* non Victoriæ, sed Veneris Victricis ædem, iuxta theatrum a se exstructum conditam, referunt. Inde putat verisimillimum esse, in vetustis *A. Gellii* codicibus, scriptum fuisse hoc nomen ita tantum: *V. Vict.* priore autem littera vel casu deleta aut neglecta, forsan e reliquis vocem Victoriæ effictam fuisse, refragante licet omni antiquitate.

Pag. 20. disserit de inscriptionibus numorum abbreviatis, quæ paucis tantum litteris, vel uno aut altero monogrammate, interdum constant, easque utplurimum signum esse remotissimæ antiquitatis contendit, inprimis si crassities numi, inusitata sequiori ævo, vetus cælatura &c. accedant. Solam vero inscriptionis brevitatem ad probandam numorum antiquitatem non sufficere asserit; quippe quæ etiam in quibusdam

busdam, qui recentioris fine dubio fint temporis, reperiatur. Porro modum fcribendi a finiftra ad dextram, iam apud Græcos antiquiffimis temporibus ufitatum fuiffe obfervat, idque non fuo tantum numo, fed etiam illo vetuftiffimo Phidonis, qui in gaza Potentiff. Boruffiæ Regis adfervatur, probat. Æoles tamen, & quædam urbes Doricæ originis, extra Græciam proprie fic dictam fitæ, alterum etiam in fcribendo modum a dextra ad finiftram, more orientalium, cum tali infcriptione retrograda, adhibuerunt interdum, quos vero numos rariffimis accenfendos effe iudicat. Capræ nunc effigiem, quæ in parte anteriore numi eft, Auctor nofter defcribit, eandemque de ifta capra, quæ, fecundum *Diodori Siculi lib. XVI.* narrationem, Oraculum Delphicum primum detexerit, explicat. Verum docto cuidam viro, qui apud Auctorem numum ipfum accurate contemplatus eft, animal hoc non foeminini generis, fed mafculini potius effe videtur; quæ enim Auctori ubera vifa funt, ifte potius tefticulos effe credit. Id fi verum effet, numus ifte, contra omnium fcriptorum veterum auctoritatem, iam caprum Oraculi huius inventorem nobis fifteret, non autem capram.

Pag. 24. explicationem alterius partis numi fui fufcipit, quæ fi bene ei ceffit, aliquam omnino lucem in Oraculi & templi Delphici obfcuris antiquitatibus, eruditis foenerari poteft. Cernitur in ea, quod iam fupra diximus, tetragonum feu foramen quadratum, quod ab intermedia cruce diffectum in quatuor partes æquales dividitur. In ipfo vero foramine apparent quædam eminentiæ, quæ ab artifice typi non fortuito, fed ftudio omnino, dum ad aliquam rem refpexit, factæ effe videntur. Auctor nofter hic fpiraculum cavernæ Delphicæ, unde fpiritus fatidicus erumpebat, fibi inveniffe perfuadet. Crucem vero intermediam quandam contignationem effe putat, quæ in interiore fpecus parte fuerit, hoc fine, ut Pythia fine periculo ipfam cavernam ingredi, & ibi fpiritum vatidicum, ex interioribus terræ erumpentem, excipere potuerit. Id autem aliquando contigiffe ex *Val. Maxim. lib. I. tit. VIII. c. 12.* probat, ubi refertur, Appium, Achaiæ præfi-

præsidem, de belli civilis inter Pompeium & Cæsarem exitu, Oraculum consulturum, Delphos venisse ac Pythiam coegisse, *ut in intimam sacri specus partem descenderet: unde ut certae consulentibus sortes petuntur, ita nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer existit.* Hæc laudati scriptoris verba sunt, quæ Auctor dissertationis varie in usus suos convertit. Deinde locum quendam adducit e *Iamblichi* libro de *Myster. Aegypt. Sect. III. cap. XI.* ubi hic Auctor mentionem facit sellæ, quatuor pedes habentis, quæ in templo Delphico fuerit, quaque Pythia nonnumquam loco tripodis fuerit usa. Hic *Iamblichi* locus quorundam eruditorum ingenia mire exercuit, interque eos *Thomae Galei & Ezech. Spanhemii* potissimum, qui tamen certi quid de hac sella adferre non potuerunt. Sed Auctor noster de hac contignatione in interiore specu, *Iamblichum* verba fecisse credit, quam quia nunquam conspexerit, (adyta enim templi Delphici ingrediendi nulli, præterquam Pythiæ, erat licitum) sellam esse sibi persuaserit. Pag. 36. disquirit, quid illæ eminentiæ, quæ sculptor typi in tetragono formavit, denotent? putat autem easdem nihil aliud, quam prominentes in caverna Delphica petras, repræsentare.

Inquirit tandem in tempus, quo Pythia tripode uti coeperit, quod, Alyatte apud Lydos regnante, demum contigisse autumat. Tunc enim Apollini Delphico, tripodem e mari extractum, quosdam Milesios dono obtulisse. Inde vero coniicit, numi sui ætatem Alyattis regno æqualem, vel etiam vetustiorem esse, quia in eo non tripodis forma conspiciatur, quam Delphii in aliis numis suis frequentissime postea signaverint, sed antiquius pegma, quum antiquissimis temporibus Pythia alio sedili non fuerit usa. Denique circa finem huius Dissertationis, Auctor quæstionem tractat: num Oraculum Delphicum malorum dæmonum ἐργαστήριον fuerit, an vero hominum vafrorum tantum nequitiæ suas origines ac incrementa debuerit? Posterius *Antonius van Dale* in libro, *de Oraculis veterum Ethnicorum*, adstruere conatus est, qui in templo Delphico nihil præternaturale, nullam auram vatidicam, qua Pythia adflata, oracula de rebus futuris contingentibus

bus certa effuderit, vult agnoſcere; ſed omnia omni tempore meris fraudibus ſacerdotum geſta fuiſſe, potius adfirmat. Sed Auctor huic ſententiæ ſimpliciter ſubſcribere dubitavit, cum varia huius Oraculi effata exſtent, quæ huiuſmodi fraudes minime redoleant; quamvis facile credat, illorum magnam partem a ſacerdotibus confictam fuiſſe. Cum enim innumeris hominum curioſorum quæſtionibus Phoebades vexarentur, credibile non eſt, easdem in gratiam tot ſtultorum, ſemper tripodem adire voluiſſe, cum præſentiſſimo nonnumquam vitæ vel ſanitatis ſuæ periculo. Peſtiferum enim hunc ſubterraneum ſpiritum fuiſſe, patet ex ſupra allatis Valerii Maximi verbis, & Plutarchus in libro de *Oracul. defectu*, exemplum profert Pythiæ, nimio hauſtu vatidici ſpiritus extinctæ. Denique Phoebades nonnumquam donis corruptas fuiſſe obſervat, aut potentiorum auctoritate redactas eo, ut non ex tripode reſponſa dederint, sed ad illorum libitum eadem confinxerint; & huc Demoſthenem reſpexiſſe, dum queſtus fuerit, Pythiam Φιλιππίζειν, i. e. eandem non ex Apollinis inſtinctu, ſed potius, quæ rex Macedonum vellet, reſpondere; inde vero factum, ut Oraculi huius auctoritas ſenſim imminuta fuerit.

Diſſertatione *ſecunda*, Auctor noſter nummum quendam Maronitarum aeri inciſum, lectoribus exhibet ac explicat. Maronea urbs Thraciæ, haud procul a mari ad Neſſum fluvium ſita, nomen a Marone conditore accepiſſe dicitur, auctoribus Diodoro Siculo lib. I. & Suida. Servius autem ad Virgilii *lib. III. Aeneid.* v. 17. *Moenia prima loco &c.* Aeneam urbem hanc condidiſſe refert, & ad Salluſtium provocat, qui hæc memoriæ prodiderit. Verum Auctori huius libelli hæc omnia vel incerta vel etiam falſa viſa ſunt: putat enim, urbem hanc eſſe Phoenicum potius opus, & nomen eius a verbo hebraico מָרָא *extulit ſe* derivandum, quia ſcilicet in colle fuerit ſita. Præterea hanc urbem ab Iſmaro Homeri non fuiſſe diverſam ſtatuit. Plinius *lib. V. c. II.* quidem utramque urbem a ſe invicem diſtinguere videtur, cuius hæc ſunt verba: *Nunc ſunt Diceae, Iſmaron, locus Parthenion, Phaleſina, Maronea, prius Ortagurea dicta;* verum Auctor hæc ver- Fig. II.

 ba

ba nonnihil corrupta esse suspicatur, & forte legendum: *Ismaron lacus.* Ingentem vero lacum huius nominis etiam iuxta Maroneam fuisse, ex Herodoti lib. VI. & Stephano Byzantio probat. Nomen vetus Orthagurea Isaac. Vossius *ad Pomp. Melam lib. II. c. 2.* ab Orthagora (id Bacchi cognomen esse creditur) deducit. Auctor noster Bacchum Aegyptium, seu Osirim, hic intelligendum esse putat, quem veteres magnam terrarum orbis partem peragrasse aiunt, ut homines frumenti & vini usum edoceret. Nam Orthagoram nihil aliud quam *liberum peregrinatorem* significare ait, & hoc nomen a duabus vocibus hebraicis derivat, scilicet *Horim*, quod principes vel *liberos* designat, & a verbo *Gur, peregrinatus est;* id vero pariter Phoeniciam huius urbis originem probare contendit.

Pag. 50. breviter historiam Maroneæ attingit, quæ tamen parum nota hodie ac certa est: rarius enim illius scriptores veteres faciunt mentionem. Eandem tamen sub Romanorum tutela vel imperio fuisse, ex numis Maronitarum colligitur, qui in honorem Imperatorum, ab Augusto usque ad Alexandrum Severum, signati sunt.

Pag. 54. numum ipsum describit, atque deinde suam sententiam de eo profert. Est autem argenteus maioris moduli, qui pondere semiunciam paullulum superat, in parte anteriore caput iuvenile conspicitur, diademate redimitum, vel potius fascia, qua foeminæ in capillis colligendis uti solent; supra fasciam hanc corona hederacea tempora ambit, cui rosæ vel baccæ innexæ sunt; capilli præterea in proboscidis formam complicati, pone cervicem coronæ alligati sunt, partim vero iuxta collum defluunt. In parte aversa, imago hominis nudi & stantis signata est, qui dextra manu botrum, sinistra autem duos bacillos tenet; ex humeris eius pellis animalis dependet, addita epigraphe: ΔΙΟΝΙΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ in ima vero margine: . . . ΡΩΝΙΤΩ, quæ litteræ tantum supersunt e voce Μαρωνιτῶν, ceteris temporis iniuria deletis. Tria præterea monogrammata in hac parte aversa conspiciuntur, quæ in tabula ænea n. 2. in ipso numi ectypo lectores possunt

poſſunt inſpicere. Numus iſte a pluribus quidem eruditis iam productus eſt; ſed quoniam illorum explicationes Auctori diſſertationis minus placuerunt, haud putavit ſe operam plane perditurum eſſe, ſi eundem denuo examinaret, & quid ſibi de eo videatur, aliis exponeret. Caput iuvenile in anteriore numi parte omnes adhuc Bacchi eſſe exiſtimarunt, quod corona hederacea huic deo fere propria eſſe ſoleat, & idem præterea caput in Thaſiorum numis reperiatur, quod pariter, pro Bacchi omnes eruditi agnoverint. Verum Auctor noſter nihilominus ab hac, inveterata licet, opinione ſibi ſecedendum eſſe ſtatuit, & potius veſtigiis Io. Henr. Schultzii, præceptoris quondam ſui in Academia Fridericiana, inſiſtendum, qui in *Diſſ. de numis Thaſiorum*, Proſerpinæ illud eſſe caput primus omnium probavit: cuius etiam cultus in tota maritima Thraciæ ora, æque ac in adiacentibus inſulis, maxime olim viguit. Faſcia quæ caput ambit, a noſtro habetur potius pro retinaculo capillorum, quam pro diademate, præſertim, cum privatarum mulierum capita, ſæpenumero in numis ac gemmis, tali faſcia circumligata ſint.

In altera numi parte, Bacchum nudum & ſtantem inveriri paullo ante diximus. Hunc Auctor non illum Thebanum Iovis & Semeles filium, ſed Aegyptium potius, ſive Oſiridem, eſſe putat, a cuius ſocio Maronea fuerit condita, vel forte a Phoenicibus in Oſiridis honorem, unde etiam huic urbi primum nomen Orthagurea fuerit inditum, qua de re ſupra pariter egimus. Uva, quam dextra manu tenet, ad inventionem vitis, quæ Oſiridi a vetuſtiſſimis hominibus adſcribitur, pertinet; quid vero bacilli vel ferulæ ſibi velint, quos manu ſiniſtra habet, Auctor ex Diodori Siculi *lib. IV.* cuius etiam verba apud Euſebium *Praep. Evang. lib. II. c. 2.* leguntur, declarat, Bacchum ſcilicet homines ferulis uti docuiſſe loco baculorum, quibus antea nonnumquam ſe invicem interfecerint, nimio vini uſu in rabiem verſi. In fine denique diſſertationis, Auctor quædam diſſerit adhuc de diis Maronitarum, Proſerpina & Baccho nimirum, quos cum Thaſiis illis communes

Q 2 munes

munes fuisse obſervat. Quum vero Thaſii, teſte Herodoto lib. VI. Phoenicum ſint colonia, communia autem ſacra communem utplurimum originem populorum indicent, inde colligit, Maronitas vel ipſorum Phoenicum, aut certe Thaſiorum, coloniam pariter fuiſſe, inprimis ſi ea expendantur, quæ de Phoeniciis huius urbis nominibus initio diſſertationis dixerat, quæ, ſicut cetera ab Auctore paſſim prolata, antiquitatum peritis diiudicanda relinquimus.

Fig. III. Diſſertatione *tertia*, Auctor memoriam urbis Aorni, in illa Epiri parte, quæ Theſprotia olim dicebatur, ſitæ quondam, revocat. Producit enim hic numum argenteum, ſemidrachmalis tantum ponderis, in cuius parte anteriore caput Apollinis laureatum ac imberbe ſignatum eſt; in poſteriore autem figura apri cernitur, in cuius dorſo vel vermis πολύπȣς, vel ſerpens iacet: ſupra apri dorſum litteræ AOP conſpiciuntur, ultima tamen, Rho nimirum, capite truncata eſt, nimis anguſto numi orbiculo totam non recipiente. Infra aprum aliquid ſerpenti ſimile ſe erigit, vid. fig. 3. Putat noſter, Apollinem Actium in hoc nummulo repræſentari, in cuius urbis vicinia oppidum Aornos fuerit ſitum, quod ex Plinii lib. IV. prooemio probat. Stephanus enim Byzantius quamvis huius urbis mentionem fecerit, tamen ubinam gentium fuerit ſita, non exprimit: certe hodie id in Stephani exemplaribus mutilatis ab indocto epitomatore, in quem Auctor noſter ideo variis in locis huius Tractatus acerbe invehitur, non legimus. Cultum huius Dei per totam Epirum & Acarnaniam olim viguiſſe, non tantum e variis veterum ſcriptorum teſtimoniis, verum etiam diverſis horum populorum & urbium circumiacentium numis probatur. Aprum in parte averſa Calydonium eſſe, Auctor noſter adfirmat, & iterum ad numos vicinarum urbium, Actii ſcilicet, Naupacti & aliarum, provocat, in quibus ille pariter fuerit expreſſus. Quid vero vermis in apri dorſo ſibi velit, fatetur ſe neſcire: qua ipſa confeſſione excitare voluiſſe aliorum ingenia nobis videtur, ut quæ ipſum latuerint, ſua feliciori forte diligentia ſuppleant.

In

Dissertatione *quarta*, numus argenteus Corinthiorum, Fig. IV.
nemini adhuc visus, primum producitur, & parvo commentario, sicut praecedentes, illustratur. In parte anteriore caput est muliebre turritum, pone cuius cervicem, numo iam semel signato, secundis operis, caput solis radiatum incusum est, qualem novi typi impressionem Galli vocant *une contremarque*. In parte posteriore Neptunus in sella sedens cernitur, qui dextra manu olim Delphinum tenuit; de quo tamen nunc nihil amplius visitur, praeterquam extrema pars caudae: cetera enim piscis, impressione novi typi, capite nimirum barbato & diademate cincto, deleta sunt; in sinistra vero iste tridentem habet. Iuxta sinistrum Dei littera N cum dimidio Ω cernitur, infra eas vero KP in monogrammate iunctae, vid. fig. 4. Caput muliebre turritum signum esse ait, numum non alicuius populi nomine signatum fuisse, sed urbis tantum; observat autem, typum hunc rarissime in vetustioribus Graecis, ante Romanorum tempora, reperiri. Caput Solis aeque ac Neptunum, in parte aversa, deos tutelares Corinthiorum fuisse adfirmat, & ex Pausania in *Corinth.* probat. Inde etiam evenisse putat, quod arx Corinthiorum, quam Acrocorinthum vocabant, Heliopolis a sole fuerit cognominata, in cuius potissimum tutela fuerit. Stephanus Byzantius quidem in voce Κόρινθος, aliam huius cognominis rationem comminiscitur, *quia arida esset*; sed Auctor noster, eandem absonam esse penitus, variis argumentis evincit, neque sibi persuadere potest, haec verba Stephani esse, sed potius cuiusdam indocti graeculi, qui ea primum in aliquo codice huius scriptoris margini adleverit, unde postea in ipsum textum fuerint translata. Caput abscissum in aversa parte Erechthei, Atheniensium regis, esse credidit, a Neptuno quondam interfecti. Sed illud nullius alterius, quam Iovis esse, quorundam doctorum virorum monitu, iam sentit. Quid litterae NΩ significent, divinando assequi non potuit; monogramma autem ipsius Corinthi nomen significare, ex plurimis aliis numis iam certum est.

Ex his omnibus & diligentia Auctoris, & eruditio, satis

 com-

comprobantur. Nos profecto enixe cupimus, plura istius generis specimina, quæ insignem bonarum litterarum culturam produnt, & legere, & Lectoribus, quemadmodum de hac cumulatissime facimus, commendare.

SCRINIUM ANTIQUARIUM, SIVE MISCELlanea Groningana nova, ad historiam reformationis ecclesiasticam praecipue spectantia. Inseruntur tractatus varii generis, epistolae, orationes, biographiae & sim. sive numquam antea editae, sive ita factae rariores, ut pro ineditis haberi possint.

Tom. IV. Pars II. Cum indicibus in Tomos quatuor.

Groningæ & Bremæ, apud Corn. Barlinkhof & G. W. Rump, bibliopolas, 1755. 4.

Alph. 1. pl. 2.

Cel. *Gerdesium* in rarioribus scriptis, quæ ad historiam sacrorum emendatorum spectant, communicandis non defetisci, neque copias ipsi, quibus hæc eruditionis sacræ pars utilissima perfectior reddi queat, deesse, impense lætamur. Præsenti fasciculo continentur I.) *Reginaldi Gonsalvi relatio de martyribus Protestantium in Hispania.* In Hispania doctrina purior tam insignia capiebat incrementa, ut, fatentibus ipsis pontificiis, nisi sacrum, quod dicitur, inquisitionis tribunal constitutum fuisset, omnis illa a prisca religione descivisset. Vidit igitur inde ab a. 1550. ad a. usque 1560. plures, qui ignis flammas nil veriti, doctrinam emendatam morte obsignarunt. Horum, maxime qui Hispali sunt excruciati, notitiam nobis servavit *Reginaldus Gonsalvus*, Hispanus, in libro, cui titulus, *sanctae inquisitionis Hispanicae artes aliquot detectae, ac palam traductae*, qui Hispanico idiomate exaratus, in latinam conversus linguam, luci est datus Heidelb. 1567. 8. Appendicis instar adhærebat ipsi *relatio de martyribus quibusdam in Hispania.* Horum quidem aliquos in scenam produxit *Geddesius* Anglus, quem latine loquentem fecit illustris nuper *Moshemius;* sed quæ Gonsalvus habet, & ple-

pleniora sunt, & maiorem merentur fidem, cum hic plurimis ipsorum interfuerit, cum ipsis familiariter conversatus, eorundemque certamina suis intuitus fuerit oculis. Hanc opellam, rariorem factam, in præsentibus miscellaneis recudendam curavit S. V. Gerdesius. Ex hac iniquorum iudicum istorum vafritiam, crudelitatem, avaritiam, qua miseros homines pecunia emungere adnituntur, luce clarius cognoscere possumus. Si qui in carceribus decedunt, per suos fraudulenter spargunt, fidem illos abnegasse, vel si in theatrum producunt, linguæ usum impediunt, cervices ipsis frangunt, antequam in rogum immittuntur, hac suæ clementiæ ratione allegata, sententiam illos suam revocasse. Exhibentur simul egregia specimina gratiæ divinæ, quæ haud raro hominum animis, a veritatis amore alienis, ita se insinuat, ipsosque adeo occupat, ut illum, si vel gravissima quæque subeunda sint, missum haud faciant. Inter illos autem, qui pro fide ignis supplicium sustinuerunt, eminent, qui sequuntur. *Christoph. Arellanius*, vir doctrina, virtute, pietate insignis, qui ipsis hostibus, quos sæpe in pudorem dederat, erat admirationi. *Garsias Arias*, vulgo a corporis habitu **Pag. 622-** *magister blancus* adpellatus, qui cum antea insigni levitate ani- **624.** mi ac versutia esset, inque religione, quam externa sanctimonia velabat, inconstans, adeo ut aliquando veritatis confessores coram inquisitionis senatu oppugnaret: tandem singulari dei gratia ita est flexus, ut in iudicium protractus, veritatem intrepido animo propugnarit, posteaque vivus, quod Constantinus ipsi olim prædixerat, igne absumeretur. *Io.* **624-635.** *Ægidius*, qui suis concionibus effecit, ut ingens admodum turba doctrinam emendatam admitteret. Qui tandem ad inquisitionis tribunal raptus, callide instructa arte circumventus, fidem, quam adhuc tuitus erat, missam facere est visus; verum illa animadversa, ad pristinam rediit constantiam, & morte quidem naturali, post multa incommoda, decessit; sed triennio elapso, illius ossa, terra eruta, in cineres sunt redacta. *Constantinus Pontius*, vir eximiis dotibus abunde instru- **635-647.** ctus, cumprimis eloquentia sacra plurimum valuit. Carolo V. quondam acceptus maxime, cuius sacris aulicis præerat.

Illo

Illo mortuo, Hispalim redux, doctrinam religionis, errorum ac superstitionis fæcibus purgatam, multo cum fervore inculcabat. Per longum satis tempus in inquisitionis carcere fuit detentus, in quo ex multis illis, quæ perpetiebatur, malis factum est, ut vitam cum morte commutaret: in eius corpus postea est sævitum, idemque illud una cum ipsius simulacro igni datum.

Pag. 647-662. II.) Epistolæ *Petri Martyris* ad *Io. Utenhovium* & *Henr. Bullingerum*, nondum editæ, in quibus aliqua de statu ecclesiæ Anglicæ, Gallicæ & Polonicæ habentur, item de Ioanne a Lasco, littoribus regni Daniæ prohibito, tandem vero a Principe Frisiæ orientalis benigne excepto. III.) Epistolæ

662-678. *Alb. Hardenbergii:* ad *Io. Utenhovium*, *decanum capituli Monasteriensis*, in qua sermonem facit de vocatione sibi ab episcopo Monasteriensi destinata; ad *Conr. Pellicanum*, de tentata in terris Coloniensibus sacrorum emendatione; ad *Phil. Melanchthonem*, qua ipsi significat, quid pii homines de nimia ipsius lenitate sentiant; ad *Canonicos Bremenses*, qua suam de præsentia Christi in S. coena sententiam exponit, seque a

678-698. turbis alienum esse ostendit. IV.) Ad *Alb. Hardenbergium* epistolæ Martini *Buceri*, Tilem. *Heshusii*, querentis, se præter meritum Goslariæ munere suo deiectum esse, *Mart. Hammelmanni*, *Pauli Eberi* VIII. quarum tertia suam de sacra

699-722. coena sententiam declarat. V) *Alb. Hardenbergii* scriptum apologeticum ad capitulares Bremenses a. 1557. Adversarii Hardenbergii controversiam de s. coena ad regem Daniæ Christianum III. detulerant, cumque graviter accusaverant. Scripto igitur præsenti, quod dialecto Saxoniæ inferioris est consignatum, quodque ex tabulato Bremensi primus divulgat Editor, se contra adversarios suos defendit, suamque sententiam de præsentia corporis Christi in sacra coena, proponit & confir-

722-740. mat. VI.) *Confessio romano-catholica, in Hungaria evangelicis publice praescripta & proposita.* Complectitur articulos, quibus, qui ab evangelicis sive augustanæ, sive helveticæ confessionis, ad romano-catholicos transeunt, iurisiurandi religione interposita, fidem suam adstringere tenentur. Desumta est illa ex actis historico-eccles. Vinariensibus Vol. III. P. XIII. p. 21.

p. 21. seq. Mirandum est, homines, nisi plane excaecati sint, dogmata sacrae scripturae, quin omni rationi adversa, deoque iniuria & contumeliosa, aliis obtrudere conari. Nihil dicemus de doctrinis ecclesiae pontificiae privatis; tantum proferemus aliquas, quae homini praeiudicatis opinionibus vacuo horrorem facile incutere possunt. Art. V. ita est conceptus: *Confitemur Papam sanctissimum ab omnibus honorari debere maiori cum genuflexione, ipsi Christo debita.* IX.) *Confitemur, unumquemque sacerdotem multo maiorem esse deipara B. virgine Maria, quae semel solum peperit Christum, nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus non solum dum vult, sed & quandocumque vult, offert & facit Christum, imo & creatum absumit.* XVII. *Confitemur, Mariam beatam virginem maiore honore dignam, ab angelis & hominibus, ipso Christo, filio dei.*

Brem- und Verdische Bibliotheck.

i. e.

BIBLIOTHECA BREMENSIS AC VERDENSIS, in qua ad incrementum scientiarum, inprimis theologicae, philologicae, ac historicae, exhibentur variae dissertationes utiles ac observationes.

Vol. I. Hamburgi, 1753. 1754. 8.

Vir summe Rev. *Ioannes Henricus Pratje*, ecclesiarum scholarumque in ducatibus, Bremensi ac Verdensi, Superintendens Generalis, tantum merito bonis divinioribusque litteris posuit pretium, ac tantopere cognitionem scientiarum omnigenarum amplificare studet, ut non solum varias commentationes ediderit separatim, sed etiam *Volumina* iam *duo*, quibus titulum *Brem- und Verdische Hebopfer*, praefixit, adornaverit, quibus dissertationes, quaestiones, resolutiones, observationes variorum variae, neque illae laudibus suis defraudandae, continentur. Necdum horum continuatione statuit supersedere. In praesenti *Bibliothecam*, col-

 lectio-

lectionem miſcellaneorum novam, propius contemplari ac delibare libet. Volumen I. quatuor faſciculos complectitur. Quid ſinguli horum comprehendant, ſuccincte indicabimus. Faſciculo I. continentur: 1) Chriſtophori Wilhelmi Groſcurd *Theoria Xenophanis, philoſophi graeci, in doctrina theologiae naturalis, de dei virtutibus ac eſſentia.* 2) Sam. Seelandi *ſpecimen concordantiae nominum propriorum biblicae.* 3) M. Ioannis Pauli Stolbergi *Tentamen, quo tolluntur difficultates quaedam, quae lectoribus ſeſe obiiciunt* Iac. II, 18-26. 4) Hieron. Herm. Flügge *Cogitata in* Iac. II, 14-26. *ubi de fide mortua agitur.* 5) D. Wilh. Chriſt. Iuſti Chryſandri *Annotationes de filiali indole fidei in Chriſtum, ex vocabulo* האמין Gen. XV, 6. 6) Ioann. Gotfredi Napierski *Enodatio problematis exegetici, quo quaeſitum fuit, an* Luc. XX, 35. *modo quorumdam reſurrectio indicetur.* Xenophanem, ut a limine ne diſcedamus ſtatim, plerique ſolent maculis erroribusque vel conſpurcare, vel deturpatum exhibere. Groscurdius eum
Pag. 14. a Spinoziſmo abſolvit, haud ſuſtinens negare, ſcholam Eleaticam, a Xenophane inchoatam, nonnullis inquinatam fuiſſe Pantheiſtis. Laudat Ven. Iac. Wilh. Feuerlini *Diſſ. de Xenophane,* a. 1729. Altorfii evulgatam. Ex Diogenis Laertii teſtimoniis vitam & dogmata Xenophanis depromit, iudicioque comitatur ſuo. Xenophanes videtur fuiſſe homo *autodidactus,* atque a ſuperſtitionibus vulgi abhorruiſſe. Colophone patria cives ipſum exceſſe iuſſerunt. Ivit Zanclam Siciliae & Latanam, ac ſubinde traiecit in Graeciam Magnam, eiusque urbem inviſit Eleam. Mundos dari innumerabiles, ſeu infinitos ac immutabiles, credidit, reſpiciens ad eorum, ut videtur, eſſentiam, ſiquidem ſolum deum docuit eſſe immutabilem.
23. Animam eſſe ſpiritum & immortalem tradidit. A ſcepticiſmo Laertius eum purgavit. Celebrant veteres ſilentium, temperantiam, abſtinentiam ac pietatem Xenophanis in deum. Hunc docuit, Diogene teſte, eſſe ſubſtantiam ſphaerae ſimilem, nihil homini ſimile habens, totum videre, totum audire, non reſpirare, & omnia eſſe, mentem & ſenſionem aeternam.

nam. Cicero non ſatis hæc dogmata de deo videtur adſecutus. Amplexus fuit Xenophanes ſpiritualitatem dei. Si Pantheiſta fuiſſet, omnino non negaſſet, deo cum hominibus aliquid eſſe commue. Aeternitatem dei agnovit, & vim continuo actuoſam, immortalitatem, perfectionum comprehenſionem. An vero deus eum ad gratiæ ſuæ agnitionem perduxerit tandem, id utique eſt incertum. Progredimur ad Seelandi conata, qui Concordantiam Buxtorfii ſupplere contendit, pauca nomina propria exhibentem. In nuda nominum recenſione haud adquieſcit. Originationes eorum, expoſitiones perſonarum, & geographicas breviores, addit, ſententias- Pag. 77.
que eruditorum adtingit, & ſæpius diiudicat, præcipue Calmeti, Ioannis Simonis, Matthiæ Hilleri, aliorum. Geminum Philiſtæorum Regem Achimelech, qui vixerit Davidis aetate, 94.
proſcribit, provocans ad Pſ. XXXIV, 1. 1 Sam. XXI, 4. XXIX. Abiathar, ſummus pontifex, pater & filius, obvii ſunt 1 Sam. XXI, 2. Marc. II, 26. Stolbergius ſumma cum ve- 140.
roſimilitudine docet, Iacobum II, 18-26. inducere falſum doctorem loquentem. Ipſe Iacobus ita infit: Ἀλλ' ἐρεῖ τις, *at dicet*, obiiciet hæc, *aliquis*. Indicium hic proponitur perſonæ alienæ, quæ loquens inducitur. Paulus enim quomodo a Iacobo contradictione onerari potuiſſet? an fides Abrahamum 145.
iuſtum declaravit demum poſt 30. annos? an Iacobus opera ad iuſtificationem exiſtimavit fuiſſe ex æquo neceſſaria? Secus ſenſit Act. XV, 19. Allegatur enuntiatum Moſis de Abrahamo, præter Moſis reique ſcopum & cauſam. Quis eam allegationem tribuet Iacobo? Iacobus vero capite tertio 147.
videtur falſos eiuſmodi doctores refutaſſe. Ita rationes ſuas putavit pl. rev. Stolbergius. Contrarium tenet Hieron. Herm. Flügge, cuius ideo tractationem cum priori ven. Editor coniunxit. Ille χωρὶς ἔργων interpretatur adſcito verbo ἐπακολουθούντων. Lucernam hæc quoque ſpirat diſſertatio. D. Chryſander comprobatum it, verbum האמין fluxiſſe ex אמן, quo deſcribitur & graphice delineatur fide- 206.
litas matris ac nutricis, quæ infantem ulnis excipit, portat,

 ample-

amplectitur & sollicite curat. Ipse infans gremio concreditus, filius dilectissimus, adpellatur אמון, *amun*. Verbo itaque *heemin* inest notio, sese instar infantis præbere nutriendum, portandum, beneficiis ornandum, ac a cura alterius dilectissi-
Pag. 211. ma pendere. Ipse nomen dei *Schaddai* deducit ex שדה, *schadah, effundendo*, siquidem deus instar lactantis nutricis, in homines cumulate effundit nutrimenta ac beneficia inexhausta. Qui credit in Christum, agit omnino fetum nudum, aliunde nutriendum, aliunde sustentandum, prehendentem & nitentem ad ubera, quibus vitam agat & continuet. Napierski ostendit tandem, in verbis Iesu Luc. XX, 35. haud latere sententiam, quæ faveat resurrectioni mortuorum ad iudicium particulari. Illi, qui adpellantur *καταξιωθέντες, digni* resurrectione *existimati*, sunt homines universi, quorum mentes deus adfecit immortalitate, & corporibus durationem
262. sempiternam præstituit. Hos homines, quales deus esse voluit, Iesus opposuit hominibus, quales sibi fingebant Sadducæi. Hi enim volebant, corporibus exstinctis, exstinctam esse animæ coniunctionem omnem cum illis. Sadducæos negasse, immortalitatem mentium humanarum dari, solide demonstrandum restat. Id vero aperte confitendum est, in illo dei effato, *ego sum deus Abrahami, Isaaci & Iacobi*, inesse certum immortalitatis mentium humanarum fundamentum. Deus enim benignitatem & favorem nonnisi illis exhibet, qui sibi benignitatis illius sunt conscii & ea frui possunt. At non solæ animæ, sed illi qui sunt Abrahamus, Isaacus & Iacobus, favorem dei percipient. Ergo corpora eorum debebant in vitam revocari, corpora non alia, sed numero eadem, quæ sepulta fuerant.

P. II. Progredimur nunc ad Fasciculum II. qui octo articulis constat. *Historia reformatae doctrinae in urbe Brema*, ab a. 1524.
3. ad a. 1555. perducta, eam ostendit Auctoris peritiam & soliditatem, ut is publico nomine sit orandus, reliqua ut adiungat deinceps, nec implicatas artes unius alteriusque temporum articuli horreat, quas ipse comta & humana dictione novit emol-

emollire. Ioann. Christophorus Harenberg commentatur ad Pag. 73.
Iac. IV, 5. locum perdifficilem, existimans, ex cantilena, divinitus olim inspirata, verba illa, *πρὸς τὸν Φθόνον ἐπιποθεῖ*, *ad invidiam ardenter propendet* amor & amicitia cupiditatum, quibus dediti sunt pravi homines, profluxisse. Succedunt 89.
Ioannis Sleidani *epistolae decem*, adhuc ineditæ, quæ statum politicum & religionis, in Germania, Gallia, Italia, ab a. 1543. ad annum usque 1546. obvium, mirifice illustrant. Tum vero M. Otto Ludovicus Königsmannus, dicasterii ecclesiastici Danici in Stormaria assessor, & ecclesiastes Süderaviæ, nobis aperire conatur auctorem verborum Act. XX, 35. *dare* 126.
beatius est quam accipere. Cel. Heumannus credit, verba hæc fuisse a Iesu pronuntiata sub finem rei gestæ, quæ Matth. XVII, 24-27. edisseritur. Paulus vero non tribuit effatum illud ipsi Iesu, sed iubet suos *verborum* Iesu Christi meminisse, *μνημονεύειν τῶν λόγων.* His subiunxit Paulus verba, *ὅτι αὐτὸς εἶπε, siquidem ille dixit, ipse* ea verba *dixit.* Sunt ea Christianis memori pectore conservanda, *eo quod ipse Iesus ea verba protulit eisque inculcavit.* Porro pergit Paulus in oratione sua, ita sermocinans: *Beatum est potius dare quam accipere.* Sic Königsmannus, qui sententiam suam ex Pauli oratione & eius exemplo confirmat. Ad Groscurdium redimus. Hic legem, Noachidis latam, de homicidis voluntariis occidendis, Gen. VIII, 6. perscriptam, exposuit testem sapientiæ & amoris divini erga homines. Cur autem 148.
cædes eiusmodi, vindictæ propriæ fetus, est omittenda, vel si commissa fuerit, a domino societatis, homicidio, in percussorem constituto, plectenda? in promtu ratio est. Scilicet homo, ex vindicta propria occisus, imagini dei congruenter creatus fuerat. Imago dei hoc loco est, vel substantialis ac se- 155.
cundaria, vel accidentalis & primaria. Significatur minime posterior potestas, siquidem hanc imaginem non omnes reparatam in se sentiunt. Prior videtur restare ob Iac. III, 9. Per hominem, ad imaginem dei factum, Auctor magistratum designari statuit, vicarium dei, per quem homicidia

privata & malitiosa sint punienda. Nam dominatus genui-
Pag. 162. nus est imago dei, 1 Cor. XI, 7. & magistratus vocantur Dii
Ex. XXII, 28. 1 Cor. VIII, 5. Ps. LXXXII, 6. Addit idem,
apud Matth. XXII, 21, illud *dare deo, quae dei sunt*, esse
idem, ac magistratui officia præstare. Ad legem Noachida-
177. rum credit Iesum respexisse Matth. V, 21. Io. Henr. Pratje
brevem adiecit *narrationem de urbis Stadae iure cudendi numos*.
En summam. Adaldagus I, Archiepiscopus Hamburgo-
Bremensis, a. 966. ab Ottone I. obtinuit privilegium cuden-
dorum Bremæ numorum. Henricus II. id a. 1003. Liebezoni
corroboravit, necnon a. 1014 Unwano. Conradus II. id ipsum
a. 1035. Bezelinum adhibere voluit. Adelbertus ab Henri-
182. co IV. a. 1062. obtinuit Comitatum Lesmone, & in eum
principatum iurisdictionis, ac ius feriundi numi. Ex eo Ar-
chiepiscopis visum, Bremæ, Stadæ & Bremervordæ, officinas
monetæ habere. Tandem ius cudendi numum Stadæ suæ
tradiderunt, pensionem annuam ex eo redditura, nomina-
tim Erpo, Hildeboldus a. 1272. & Albertus 1371, qui iuris
antiquioris fuerunt testes & comprobatores, si Rothio accedi-
mus. At ab a. 1272. id deduxit ven. Pratje, diplomate præ-
191. eunte. Constitit illud in facultate *cudendi denarios Stadenses
albos*. Ius feriundi numos aureos Stadæ haud fuit indultum.
Nec eiusmodi monetam Stadensem quisquam adhuc produxit.
201. Ad a. 1471. circiter monetam Stadensem attulit Auctor ex
cimeliotheca Cel. Vogtii, Bremensis. Anno 1686. ultima
217. Stadensis moneta in lucem prodiit. Postea Senatus iure cu-
dendi numum haud fuit usus, licet illud haud dimiserit. Au-
gustinus Gabriel Gehlen adornavit interpretationem germa-
229. nicam *Epistolae, quam Iustinus Martyr ad Diognetum dedit*,
ab omnibus omnino Christianis legi dignæ. M. Christianus
Ziegra inquirit in quæstionem, *an sacerdotes V. T. Mosaici*
241. *peccata hominum remiserint, ut ministri sacri, quos N. T. habet.*
Quidquid ad quæstionem propugnandam facere videtur, di-
luit, ad quæstionem propositam negando respondet. Adiicitur
nova interpretatio loci 1 Petr. III, 7, ita adornata: *Mariti,
gerite vos erga uxores vestras considerate & rationi convenien-
ter*,

ter, siquidem hae sunt res creatae vobis debiliores; nec eis denegate honorem, ipsis congruentem, siquidem ipsae consortes sunt vitae aeternae, quae vobis ex gratia dei datur. M. El. Fr. Schmersahli Commentatio historica *de Tutela haereditaria, quae Ducibus Brunsuico Luneburgicis est in Urbem Hildeneshemium,* non est omittenda. Liceat existimare, Duces Saxoniæ, & ipsum Henricum Leonem, tenuisse præfecturam Hildeneshemii Imperatoriam. Conradus II dicitur a. 1235. a Friderico II. obtinuisse iurisdictionem territorialem. At in urbem non obtinuit id iuris. Henricus enim VI iam impertiverat senatui urbis, iurisdictionem supremam capitalem in ipsos homines Basilicæ episcopalis. Tutelam Ottonis Ducis Luneburgici urbs a. 1331. obtinuit exoratam, licet eo Ducum Brunsuico Luneburgicorum patrocinio iam antea fuerit gavisa. Quæritur tandem, an ex solo naturæ lumine non possit comprobari doctrina de resurrectione mortuorum universali, eo quod primi homines, imaginem dei tenentes, eam ignorarunt? Nervum sic argumentandi sequuntur ei, qui, morbos & medicinam ex lumine rationis solo cognosci posse, inficiantur.

Pag. 267. — 271. — 272.

Progrediendum nunc nobis est ad Partem III. Cel. Ioannes Ernestus Schubertus nobis offert in limine, *de Auctoritate Formulae Concordiae in terris Brunsuicensibus* commentationem. Ipse in eo est, ut contendat, illam auctoritatem nunquam intercidisse, sed adhuc perstare; argumenta, in contrarium adferri solita, infirmo niti talo. Novimus vero, concordiam inter Theologos Saxonicos & Helmstadienses, demum exeunte seculo superiori fuisse restitutam, atque auctoritatem Formulæ ab his ita fuisse agnitam, ut adfirmaverint, in ea nihil esse erroris. *Ubiquitatem* horruit Iulius Dux Brunsuici; at eam, sensu adversariorum acceptam, reiectam novimus in Formula Concordiæ, licet Helmstadiensibus olim secus videretur. Id ipsum adparet ex Ioachimi Hildebrandi, D. & Prof. Theol. Helmstad. *Disputatione de Ubiquitate,* parte collegii, quo disputationes recentissimas a. 1654. & 1665. Hildebrandus Helmstadii pertractavit.

P. III. — 3 seq. — 31.

Ut

Ut edat univerſum illud Hildebrandi *collegium* Veri. Pratje, eum orare omnino debemus, antequam ad Groſcurdi exercitationem procedimus, qua in legum Noachidis præſcripta-
Pag. 39. rum (Gen. IX, 1-6.) rationem generalem inquirit, eamque communem, quam credit in fecunditate generis humani eiusque conſervatione eſſe ſitam, licet, ſingularum legum rationes ſingulares dari præterea, haud neget. Io. Henr. Sack conatur demonſtrare, cædem, quam Cainus fratri Abeli intulit, haud fuiſſe involuntariam, ſed potius data opera & ſtu-
62. dioſe admiſſam, ac Cainum iam antea compertum habuiſſe, quid eſſet homicidium. Defunctum eſſe Auctorem labore ſuo ſatis bene, haud licet abnuere, ob loca Matth. XXIII, 35. 1 Io. III, 12. Ebr. XII, 24. Sequitur hanc tractationem epi-
105. ſtolarum Ioannis Sleidani faſciculus poſterior, novem litteris conſtans, a. 1545. exaratis, hiſtoriam reformationis illuſtrantibus. Excipit eas Ioannis Gottlob Fidleri *confeſſio de*
131. *deo, magiſtratu & eccleſiae miniſtris*, 1747. 28 Dec. iuſſu Superiorum in litteras relata, quod eum Separatiſtis Altenaviæ in-
143. ferendum eſſe, fama vulgaverat. Frid. Andr. Cromen docet, per *minimos Ieſu fratres*, Matth. XXV, 40. non deſignari pauperes, ſed Ieſu diſcipulos ac apoſtolos. Pauperes certe quos-
148. cunque Ieſus haud vocavit unquam fratres ſuos. Id nominis potius tribuit diſcipulis ſuis, Matth. X, 41. 42. His, non pauperibus quibusvis, beneficia exhiberi poterant, *ob nomen Ieſu*, i. e. eo quod legati Ieſu erant. Confer Matth. X, 41. 42. Qui enim diſcipulos Ieſu excipiebat benigne ac hoſpitaliter, is Ieſum excepiſſe cenſebatur, Matth. X, 40. Io. I, 12.
157. XIII, 20. Ioannem Gerhardum eidem expoſitioni acceſſiſſe, obſcurum non eſt. Convertimus nos porro ad Ioann. Chriſtophori Harenbergii *Adnotationes aliquot exegeticas in Mat-*
161. *thaei loca difficiliora* nonnulla, ſcilicet I, 10. 11. 18. 20. III, 7. In loco primo, manuſcriptis præmunitus, hanc lectionis formulam cenſet genuinam: *Ιωσιας εγεννησε τον Ιωακειμ και τους αδελφους αυτου. Ιωακειμ δε εγεννησε τον Ιεχονιαν επι* — Virginem Mariam peperiſſe Ieſum citra maritale conſor-

conſortium, comprobat variis argumentis, contra libellum *de Ioſepho, parente Ieſu naturali.* Auctorem libelli comperimus fuiſſe quemdam Theophilum, hominem abbati Ioanni Fabricio acceptum, qui tenerrimæ ætatis filium ex abbate procreatum inſtituebat ad a. 1713. uſque, & ob epithalamium Salomonis, quod Pſalmo XLV. ſe deprehendiſſe crediderat, ſolum vertere iuſſus, Hamburgum ac inde Amſtelodamum profectus dicebatur, circumciſionem ſuſcepturus a Iudæis. Phariſæos ad Ioannis baptiſmum luſtrandum, non ſuſcipiendum veniſſe, contendit. L. Meybrinck per *κτισιν* gemebundam, Rom. VIII, 19-23. ethnicos fuiſſe deſignatos, ab eccle- Pag. 174.
ſia Ieſu non prorſus alienos, arbitratur. Ven. Pratje diſſertationem ſuam, qua *panis ex lapidibus* perpenditur, huc tranſtulit latinam, inſervituram loco Matth. III, 9. Samuel See- 263.
landus, eccleſiaſtes ad S. Nicolai Hamburgi, diſquirit, *an conceptio Ieſu in utero ad ſtatum exinanitionis iure poſſit referri,* eamque ad hunc eſſe referendum, ſolide ſatis oſtendit.

Reliquum eſt, ut de diſſertationibus Partis IV. nonnihil memi- P. IV.
nerimus. Habes hic, Lector, D. Io. Erneſti Schuberti *reſolutionem aliquot problematum de virtute & efficacia verbi divini.* Vim ſupernaturalem ineſſe verbo dei, in litteras redacto, ſecundum *Formale* modo conſideratum, vel potius verbum eſſe 4.
vim ipſam, docet, vim a ſpiritu ſancto interventu theopneuſtiæ exortam ratione notionum, ad ſalutem noſtram revelatarum. Præterea naturalem *Formali* vim & ſenſum ineſſe, negat. Negat præter hanc ſententiam id quoque, vim ſupernaturalem verbo dei acceſſiſſe ex dei benigno arbitrio ſeu libera gratia, ſiquidem verbum dei citra illam vim haud poſſit animo ſolide cogitari, niſi *Materiale* & *Formale* ſimul animo comprehenderimus, ſiquidem ſolum id *Materiale* habeat vim 32.
naturalem, eamque ſignificativam. Succedit Sam. Seelandi continuatio *concordantiae nominum propriorum V. T.* Reti- 81.
net lectorem Io. Gothefr. Napierski Diatribe ad Gal. III, 27. ubi *induitio*, qua Chriſtum induimus in baptiſmo, egregie illuſtratur ex toga virili Romana. Königsmannus, decade exemplo- 123.
rum in librum pſalmorum elaborata, totidem paroramata in-

S ter-

terpretationis vernaculæ indicat & emendat. Io. Daniel Froböfen in peccatum Nadabi ac Abihu inquirit, Lev. X, 1 feq. fufpicatus, eos fuiffe ebrietate imbutos. De Fidlero, olim Zinzendorfiano, adduntur nonnulla, nec non de Leonis X. ad Martinum Lutherum epiftola. Laudamus inftitutum merito, eiufque continuationem crefcere læti prædicamus.

ELOGIUM
IUSTI GOTFRIDI GUNZII V. C.

Iuftus Gottfridus Gunzius natus eft in oppidulo ad radices *Saxi Regii*, a quo & nomen habet, XII. M. P. ab urbe *Drefena*, anno huius feculi quartodecimo, ipfis Kalendis Martiis, patre *Gotfrido*, facrorum ibi tum antiftite. Initiis litterarum a domeftico præceptore perceptis, miffus eft *Gorlitium* in Lufatos, ad capiendum omnium humaniorum literarum cultum: unde bene conformatus, difceffit *Lipfiam* ad altiorum literarum, inprimifque Medicæ artis, ftudium: ad quod ille, five ingenii bonitate incenfus, five ab auctoribus bonis admonitus, ita acceffit, ut non mediocrem artis vel intelligendæ, vel faciendæ fcientiam fibi comparandam putaret, fed ut in utroque genere aliquando excellere cuperet. Itaque primum fe ad Phyficos contulit, fed eos, qui ipfius naturæ velut audiendæ fpectandæque facultatem, per experimentorum aditum darent. Phyfices autem amoenitati adiunxit feveritatem mathematicæ doctrinæ, fine qua iuftam aut utilem medicæ doctrinæ fcientiam contingere non poffe, *Walthero*, Medico tum primario, crediderat, ufus excellenti *Richteri Haufenii*que difciplina. Sic præparatus acceffit ad medicæ doctrinæ partes omnes cognofcendas, quas ei *Waltherus*, *Platnerus*, *Hebenftreitius*, *Quelmalzius*, *Pezoldus*, *Crellius* tradidere: quorum omnium dexteritatem fidemque laudabat, voluntatem autem erga fe amabat, fed maxime *Waltheri* in inveniendo felicem folertiam & acumen, *Platneri* in docendo elegantiam & fubtilitatem, in curando diligentiam, lenitatem, conftantiam, *Hebenftreitii* autem incredibilem doctrinæ

ctrinæ varietatem & copiam admirabatur, consequi conabatur, ad extremum se consecutum esse factis ostendit. Posthæc, editis legitimis profectus speciminibus, primum Philosophiæ, deinde medicæ artis doctor creatus, coepit, quæ feliciter didicerat, aliis tradendo, aditum sibi ad locum inter publicos medicinæ doctores munire. Qui ei paullo post datus est, suffragante inprimis *Walthero*. Iussus enim est Anatomen & Chirurgiam inter Professores regios extra ordinem docere. Ante vero, quam Scholas publicas aperiret, iter per *Ienam, Gotham, Cassellas, Marpurgum, Giessam, Mogontiacum, Vormatiam, Argentoratum, & Lotharingos*, fecit *Lutetiam Parisiorum:* quacunque transiret, non modo Medicis claris, sed etiam literatoribus, historicis, philosophis, bibliothecis publicis privatisque, & quæcunque visenda quæque urbs haberet, aditis, cognitisque. *Lutetiae* autem, qua maxime intenderat iter, eadem ille quidem curiose fecit, sed magis tamen, hoc est, diligentia & assiduitate summa, usus est exercitationibus anatomicis & chirurgicis, adiutus consiliis exemplisque clarissimorum, qui tum erant, virorum: velut in corporibus secandis, *Haunalti & Bertini;* in curationibus, quæ manu fiunt, universis, *Guerini & Ledrani:* in obstetriciis separatim *Gregorii:* in ocularis denique *Sancti-Tuonis.* Quibus omnibus, & eas, quæ in discendo exercendoque laudantur, virtutes, & quæ in vita usuque familiari amantur, ita probavit, ut etiam absentem, laudarent, amarent, omnibusque officiis colerent. His agendis cum decem ipsos menses in Urbe exegisset, percellitur repentino mortis paternæ nuncio, cogiturque, abiecto diuturnioris commorationis consilio, reditum in patriam parare. Sed hunc quoque gubernat discendi aviditas, quæ satiari non potest. Nam per Flandros Brabantosque in Batavos abit, visitque *Insulas, Gandavum, Bruxellas, Antverpiam, Roterodamum, Harlemum, Hagas, Lugdunum, Traiectum, Amstelodamum*, &c. Multorum ibi summorum in arte medica virorum, non modo in notitiam, sed amicitiam venit; adeo celeriter & doctrinam & humanitatem

eius adamarant: in his *Switenii*, alterius *Boerhavii*, quocum ei ab illo tempore ad mortem usque intercessit, literis ultro citroque mittendis, & omni genere officiorum sustentata. Reversus *Lipsiam*, quod factum est anno undequadragesimo ad finem vergente, statim scholas publicas privatasque coepit habere, in primis in eo genere, ad quod maxime studium suum contulerat, edens etiam subinde in publicum aliquid exquisitæ observationis, aut inventorum suorum, ut de calculi curandi viis, quas chirurgi Franco-galli invenissent, de commodo parturientium situ, de arteria maxillari interna, de herniis: quæ omnia sic probata sunt peritioribus, ut medici exteri eum primariis in suo genere viris haud dubie adnumerarent. Sed etiam principes in hac urbe medici sic indicabant, nominatim *Platnerus*, idoneus certe iudex, nec prodigus ille laudis: qui sæpe inter amicos eum medicorum in hac urbe eruditissimum pronunciavit. Quamquam rebus ita se iudicare ostendit, cum Chirurgiæ institutiones, quas absolvere per valetudinem ipse non posset, per eum potissimum absolvi voluit. * Quo minus mirandum est, si mox omnes undique honores in eum congesti sunt, qui cadere in eius ordinis virum possent. Nam adscitus est a XLIV. suffragante *Bertino*, in *Academiae* Scientiarum *Parisiensis* consortium, primum hactenus, ut per literas inventa a se & observata ad Academicos referret, mox, ut ipse in Academicorum numero esset: anno autem XLVI. in Academiam *Rothomagensem*, & ad extremum in *Suecicam*. Neque domestica ei præmia defuere. Nam a. XLVII. Physiologiam, proxime sequente, Anatomen & Chirurgiam, publice inter ordinarios profiteri iussus est: duobus autem post evocatus est *Dresdam*, ad Regis valetudinem curandam, & Collegium Medico-Chirurgicum consiliis & auctoritate regendum, hac conditione, ut locum inter Professores Lipsienses retineret, & ipse legeret, qui sua vice Anatomen & Chirurgiam *Lipsiae* doceret.

Omnium maxime adamaverat Anatomen: quam qui negligerent, aut contemnerent, velut sordidam, foedam, & parum

rum ſalubrem, nihil aliud niſi ignaviam profiteri iudicabat. Nec profecto mundius & elegantius eſt, fiſtulas ani inſpicere, & hernias tractare, nec ſalubrius, valetudinaria obire. Atque etiam hanc ob cauſſam videatur puriſſima, quod eam ſolam Empiricorum vulgus profanum non attingit. Sed omnium illa medicæ doctrinæ partium eſt difficillima, ipſo *Hippocrate* (*de Corde, init.*) negante, cuiusvis eſſe, corpora ſecando bene tractare. At *Gunzii* erat. Etenim nec ſumtibus in comparando inſtrumento Anatomico, nec labori in exercendo, nec ſibi unquam pepercerat: mentem, oculos, manum, cultellos denique ipſos, ita ſibi obedientes diligentia & aſſuetudine reddiderat, ut nunquam aberrarent. In hac porro fabricæ humanæ indagatione ſolis oculis credebat: his ipſis tum demum, cum aliquoties idem teſtati eſſent: non ignarus, quam facile oculi viderent, quod videre vellemus, quam facile ſpecie inani deciperentur: nihil opinionibus tribuebat, omnia cultello: munditia denique tanta adhibebatur, ut nec delicatiorum oculi demonſtrationes eius refugerent, quas etiam facilitas quædam explicandarum rerum, rationumque reddendarum commendabat, tanta illa, ut omnibus appareret, dudum in poteſtate habuiſſe virum, quæ aliis traderet.

Multa in omni parte medicæ doctrinæ vel invenit, & vidit primus, vel ea luce perfudit, ut inveniſſe videretur. Interiorem arteriam maxillarem, in quam ille carotida exteriorem deſinere putabat, longe planius & diligentius ipſo *Vinſlovio* deſcripſit: at vaſa lymphatica & venas, quæ in ligamento, quo hepar ſuſpenditur, medio atque ſiniſtro ad ſeptum tranſverſum, & peritoneum adſcendunt, primus deſcripſit, lineari pictura expreſſit, & quem uſum in corpore humano haberent, oſtendit. Glandulæ θυρεοειδοῦς fabricam figuramque, cartilaginem κρικοειδῆ, & muſculos στερνοϋοειδεῖς, στερνοθυρεοειδεῖς, στυλοϋοειδεῖς, κρικοθυρεοειδεῖς, alioſque, novis obſervationibus, in Academicorum Pariſienſium Commentarios relatis, illuſtravit, itemque ſepta, quibus plures

 corpo-

corporis humani cavitates dirimuntur, quæ ille primus docuit, non per medium duci, sed cavum quodque, ut Circum Romanum spina, inæqualiter partiri. Nec minus lucis adfudit cerebri partibus, matri piæ & ἀραχνοειδεῖ, lobis, substantiæ corticali & medullari, matrisque duræ in falcis speciem propagationi & sinubus, glandulæ pineali, ventriculis, infundibulo, fornici, aliisque. Nihil tam laborabat, quam ut omnium corporis partium situm recte definiret atque describeret, cuius diligentiæ specimina utilia exstant in libello *de Utero & muliebribus*. Nec minus curabat hoc, ut, sicut alia Medicorum & Chirurgorum inventa, ita, quæ diligentissimus quisque apud exteros partium corporis indagator reperisset, & ipse cognosceret, & cum studiosis in prælectionibus communicaret, velut de fabrica, figura, mutationibus, usuque ossium in infantibus recens natis, pueris, adolescentibusque, aliaque permulta, nullis parcens sumtibus, dum studio suo obsequeretur, & studiosorum utilitati consuleret. Neque satis habebat, naturam partium corporis omnium accuratius cognoscere, observationis solam vel suavitatem vel laudem expetens, sed ad usum curationum, tum earum, quæ medicamentis fiunt, tum, quæ manum desiderant, conferre tentabat. Nam & morbos & vitia, quæ infestant corpus humanum, in his ἀμαύρωσιν, σταφύλωμα, & cataractam, itemque hernias & ozænam maxillæ, diligentius pervestigavit, ita, ut novos medendi modos exquireret & meliores. In quo ei subinde accidit, quod multis ante ipsum magnis viris, ut invidia ei fieret ab iis, qui etiam in curationibus morborum aliquid innovari, nisi ab se, non ferrent, ut, cum Peruvianum corticem, & vomitoria adhiberet in morbis iis, in quorum curationes eis nondum aditum consuetudo & consensus medentium fecisset. Sed eam ille invidiam superabat constantia, & eventu curationum magnarum felici, qui ei tam sæpe contigit, ut certatim eum & admirarentur alii & imitarentur, ii autem, qui periculosius ægrotarent, eius auxilium in primis expeterent.

Multa

Multa ſcripſit, plena obſervationum maxime, tum alius bonæ frugis, pleraque per occaſiones ſcholaſticas, ut in doctoribus creandis, Anatomicis exercitationibus indicendis, aut iuvenibus ad diſputandum producendis, quædam etiam in Commentarios exterarum Academiarum relata, de libris medicis in his Actis noſtris plurima, libellos denique alios. *Hippocratis* libellos de *humoribus purgandis & de Diaeta acutorum*, itemque *Epidem.*, *Sect. I. a Guil. Dureto* cum Verſione latina & doctis commentariis editos, non modo repetendos formis Lipſienſibus curavit, ſed etiam novis animadverſionibus verborum atque rerum auxit, præfixa etiam elegante & erudita præfatione. Atque in animo habebat edere alterum Volumen *Aëtii*, & *Celſum* emendare atque illuſtrare, comparatis undique & ſcriptorum & editorum ſubſidiis, ſed id conſilium prætnatura mors deſtituit.

Etenim cum ab adoleſcentia incredibili flagraret diſcendi ſtudio, cuperetque excellere inter paucos, incidit in quandam legendi cogitandique quaſi intemperantiam, qua commiſit, ut hypochondria vitium contraherent. Eius mali vis primum erupit a. ſexto & quadrageſimo, non ſine periculo vitæ; quod ille quidem tum evaſit, ceterum ſubinde illius mali reliquias & ſenſit & timuit. Auctis deinde & negotiis, & moleſtiis munerum, magis in dies fractum eſt corpus per ſe non admodum robuſtum; cuius latentia vitia amicis color oris pallidus & luridus ſatis indicabat. Nec ipſe ignorabat imminens periculum. Nam anno toto ante, quam occubuit, animadverterat, arteriæ motum tertio quoque tempore hiare, & imbecillitatem corporis in dies augeri ſentiebat. Ipſum diſcrimen eum oppreſſit in procinctu itineris in Poloniam, anno ab hoc altero, menſe Iunio; quo in comitatu regio iturus erat. Nam repente eum invaſit primum imbellicitas, qualis eſſe a defatigatione gravi ſolet, mox catarrhus vehemens, ſed tanto cum æſtu, ut mox in acutam febrim exardeſceret, ex qua inflammatio orta, cuius perſpicua ſigna ſexta die,

mor-

mortem adesse, nunciabant: quæ altero die, h. e. a. d. XXII. Iun. consecuta est, magno cum moerore suorum, ac dolore omnium, qui viri ingenium, doctrinam, artem, virtutemque cognovissent, & quanta in eo iactura facta esset, iudicare possent. Uxorem habuit *Ioannam Caritatem Hocheimeriam*, Lipsiensis mercatoris filiam, matronam ornatissimam, ex qua duas filias totidemque filios suscepit: quos paternæ laudis hæreditatem tueri cupimus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae
Calendis Martii Anno MDCCLVI.
Pars II.

GROOT CHARTERBOEK DER GRAAVEN VAN Holland, van Zeeland, en Heeren van Vriesland &c.

h. e.

CODEX CHARTARUM SIVE TABULARUM publicarum Comitum Hollandiae, Seelandiae, & Dynastarum Frisiae, primas antiquissimasque litteras, quae has regiones spectant, usque ad obitum Comitis nostrae, Dominae Iacobae Bavarae, complectens, variantibus exemplorum transscriptorum lectionibus, & brevibus nonnullis animadversionibus illustratus, collectus, atque in ordinem redactus a FRANCISCO de MIERIS. Opus quadripartitum.

Lugduni Batavor. 1753. fol.
Pars I. Alphab. dupl. 3. & pl. dupl. 9. *Pars II.* Alphab. dupl. 4. & pl. dupl. 17. præter præf. & indices.

Quod priſtinas multarum regionum rationes, mores, inſtituta, leges & iura ignoramus, id efficit, ut in commentariis de rebus horum populorum geſtis, magno hiſtoriarum malo, multa ſint denſis interdum tenebris obvoluta. Satis hoc incommodorum parit illis, quorum intereſt, ad recenſenda priſcorum monumenta animum

adplicare: propterea quod aliquando vix habent, ex quo probabile ferre iudicium possint. Cuius quidem rei ut ne definita quaedam notatio deesse videatur, non alienum erit, in memoriam revocare, quam sint in Historia maiorum nostrorum, pristinorum Germaniae incolarum, eam ob rem difficiles, quin imo irritae saepius investigationes permultae. Non autem litteris tantum, sed universarum etiam nationum publicae rei magnum attulit detrimentum iuris antiqui oblivio. Etenim, ubi de praecipuis quibusdam commodis insigni olim studio quaesitis controversia nascitur, quod variis de causis accidere non raro solet, antiquitatis auctoritas vel una praesidio esse potest, & adiumento. Itaque, nisi, quibus in tabulis perscripta sunt iura & instituta veterum, illae tabulae diligenter fuerint asservatae, summum ius summa nonnunquam fit iniuria. Magnis rerum conversionibus, quas temporis longinquitas inducit, bellis, incendiis, aliisque casibus adversis, impediri vix potest, quo minus multa prioris memoriae monumenta deperdantur. Hoc profecto studiosius caveri oportuit, ne sola hominum negligentia idem eveniret. Atque etiam fuit haec temporum nostrorum felicitas, ut existerent viri non laboriosi modo, sed ingeniosi quoque, qui dispersa partim, partim situ obruta iurium legumve volumina molesto labore colligerent, itaque veluti ex membris variis unum quasi & aptum corpus formarent.

Non exiguo inter hos numero habendus est scriptor industrius, cuius, & in patriam suam, & in rem publicam litterariam merita, nunc ex opere supra dicto commemorare in animum induximus. Illud enim, sive magnitudinem voluminis, paremque huic diligentiam, sive tanti laboris utilitatem spectes, egregiam Auctori laudem vindicat. Utramque vero rationem penitius nosse, multum interest illorum, quibus fieri potest, ut tanta libri huius copia aliqua in re subsidio sit. Quapropter utramque longius paullo persequi statuimus. Dicemus primum de utilitate.

Batavorum sors & conditio, quantam inde ab antiquissimis temporibus cum rebus publicis aliarum gentium habuerint

rint coniunctionem, nemo est, quin sciat. Cum autem historia eorum populorum, quibus intercedit quædam cum alio sive iuris sive negotiorum publicorum communio, neque enarrari, neque intelligi plane possit, nisi huius etiam rationes cognitæ sint atque perspectæ: Batavorum institutis enodate descriptis, lux omnino insignis variarum nationum publicis rebus affundatur oportet. Sed quid, quæsumus, ad hæc instituta cognoscenda magis est appositum, quam litteræ eorum, qui summam rerum tenuerunt? Idcirco non tantum iure suo scriptor noster prædicat, opus suum, ad historiam Comitum Hollandiæ, & facis prælatæ & lapidis lydii instar esse, sed etiam, si omnem, cum patriæ, tum aliarum regionum historiam, hac eadem opera non parum provehi contenderet, non verendum esset, ne quid arroganter facere videretur. Taceamus, res quoque sanctiori in coetu gestas insigniter his voluminibus passim illustrari: quamquam omnino illud prætermittendum non est, ideo quod sunt vere Comitum in litteris ad sacrum ordinem pertinentia quædam haud exigui momenti.

Aliud est, nec levius emolumentum, iuris scientiæ hoc codice comparatum. Ut sit enim magna iuris Romani præstantia, ut sit maxime laudabilis doctorum hominum in decretis illius eleganter explicandis ardor: tamen, diverso sub coelo, diverso regionum in tractu, natura locorum diversa, diversis hominum ingeniis, idem ius solum valere, repugnantiam habet. Ex quo efficitur, iuvenibus, ad capessendam aliquando rempublicam natis, & liberaliter educatis, nihil magis vitio verti posse, quam a patrii iuris cognitione destitui. Ecquid autem hoc malo certius erit, nisi tabulæ publicæ in medium proferantur? Fuit olim Batavorum ea tuendis iuribus suis solertia, ut nulli Comitum sese sacramento obstringerent, nisi qui fidem ante dedisset, sarta tectaque fore pristina ipsorum iura: neque temperanter tulerunt Philippum, Burgundiæ Ducem, qui primus litteris suis addidit verba imperiosa: *Nam ita nobis visum est*. Hæc tanta iuris observantia documento nobis est certissimo, tabulas publicas religiose ab

iis custoditas fuisse. Quinimmo ipse Carolus V. anno 1545. illarum indicem fieri iussit, cuius adhuc exempla manu scripta superesse scriptor noster profitetur. Enimvero, cui bono hæc omnia? si lateant in tabulariis, quæ iuris consultis nota esse oportuit eum in finem, ut, quid quoque loco sanctum sit, simul ac quæstio inciderit, reperire possent. Horum igitur commodis doctissimus vir, de Mieris, eo magis inservit, quo maior rerum laudabiliter constitutarum pars litteris Comitum Hollandiæ continetur.

Nunc de pertinaci scriptoris nostri diligentia deinceps pauca dicamus. Si, quantum utilitatis ex molesto labore, quem pene omnes reformidant, proficisci videmus, tantum illi commendationis attributum esse par est: sane, qua de industria loquimur, ea non vulgari quodam applausu erit ornanda, quod & plurimum in commune confert, & multorum annorum in superandis difficultatibus subinde novis perseverantiam testatur. Chartas ubique locorum dispersas anquirere & comportare, tabularum exempla varia pervestigare & invicem conferre, quid sincerum sit, quid corruptum, iudicare, temporum rationes expedire, suum cuique locum assignare, cum arduum sit, tum est maxime operosum. Coepit propterea scriptor noster multis abhinc annis necessaria ad hanc rem subsidia sibi comparare, & usque ab illo tempore consilium suum ad exitum perducere diligenter allaboravit. Quod omnino hanc vim habet, ut, si qua sint non omnibus numeris absoluta, laudare magis hoc tantum studium, quam neglectum aliquem reprehendere conveniat.

Longum foret, & alienum, separatim, sive omnes & singulas, sive nonnullas opere hoc contentas Comitum litteras recensere: quandoquidem alterum limites nobis positos nimium quantum superat, & ab ipso auctore indice peculiari factum est; alterum sine consilio, ut fieri deberet, facere non attinet. Quamobrem satis habebimus, generatim & universe primum, quot annorum litteræ singulis partibus prodantur, exponere: deinde, quibus de rebus scriptor ipse lectores monere

con-

consultum esse duxit, eas breviter referre: tandem, quibus usus sit adiumentis, indicare.

Pars I. complectitur Comitum litteras inde ab anno 723. usque ad annum 1299: *Pars II.* litteras aliorum Comitum inde ab anno 1299. usque ad annum 1356. In his etsi non paucæ sunt, variis in libris iam olim publici iuris factæ: tamen eas negligere, nec res, nec ratio tulerunt, ne mancum opus esset atque imperfectum.

Summo studio eam ubique legem sibi dixit scriptor, ut ad ipsa autographa, vel sicubi hæc deessent, ad antiquissima & curatius transscripta litterarum exempla, quæ proelo expressis semper anteponenda iure putavit, cuncta conformaret. Neque usquam, ex prisca linguarum forma quæ occurrerunt, sive vocabula, sive loquendi formulas, verborumve constructiones, immutare aggressus est: quippe quo pristina scripturæ monumenta depravantur magis, quam vere traduntur. Attamen, ne quis rerum ignarus, hæc antiqua legens, hæreret, eius caussa quædam in præfatione monita videmus.

Litteris latine scriptis, mos olim fuit, ex patria lingua semper addere interpretationem, ut, quibus iura multo nonnumquam argento, multo etiam aliquando sanguine quæsita concederentur, ii scirent, an vere essent, exposita, nec ne? Has interpretationes, ubi repertæ fuerunt, una edi Scriptor noster curavit: illis autem litteris, quarum nulla superfuit interpretatio, sua singulis argumenta lingua Batavorum vernacula præfixit.

Tantus antiquorum monumentorum numerus, quantus hic exprimitur, certe non potuit adeo curiose tractari, ut, quæ subobscura viderentur, ea singillatim illustrarentur omnia: fuit enim satius, paucioribus animadversionibus plures iurium tabulas in medium proferre, quam auctis illis harum de copia diminuere. Itaque non mirabuntur Lectores, si pauca tantum, huic accommodata proposito, passim annotata deprehenderint.

Iam vero ægre quis ferat, litteras, ex codicum manu scriptorum vetustate nunc demum erutas, non esse a reliquis

sua quadam nota distinctas. Sed iusta Scriptor celeb. utitur excusatione. Sunt in illarum numero nonnullæ, olim quidem editæ, sed tum mutilatæ, quibus eadem nota non congruit. Quare, aut alio signo, aut inepto necesse erat has definire. Neutrum probari poterat. Facile enim, ulla sine nota, omnes discernuntur: cum singulis ante iam editis subiecta sint, vel scriptorum, vel librorum nomina, unde sunt repetitæ; quamquam, si pluribus eædem locis reperiuntur, non spondet auctor, omnes hos sive scriptores, sive libros, ubique a se nominatos esse.

At supervacaneum forsitan nonnullis videbitur, tot, tamque longa variarum Hollandiæ civitatum iura, quæ maximam partem eodem redeunt, separatim esse proposita. Sed hi videant, ne quid temere incusent: quod hanc culpam quilibet facile præstabit. Nam primum illa omnia sunt quasi prima & antiquissima documenta, certis ac æqualibus legibus iuribusque Batavorum civitates sese consociasse. Deinde sunt veluti foedera, quæ suis cum Comitibus Hollandiæ ordines sanxerunt, ut de tutela illorum & auxilio certi essent.

Neque potuerunt omitti litteræ donationum, coetui sacro Ultraiectinorum, a Francorum primo principibus, regibusve, Germanorum deinde ab imperatoribus factarum: licet ab Heda & Buchelio Lappioque, in historia episcopat. Ultraiect. iam fuerint editæ. Docent enim, quæ fuerit illorum principum in has regiones potestas: ac præterea Comitum litteras, quarum nullæ primis his temporibus scriptæ inveniri potuerunt, quodammodo supplent.

Sunt nonnulla iuris antiqui monumenta, quæ nimis exilia forte putabuntur. Nihilo tamen secius primorum temporum delectu fas non erat illa negligere: siquidem veluti vinculum sunt, quo partes istius iuris singulæ colligantur quasi & continentur. Interea insignis eorum numerus, quæ res plane privatas & leves nimis spectant, merito est exclusus.

Quatuor etiam vel quinque, quæ suppositæ creduntur litteræ, non tamen sine notatione eius vitii, insertæ sunt; ut ne quis vel neglectas, vel ignoratas fuisse arbitraretur.

Eri-

Exiguus pariter litterarum ecclesiasticarum numerus transscriptus est, ideo, quod fuere qui indignari viderentur, easdem omitti.

Quod animadversiones nonnullæ litteris etiam latinis vel gallicis lingua Hollandica subiectæ sunt, id multorum exemplo tueri licet. Has autem non ita multas esse cum supra dixerimus, & fieri id aliter non potuerit, quoniam complures Comitum litteræ, eo demum tempore, quo proelo iam erat liber commissus, ad auctorem pervenerunt: in subsidium adhiberi poterit historia Batavorum patria: quam eodem fere, atque codicem nostrum, tempore, in lucem esse emissam, huius nos præfatio docet. Itaque non nisi unum id superesse Scriptor noster ait, ut ipsa Comitum gens, & familiarum origines, dilucide describantur: quod tabulis gentilitiis modo edendis se curasse refert.

Tantæ molis opus perficere, non erat ullius, nisi multorum opera iuvaretur. Celebrat scriptor noster prolixam erga se voluntatem, & egregium boni publici studium eorum, qui codices ipsi manuscriptos suppeditare non gravati sunt. Horum omnium nomina, sed etiam illorum, qui repræsentata pecunia libri editionem adiuverunt, indicibus duobus præfationi subiunxit. Verum aliis quoque ex fontibus hauriendum fuit, quos non omnino tacere promisimus. Sunt in his Rymeri Acta, Goldasti Constit. Imp. Schilteri & Eccardi script. German. Miræi Op. diplom. una cum supplementis, & eiusdem codex donation. piar. Baluzii capit. reg. Franc. Dumont corps diplomat. Martene & Durant collect. nov. Corps diplomat. du droit des gens, Boxhornii theatr. Holland. Hedæ & Buchelii hist. episcopat. Ultraiect. Pontani hist. Gelr. Winsemii hist. Frisiæ, lingua Hollandica, van Loon antiquiss. hist. Holland. lingua Batavorum vernacula, Dousæ annal. Hollandiæ, Scriverii princ. Holland. Les chartres des Comtes d' Hollande, van Leeuwen Batavia illustrata, Anton. Matthæi analecta, eiusdemque annal. Egmondenses, Ioh. a Leidis Chronic. Egmond. Plures non commemoramus: sed finem facturi, (cum pauca modo & summatim dixerimus,) lectores iterum

iterum monemus, eam esse operis ipsius rationem, ut nulla argumenti pars speciatim exponi queat, nisi frustra quis velit allaborare.

GUILIELMI WALLI, THEOL. D. SHOREHAMI in Cantio Vicarii, Historia baptismi infantum PARS II. *varia, quæ ad illustrandam eam historiam faciunt, complexa. Ex anglico latine vertit, observationes item nonnullas & præfationem, quæ aliqua sui parte ad Cel. LOENIUM pertinet, addidit, IOAN. LUDOVICUS SCHLOSSER Past. ad D. Cathar. Hamb. & Scholarcha.*

Hamburgi, apud Christ. Wilhelm. Brandt. 1753. 4. Alph. 4.

Felici tandem omine, celeberrimus Auctor, cupidissimis lectoribus *Wallianum* opus offert, cui nec industria nec tempus deerat, multo citius promissum hunc laborem præstare, nisi cum bibliopola, cunctatore moroso, rationes ipsi fuissent conficiendæ. Satis tamen opportune id accidisse videtur, dum interea temporis *Loenianae* monstrosæ de Sacramentis Christianorum præceptiones magis magisque in vulgus emanarent, atque hinc venerabili Auctori messis accresceret, quantum quidem ad *Loenii* de pædobaptismo doctrinam attinet, genuinam servatoris doctrinam confirmandi atque vindicandi. Paradoxa *Loenius* multa, cum aliis huius sortis doctoribus, in neoterico suo pacis templo proposuerat; inter quæ quidem non negat, homines Christi doctrinam profitentes, sacro lavacro esse abluendos, ea scilicet ex ratione, quoniam *sacramenti*, ex veterum usu ita dicti, id est, *iurisiurandi militiae caussa dandi*, indolem baptismus referat. Pergit tamen *Loenius*, & asserere non dubitat, primis christianæ religionis temporibus, de baptizandis infantibus ne cogitatum quidem fuisse. Perhibet inde & putat, Anabaptistas veteris ecclesiæ morem servare, non admittentes, ut sacro fonte initientur, nisi eam ætatem fuerint consequuti, quæ cognoscen-

ſcendis præcipuis revelatæ divinitus religionis capitibus eſt idonea. Scita ſua *Loenius* ſanctiſſima habet, iiſque contradicere nefas eſſe ducit, dum hæc omnia ex hiſtoriis eccleſiaſticis uſque adeo nota compertaque eſſe ſcribit, atque confidentiſſime ea aſſerit, ut mira ipſi res videatur, immo ſtupenda prorſus, qui fieri ſcilicet potuerit, ut callide adeo rem clerus ageret, &, quicquid lucro ſibi eſſe ſentiret, in fidei ac ſalutis articulos converteret. En Loenianas nugas! Oſtendit præfatus Auctor, quam ieiunum atque exile ſit illud, quod de lucello dixerat *Loenius*, quam infirma ſint ea omnia atque futilia, quæ ex antiquitatibus eccleſiaſticis ad profligandum pædobaptiſmum ipſe ſcripſerat. Pari ratione, doctiſſima nempe, agitur cum larvato illo auctore, ſub I. *Hierophyli* nomine latente, qui cruda de ſacramentis cogitata ante annum protruſit, cum *Loenio* etiam in eo conſentiens, quod ſacramenta inter meras cærimonias ſint habenda, & quod ne baptiſmus quidem, ex mandato Chriſti, vim legis perpetuæ atque univerſalis nactus, ſed indifferenter ab apoſtolis habitus, immo ad legem potius, quam ad evangelium, relatus fuerit. Varia hæc doctrinarum monſtra celeberrimus *Schloſſerus* fortiſſime repulit, & internecioni dedit, quod unuſquiſque, veritatis amans lector, nobiscum ſentiet, inprimis ſi ea percipere velit, quæ *Wallus*, Anglus doctiſſimus, cum *Schloſſero*, in *prima* huius Operis parte, & nunc in *ſecunda* etiam ediſſeruit, ad cuius iam enarrationem properamus, ita tamen, ut Venerabilis *Schloſſeri* veſtigiis hic inſiſtere nobis liceat, cum meliora vix afferri, quam ipſe nobis propinavit recenſenda, poſſint.

Poſteaquam per *primam* libri ſui partem, cel. Anglus, de pædobaptiſmi uſu antiquiſſimo teſtimonia ſua clare firmiterque propoſuerat, continuat nunc ſuam atque illuſtrat hiſtoriam, de baptiſmo infantum, per capita *ſecundae partis* ſingula. Omnia, quæ hic occurrunt, ita ſunt comparata, ut facili negotio exinde cognoſcatur, quinam fontes ſint aperiendi, quiſque modus ſit eligendus, ad diiudicanda ea omnia, quæ in hanc rem præpoſtere atque intempeſtive, nec minus

Pag. 2. tamen confidenter, proferri solent. *Primum* itaque Caput lectores sedulo monet, ut caveant sibi, ne nubem pro Iunone arripiant. Multa enim, quæ diligentissime *Walli* diligentia excussit, occurrunt testimonia veterum autorum spuria, seu male tractata, atque sinistre exposita, & illa in primis, quæ adultorum baptismum, utpote illis temporibus, ex quotidianis proselytorum accessionibus, frequentiorem, crebrius attingunt atque enarrant, quam baptismum parvulorum, de quo eadem testimonia nihil quidquam vel adfirmant, vel negant. In quinque fere classes spuria hæc & sublestæ fidei, ex *Walli* sententia, possunt dispesci testimonia. Sunt enim alia horum locorum ex spuriis libris, quos recentior ætas
4. confinxit, petita: alia ad rem præsentem plane non faciunt:
8. alia vim mutationemque insulsorum hominum sunt experta: alia modo falsis nituntur conclusionibus, perperam ex ver-
12. bis auctorum deductis, & subdole pro verbis auctorum propositis: alia denique loca plane sunt falsa, ab impugnatoribus pædobaptismi excitata; cuius generis exempla hic plane
14. non desunt. In Capite *secundo* de doctorum recentioris ætatis virorum opinionibus curate agitur, tum affirmantium, tum negantium, infantes olim fuisse baptizatos. Communis hic a *Wallo* pædobaptismi usus conceditur, in quo omnes fere consentiunt. Pauci admodum sunt, existimantes, vel nullum initio fuisse pædobaptismum, vel indifferentem illum
16. fuisse habitum. Hinc nominatim hic excitantur testimonia, *Walafridi Strabonis, Ludovici Vivis, Stephani Curcellaei, Nicolai Rigaltii, Ieremiae Tayloris*, episcopi, qui & ipse omnia contra pædobaptismum a se prolata argumenta solidissime dissolvit, porro *Thomae Barlovii*, episcopi Lincolnensis,
43. *Iacobi Billii*, & *Claudii Salmasii*. Ad *Hugonem* deinde *Grotium* Auctor descendit, existimans, primum illum fuisse, qui de pædobaptismo indifferente olim peroraverit. Hanc opinionem etiam *Taylorius* præsul fovit. Reliquorum quæ fuerit sententia, ipsi lectores in *Walli* libro legent. Ad finem huius capitis doctissimus Anglus monet, recentiorum eruditorum, qui parvulorum baptismum, vel nullum

fuisse

fuiſſe initio, vel certe non univerſalem fuiſſe, opinantur, ple- Pag. 58.
roſque exemplis quorundam veterum eſſe inductos, qui, etſi parentibus editi chriſtianis, nequaquam tamen baptizati in infantia, dicuntur. Ex hoc factum eſt, ut *Wallus* e re ſua fore exiſti- 59.
maret, ſi coniungeret cum his exempla eorum, qui parentibus nati Chriſtianis, tamen adulta demum ætate baptizati fuiſſe perhibentur. Diligentiſſime hic capite *tertio Wallus* rem ſuam tractat, de ſingulis perſonis inquirens, ut nervus omnis argumenti inde deducti corroboretur, & in eo ſubſiſtens, an exſtent baptizati adultioris ætatis, & certo quidem antiquitatis teſtimonio? Si fuerint, utrumne parentes habuerint, quum naſcerentur, iam baptizatos, an alienos adhuc a fide, vel catechumenos ſaltem. Larga hic exemplorum meſſis adeſt: ex quibus tamen unicus, ſi quis omnino, *Gregorii*
Theologi pater eſt, qui, licet baptizatus, tamen liberorum ſuo- 71
rum baptiſmum diſtuliſſe videtur; cum cæteros omnes, vel parentibus baptizatis editos, vel baptizatos ipſos adulta iam ætate, aut manifeſto falſum, aut alterutrum certe temere, nullaque veterum auctoritate idonea affirmari, exploratum ſit. In *Sectiones duodecim* hoc Caput, ob argumenti commodiorem uſum, eſt diviſum. Inſcribuntur hæc: de Conſtantino, eiuſque filio Conſtantio, qui non fuerunt nati baptizatis paren-
tibus: De Gratiano & Valentiniano II. cuius utriuſque pa- 82.
trem baptizatum Chriſtianum fuiſſe, nativitatis ipſorum tem-
pore, probari nequit: De Theodoſio I: De Baſilio, quem 91.
baptizatum in infantia non fuiſſe, probari nequit: De Grego- 94.
rio Nazianzeno, quem in infantia baptizatum fuiſſe, a vero 102.
non abhorret, licet baptizatis parentibus natus videatur: De 120.
Nectario: De S. Chryſoſtomo, cuius parentes, quum naſce-
retur, a ſacris chriſtianis alieni fuiſſe videntur: De S. Am- 128.
broſio, cuius parentes chriſtianos, dum naſceretur, fuiſſe,
nuſquam relatum legitur: De S. Hieronymo, quem in infantia 134.
baptizatum non fuiſſe, argumenta nulla ſunt, quibus doceri
poſſit: De S. Auguſtino, cuius pater, gentium profanarum 147.
ſuperſtitioni, quum naſceretur, & longo tempore poſt, fuit
deditus. Denique de Monica, Adeodato, Alypio, aliiſque 153.

V 2 non-

nonnullis agitur, quorum exemplum nullum ad rem præ-
Pag. 159. ſentem facit. *Quartum* Caput de Britonum veterum eccleſia, & de ſectis nonnullis, Novatianorum ſcilicet ac Donatiſtarum, agit, quos antipædobaptiſtas fuiſſe aliqui opinantur. In eo hic *Wallus* occupatus eſt, ut evincat, hæreticos hos non fuiſſe anabaptiſtarum & antipædobaptiſtarum primipilos; nec probari poſſe, illos infantibus baptiſmum negaſſe, ſed longe aliis ex rationibus eo nomine fuiſſe illos inſigni-
167. tos. Perbreve hoc caput ſequitur *quintum*, de hæreticis quibusdam, omnem qui aqua peragitur baptiſmum inficiantibus, atque diverſis vicibus eundem hominem baptizantibus, exponens, ubi etiam attingitur controverſia de baptiſmo iterando in eccleſia catholica, & de Paullianiſtis, quos denuo baptizari, ſi in eccleſiam tranſire vellent, Nicæni patres præ-
184. ceperunt; eos ut ulciſcantur, hodierni Paullianiſtæ, tritheiſmum illis impingunt; ſed oſtenditur, falſam eſſe accuſationem eam. Quod etſi alienum ab hoc loco videri poſſit, tamen nec fruſtra, nec temere ita fuiſſe factum, docebunt ea, quæ
187. *Wallus* de Socinianorum molitionibus enarrat. Nec ſuper-
201. vacaneum eſt, noſtros homines monere de illis rebus, cum multi, parum de priſcis coetuum chriſtianorum doctoribus, de ingenio autem ſuo critico, nimium ſentiant, atque adeo de illorum nævis, ſeu veris illis, ſeu fictis, nimis confidenter pronuntient. Sed redeamus ad coeptum laborem. Ad baptiſmum parvulorum, ex antiquitate chriſtiana confirmandum, haud parum refert conſtans veterum, de baptiſmi
216. ad ſalutem conſequendam neceſſitate, ſententia. Doctiſſimus Anglus, in capite *ſexto*, firmat ſententiam ſuam generali illo ſanctiſſimi ſoſpitatoris noſtri effato, de regeneratione per aquam & ſpiritum, *niſi quis renatus*, &c. *Ioh. III.* pronuntiato. Quod qui in alienam ſententiam interpretari, recentioribus demum ſæculis conati ſunt, haud contemnendam pædobaptiſmum impugnantibus gratiam fecerunt. Oſtendit hac oc-
218. caſione doctiſſimus *Schloſſerus*, fruſtra in eo elaboraſſe *Lampium*, ut binorum patrum antiquiſſimorum, de huius oraculi ſententia conſenſum, dubium efficeret. Atque utinam, ſcribit

bit Noster, ipsi secum animo reputare ac perpendere velint. ii, qui in hac re veterum vestigia deserunt, num credibile sit, usque adeo veram illius oraculi sententiam antiquioribus omnibus periisse ecclesiæ doctoribus, ut, cum vix alio frequentius uterentur, nullum eius in scriptis eorum vestigium deprehendere liceat? aut num usque adeo veri rectique negligentes fuisse videri possint, ut, quid illud demum rei sit, sine
quo coeleste Dei regnum quemquam ingredi posse, Christus Pag. 221.
cum solemniori adseveratione negaverit, si quis dubitandi locus fuisset, diligentius sibi perquirendum esse non cogitarent? Mira res sane est, ne Pelagianos quidem, cum hoc eodem oraculo premerentur, de veriori aliqua, & antiquiori, si quæ fuisset, interpretatione, quidquam suspicatos fuisse; nec quemquam eorum, qui procrastinantes baptismum suum illo urgerentur, de occupanda eiusmodi obiectione unquam sollicitum
fuisse. Necessitatem denique parvulos baptizandi quod agno- 240. sq.
verint omnes, docent ea, quæ de statu infantum, qui baptismi 154. sq.
expertes e vita discesserint, varie disputata hic recensentur, & aperte declarant rerum intelligentibus, plures fuisse, qui nimium, quam qui iusto minus eidem tribuerent: id quod doctissimus *Wallus*, in hoc capite, usque ad tem-
pora repurgationis sacrorum, apprime docuit. Huius rei 281.
historiam Auctor nectere pergit capite *septimo*, ubi docet, quis fuerit status huius instituti baptismatis inde ab anno quadringentesimo, usque ad exortum Antipædobaptistarum in Germania. Occurrit hic negati vel improbati infantum baptismi vestigium nullum, quod quidem certum atque exploratum sit, inde a quinti sæculi initio, usque ad modo dictum
Anabaptistarum exortum furorem. Ostenditur hic præclare, 288.
Hincmarum Laudunensem, *Brunonem Andegavensem*, *Beren-* 291.
garium, *Waldenses* item & *Albigenses*, frustra hic allegari: nisi quod *Wallus* adversariis pædobaptismi largiatur, *Petrum Bruisium*, & *Henricum*, cum sectatoribus, prima anti-
pædobaptismi fundamenta iecisse. Contendit vero summe 327.
venerabilis *Schlosserus*, etiam hic dubitandi locum superesse. 333.
In *octavo* Capite Anglus doctiss. ad præsentem huius contro-

versiæ statum enarrandum procedit, atque demonstrat primo, in omnium per Europam, Asiam, atque Africam nationum Christianis coetibus, baptizandi infantes consuetudinem
Pag. 341. vigere; ne *Georgianis* quidem exceptis Christianis, quorum
348. baptizandi ritum, deplorandi religionis ipsorum status specimen, ex Chardino descriptum sistit. Pariter *Abassenii*, ut
351. certo constat, baptizandi ritum in parvulis adhibent. Post ea describit brevibus, Auctor, historiam Anabaptistarum in Ger-
361. mania & Belgio, in Anglia, in Polonia, Bohemia, Moravia, Hungaria, & Transylvania. De Angliæ inprimis Antipædo-
371. baptistis vix lectores nostri curiosi plura desiderabunt, si *Walli* observatis in posterum ea accedant, quæ vir clarissi-
457. mus, iudice *Schlossero*, *Alberti*, in epistolarum suarum parte quarta, de statu religionis & literarum in Anglia hodierno,
458. germanice editarum, exspectari iussit. In Capite *nono* consultum visum fuit *Wallo*, antiquissimos baptismi ritus exponere, ubi in primis historia immersionis baptismalis recensetur,
468. primis iam Apostolorum temporibus exortæ, atque per plura secula continuatæ, tandemque in occidentalibus ecclesiis, quarum postrema Anglica hic statuitur, cum affusione,
480. seu aspersione, commutatæ. Post hæc *Wallus* professioni-
528. bus, cum actu baptismali coniunctis, & veterum symbolorum historiæ, plurimum operæ impendit; ad calcem denique capi-
570. tis, de eucharistia, olim infantibus baptizatis exhiberi solita, nonnulla præcipit, ita tamen, ut *Wallus*, quantum ad libellum *Zornii* hac de re conscriptum attinet, excusatione
582. *Schlosseri* nostri dignus omnino visus fuerit. Caput *decimum*
587. continet summam & recapitulationem, quam dicunt, omnium
620. argumentorum, in utramque partem allatorum. Tandem, colophonis instar, *Wallus*, in capite *undecimo*, eodemque ultimo, dehortationem addit, ne scilicet, ob dissensum de ætate seu tempore baptismi recipiendi, secessio in ecclesia fiat. Iudicat cel. *Schlosserus*, *Wallum*, de momento huius controversiæ, minus aliquanto quam par est sentire. Poterunt hoc pacto palliari interdum, quæ sanari mallemus, ecclesiæ vulnera. Neque tamen apparere, idem addit, quo

pacto

pacto vel non baptizati, ab his, qui baptizandos, ex Christi instituto, infantes esse, ratum firmumque habent; vel a negantibus, qui tincti sacro lavacro in infantia fuerint, atque adeo, ex ipsorum sententia, veri baptismi expertes sunt, in veris corporis illius mystici membris censeri possint.

Ceterum, celeberrimi *Schlosseri* eadem, quæ in priori parte adhibita fuit, spectatur industria, sive ad doctissimas animadversiones, sive ad dextram conversionem Angli respicias, sive ea contemplari velis, quæ ad *Galeum*, & *Iacobum Bernardum*, doctissimos *Walli* adversarios, pertinent. Summas respublica literaria *Schlossero*, venerabili omnino nomini, iam pridem decreverat gratias, de egregio hoc, cum doctis viris, in docta lingua, communicato opere, literario & christiano coetui purioris familiæ utilissimo: habetque adhuc, quando viri ingenio & doctrina præstantis sibi hodie nonnisi desiderium, (obiit enim A. MDCCLIV,) videt superesse.

IO. TOBIÆ KREBSII OBSERVATIONES IN NOvum Testamentum e Flavio Iosepho.

Lipsiæ, apud Ioan. Wendlerum. 1755. 8.
Alph. 1. plag. 6.

Auget Cl. Auctor, qui lyceo Grimensi cum laude præest, eorum numerum, qui ad novi foederis libros sacros exponendos illustrandosque, symbolas suas contulerunt, utilem se rem præstituros ex vero rati. Horum nonnullos, debitam istius rei cognitionem numquam assecutos, impedimenti obscuritatisque plus, quam adiumenti & lucis, ad interpretationem & illustrationem sacrorum voluminum attulisse pronuntiat. Præprimis illos hoc effato iudiciali damnat, qui obscuris N. T. locis, ex poetis, paulo audaciori dicendi genere usis, lucem accendere instituerunt; non cogitantes, quod scriptores ab ipsis conferantur inter se ac comparentur, dicendi genere quam maxime a se discrepantes. *Psochenius* hic præsertim, imo & *Stolbergius* atque *Elsnerus*, vapulant Auctori, longo verborum syrmate labores eorundem diiudicanti; eo, uti addit ipse, consilio, ut iuvenes

nes harum literarum ſtudioſi, contra talem illuſtrandi N. T. ex poetis græcis rationem, minus ſapienter accurateque inſtitutam, mature præmunirentur. Omnium optimam & maxime probandam is iudicat N. T. e ſcriptoribus græcis veteribus, qui puro ac populari perſpicuoque dicendi genere uſi ſunt, illuſtrandi rationem. Ex his *Ioſephum* inprimis commendat adeundum, quippe qui ſerius, ac ſcriptores ſacri, opera ſua ſcribere aggreſſus ſit, & dicendi ſcribendive generi, quale in N. T. deprehenditur, ſimillimus videatur. In hoc quidem labore deſudaſſe conſtat *Io. Baptiſtam Ottium*, virum variis virorum doctorum, huiuſque fori peritorum laudibus mactatum. Perpauca autem eſſe, quæ is exhibuit, *Krebſius* nos credere iubet; adeo, ut nullum fuiſſe pronuntiet, qui ad illuſtrationem N. T. *Ioſepho* uſus fuerit. quod quidem iudicium, quin turgidum iuſto magis putemus, parum abeſt. Mirum autem inprimis & hoc nobis viſum eſt, quod nec ea occaſione in præloquio, nec in ipſo ſuo opere, uſquam meminit Auctor duplicis & limatiſſimæ opellæ, quam celeberrimus academiæ Helmſtadienſis theologus, *Io. Benedictus Carpzovius*, ante aliquot annos foras dedit. Nec enim Viri huius latere ipſum potuerunt *Lectionum Flavianarum ſtricturae*, harumque Lectionum mox ſecutæ *vindiciae*: quo utroque opuſculo academico ſalivam eruditis movit vir hic doctiſſimus, opus ſimilis argumenti maius aliquod, a *Carpzoviana* muſa adornatum, exoſculandi. Nec ſine feliciſſimo ſucceſſu magnum hunc philologum exempli inſtar intueri potuiſſet cl. *Krebſius*, felicem acturus N. T. interpretem Flavianum. Prius interim hoc eſt curarum Flavianarum ſpecimen ſeu volumen, cui accedet poſterius, ſi hoc ſe eruditis probaverit. In liturariis enim ſuis, uti ipſe in fine præfaminis latere lectorem noluit, eam congeſtam eſſe teſtatur ſilvam obſervationum Flavianarum, ut, ſi omnes hoc Pag. 1. libello comprehendendæ fuiſſent, altero is tanto maior factus fuiſſet. Sub initium operis, ad *Matth. I. 17.* illico *Wolfium*, ſummum quondam polyhiſtorem & criticum Hamburgenſem, cui quidem in opere toto contradicendi nullam occaſionem prætermittit, ſumſit ſibi redarguendum, qui vocis *γενεᾶς* ſignificatum

ficatum ex *Homero* talem, si Krebsio credimus, protulerit, qualem, qui *Homerum* ipse inspicit, haudquaquam in eodem deprehendat. Respondet autem γενεὰ Hebreæ voci תולדות, quam vulgo male cum *vulgato* reddunt *generationes*, confundentes γένεσιν & γενεάν. Hoc scilicet loco, ut & alibi in sacris literis, γενεὰ est *spatium, quod duas sibi invicem succedentes nativitates interiacet*, sive *ille successionis ordo, quo alius ex alio nascitur.* Latini *aetatem* vocant. Vid. *Isaacus Vossius* in *castigat. Hornii cap. IV.* Apud *Iosephum* eodem significatu gaudere vocem istam, Auctor exemplis probat, ex *Antiquit. Lib. VII. Cap. 5. §. 2. Lib. V. Cap. 9. §. 4. & Lib. VII.* Pag. 8.
Cap. 6. §. 6. depromtis. De verbo ἐξομολογεῖσθαι, *Matth. III. 6.* obvio, *Iensius* in *ferculo literario, pag. 10 seq.* observat, illud non alibi fere, quam apud scriptores sacros occurrere: hoc mirum esse notat Auctor in viro græce doctissimo, (at ab ipso tamen multoties perstricto,) quoniam *Demosthenis & Philonis* auctoritas contrarium probet. *Iosephum* vero inprimis, locupletissimum vocis huius auctorem, in partes vocat, qui *Lib. VIII. Antiqu. Cap. 4. §. 6.* ἐξομολογȣμένων τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, itemque *Lib. XVI. Cap. 5. §. 4.* nec non *de Bello Iud. Lib. I. Cap. 30. §. 2.* alibique eadem voce utitur. Disputat simul hoc loco contra *Iensii* locum in *ferculo liter. p. 9.* aliosque, præpositioni ἐξ, verbo ὁμολογεῖσθαι iunctæ, vim emphasinque singularem tribuentes, quasi ἐξομολογεῖσθαι plus significet, quam simplex ὁμολογεῖσθαι. In universum enim notari iubet vir doctus, sæpissime in verbis compositis præpositionis vim nullam plane esse, lapsosque viros multos doctissimos, dum emphasin in præpositionibus, verbis iunctis, quæsiverint, atque adeo in interpretando a vero aberraverint. Provocat ad *Iosephum*, ubi e. gr. *Lib. XVIII. Antiqu. Cap. VI. §. 9.* εἰσηγεῖσθαι pro simplici ἡγεῖσθαι: *Lib. XIX. Cap. 1. §. 5.* διαφέρειν pro φέρειν: & *Cap. 2. §. 4.* ἐξηγεῖσθαι pro ἡγεῖσθαι adhibitum sit. De præpositione πρὸ, verbis sine ulla vi iuncta, attulisse se exempla refert in *comment.* suo ad *Decret. Atheniens. pag. 75.* Sententiam de vo- 12.
ce πτερύγιον *Matth. IV. 5.* communissimam, viris doctissimis,

inprimis *Oleario, Deylingio, Wolfio,* probatam, qui de *porticibus* templum circumdantibus intelligunt, variis premi difficultatibus iudicat cl. *Krebſius.* Primo enim valde dubitat, an uſpiam apud Græcos πτερύγιον occurrat, ut *porticum prope aedes vel aedem exſtructam* ſignificet: cuius rei ab *Oleario, Deylingio,* aliisque iſtius explicationis defenſoribus, allatum nullum ſit exemplum. *Ioſephum* autem, quando de porticibus iſtis loquitur, ne ſemel quidem voce πτερυγίȣ, ſed ſemper ϛοᾶς uti, addit. Deinde in aliam ſententiam abire ſe propterea indicat, quod *Matthaeus,* citato loco, in unitatis numero πτερυγίȣ mentionem facit, templum vero Hieroſolymitanum multis porticibus circumdatum fuerit.

Pag. 13. Ipſe ergo Auctor πτερύγιον pro *faſtigio,* ſeu *ſuperiori templi parte* accipit: de voce ea in genere obſervans, *cuiuscunque rei extremitatem* deſignare, variis id probantibus exemplis adductis; ex *Ioſephi Lib. XV. Antiq. Cap. 11. §. 3.* id inprimis confirmans, ubi templum utraque parte depreſſius, *medio* vero *editius* fuiſſe narratur, & paulo poſt τῆς ἄκρας ſive *verticis templi* mentio fit. Aditum quidem ad ſummitatem templi nuſpiam patuiſſe, *Olearius* putavit; ut adeo per aerem Servatorem a Satana raptum, & in iſtum locum translatum eſſe, debeat ſupponi. Sed reſpondet *Krebſius,* monumentorum haud adeſſe fidem, imo ex *Ioſepho Lib. VIII. Antiqu. Cap. 3. §. 2.* contrarium oſtendi poſſe. *Matth.*

73. *XXVII. 24.* obvia locutio: ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τȣ͂ αἵματος, mere hebraica doctiſſimo Auctori audit, *Wolfium, Vorſtium,* aliosque refutanti criticos, qui hebraismi ſuſpicione liberare phraſin illam ſtuduerunt. Dubius tamen mox eſt, ſibique nondum ſatis liquere profitetur, Hebraiſmisne hæc loquendi ratio annumeranda ſit, an ex eorum numero eximenda. Apud *Ioſephum* enim, addit, voces ἀθῶος, καθαρὸς, & ſimiles, modo τὸ ἀπὸ habere adiunctum, modo nude, modo ita eſſe poſitas, ut neque præpoſitionem, neque genitivum adiunctum habeant. Exempla in medium nonnulla attulit, quæ diverſam huius vocis dicto modo uſurpatæ rationem

93. produnt. *Marc. XIV. 72.* Petrus narratur ἐπιβαλὼν fleviſſe. Inter

Inter multas virorum doctiſſimorum de verbo ἐπιβαλὼν ſententias, a celeb. *Wolfio* enarratas, unice vera Auctori noſtro illa videtur, ſecundum quam ἐπιβαλὼν redditur: *capite operto, veſte capiti iniecta,* duplici nomine commendabilis, ac recipienda; α) quia luctui Petri optime convenit; β) quoniam linguæ rationi præ reliquis congrua dicenda. Conſtat enim, illos, qui in gravi luctu verſarentur, *capite operto* fleviſſe, prouti a *Ioſepho Lib. VII. Antiqu. Cap. 10. §. 5.* David rex, Abſalomi mortem deplorans, tanquam κατακαλυψάμενος repræſentatur. Quod ad linguæ genium attinet, viris doctis, monente *Krebſio*, obſervatum fuit, in voce ἐπιβαλὼν ellipſin adeſſe, per τὸ ἱμάτιον ſupplendam, in *Ioſepho* pariter obviam, cui e. g. *Lib. IX. Antiqu. Cap. VII. §. 3.* Gotholia περιῤῥηξαμένη καὶ δεινὸν ἀνακραζοῦσα, *veſtem ſuam diſcindens & valde clamans*, audit, ubi in τῷ περιῤῥηξαμένη omiſſa vox eſt ἐσθῆτα, alibi, v. c. *Lib. X. Cap. 4. §. 2.* a *Ioſepho* addita. Ultima verba loci *Luc. II. 19.* συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, ex linguæ ratione reddere Auctor doctiſſimus iubet: *ſenſum & vim* horum verborum *mente probe aſſecuta:* quam interpretationem, ab *Elsnero* primum prolatam, ſexcentis poſtea exemplis a *Io. Alberti* in *obſervationibus philol. pag. 189. ſeqq.* confirmatam eſſe dicit. Placuit ipſi, unum atque alterum iſtis exemplis adiicere ex *Ioſepho*: e. c. quando is *Lib. II. Antiqu. Cap. 6. §. 3.* de Ioſepho, ſomnium præfecti piſtoribus regis interpretaturo, ita: ὁ δὲ Ἰώσηπος συμβάλλων τῷ λογισμῷ τὸ ὄναρ. *Ioſephus autem mente aſſecutus, quo id ſomnium ſpectaret;* nec non *Cap. 2. §. 3.* de Iacobo, Ioſephi ſomnium interpretante: τὴν γὰρ πρόῤῥησιν αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ συλλαβὼν, *eius enim praeſagium mente probe aſſecutus erat.* Vox ἀναγινώσκειν, *Luc. IV. 16.* uſurpata, tum ibi, tum aliis in locis, non ſolum *praelegere*, ſed etiam ῥῆσιν *praelectam interpretari*, obſervante Auctore, denotat. Hac notione, ἀναγνώστην apud *Ioſephum* docet *Lib. XI. Ant. Cap. 5. §. 1.* occurrere, ubi Artaxerxes in literis ad Esdram, qui paulo ante τῶν Μωϋσέως νόμων ἱκανῶς ἔμπειρος ὢν dicitur, ſcriptis, ita: Βασιλεὺς βασιλέων Ξέρξης Ἔσδρᾳ ἱερεῖ, καὶ ἀνα-

Pag. 103.

115.

inprimis *Oleario.* [illegible] χαίρειν, quod interpres reddidit *[illegible]ticibus* te[illegible] *paulo post* vero eandem vocem inter[illegible] *[illegible] legis professori, paulo post* [illegible] *interpres.* Divus ergo Lucas, ex men[illegible] *[illegible] est, legum dei interpres.* [illegible] *hoc loco* ἀναγνώστην eum esse vult, *qui legem dei* [illegible] *populo praelegit, sed etiam interpretatur.* Ad lo-
Pag. 131. cum *Luc. XX. 20.* de voce ἐγκάθετος disserit, illaque desi-
gnari censet, *qui in locum aliquem obscurum & occultum se demisit, ibique subsidet, ut alteri insidias struat;* deinde vero ἐγκαθέτους esse *omnes subdolos & insidiarum faciendarum cupidos, qui clam subrepunt ad explorandum, audiendum, & ex alterius sermonibus aliquid eliciendum, quo ei nocere possint.* Posteriori significatu capiendam hanc vocem esse in Lucæ loco citato docet, ita ut homines intelligantur a Siracide cap. VIII. v. 11. eleganter depicti, ubi eosdem dicit ἐγκαθίζειν ὡς ἔνεδρον τῷ στόματί τινος. Eandem vocem, non ubivis obviam, etiam apud *Iosephum* esse addit, ubi ἐγκάθετοι sint *homines subornati, qui alios vana oratione & spe decipiunt, & in miseriam coniiciunt.* Locus allegatur ex *Lib. VI. de B. I. Cap. 5. §. 2.* ubi: πολλοὶ δ' ἦσαν ἐγκάθετοι παρὰ τῶν τυράννων τότε πρὸς δῆμον προφῆται κ. τ. λ. *multi autem a tyrannis subornati erant ad populum prophetae* &c. Pluribus de ista voce commentatus est *Salmasius*, in *Praefat. ad Commentar. de*
140. *lingu. Hellen. pag. 44. seqq.* Loco *Ioan. I. 11.* difficultatis plus intulisse viros doctos, quam in eo invenerint, iudicat Auctor. Commodissimum, eum si audimus, & linguæ rationi convenientissimum est, τὰ ἴδια, *de Iudaea*, Christi patria, interpretari, cum in eam inprimis missus Christus fuerit, evangelium annunciaturus, *Matth. XV. 24.* Errare Auctor censet, qui τὰ ἴδια per *peculium* reddunt, eamque in rem locum *Actor. IV. 32.* adducunt. Cum igitur, ex ipsius mente, τὰ ἴδια, hoc loco Ioannis, *patriam Christi* denotent, *Iudaeam* nempe: facile intelligi addit, τοὺς ἰδίους esse *Iudaeos, eam inhabitantes,* qui, tanquam cives, cognati, & propinqui Christi considerantur. Viros enim doctos, qui inter τὰ ἴδια atque τοὺς ἰδίους ita hic distinguant, ut per τοὺς ἰδίους *Iudaeos,* per τὰ ἴδια autem non unum quid, sed plura, quæ Christo pro-

propria dici possunt, v. c. *terram Canaan, urbem Hierosolymitanam*, &c. intelligant, subtiliter magis & ingeniose, quam vere & accurate interpretari, clar. *Krebsius* pronuntiat; Auctore *Iosepho* docere gestiens, cum τὰ ἴδια & οἰκεῖα, tum τοὺς ἰδίους & οἰκείους esse, ipse quod esse dixit. Primo ostendit, τὰ ἴδια & τὰ οἰκεῖα unum idemque significare, ex *Lib. VI. Antiqu. Cap. 13. §. 9.* ubi ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, *domum suam* sive *in patriam reverti* est, quod *Lib. VIII. Cap. 15. §. 4.* per ἀναστρέφειν εἰς τὰ ἴδια exprimitur. Adduntur loca alia, e. g. *Lib. V. Antiqu. Cap. 1. §. 2. Lib. VIII. Cap. 6, §. 6. Cap. 15. §. 6.* & *Lib. IX. Cap. 3. §. 2.* Commodissime ergo, & linguæ rationi convenientissime, Christus venisse, notante Auctore, dicitur εἰς τὰ ἴδια, h. e. *in Iudaeam*, tanquam patriam suam: οἱ ἴδιοι autem *Iudaei* sunt, Iudæam inhabitantes, gentilitatis adeo iure cum Christo coniuncti. Quemadmodum autem hic Iudæi appellantur οἱ ἴδιοι τοῦ χριστοῦ; ita οἱ οἰκεῖοι apud *Iosephum* sæpius dicuntur, qui eiusdem gentis sunt, v. c. *Lib. II. Ant. Cap. 12. §. 2.* & *4.* itemque *Cap. 13. §. 2.* ubi Hebræi sunt οἰκεῖοι Mosis, hoc est, *ex eadem, qua Moses, gente oriundi.* Commemorantur deinceps Sad- Pag. 177.
ducæi ad *Actor. V, 17.* ira in Apostolos exacerbati, severitatemque exerceri iubentes. Causam eius rei fuisse Auctor doctissimus refert, quod Sadducæi, præ ceteris Iudæis, severissimi fuerint, & in poenis infligendis acerbissimi; id quod etiam ex *Cap. IV. 1.* pateat, ubi Sadducæi, una cum sacerdotibus & præfecto templi, Apostolos oppressisse narrantur. De hac Sadducæorum severitate atque acerbitate *Iosephum* Auctor citat *Lib. XX. Ant. Cap. 9. §. 1.* disertis verbis agentem, imo & Sadducæorum erga se ipsos acerbitatem *Lib. II. de B. I. Cap. 8. §. 14.* perstringentem. Pharisæos contra mitioris fuisse ingenii, addit, & in puniendis reis leniores; quod tum ex *Act. V. 34.* tum ex *Iosepho Lib. XIII. Ant. Cap. X. §. 6.* patere putat. Sed vero Pharisæos si consideramus erga Servatorem numquam non fuisse crudelissimos, vix a nobis, ut cl. Auctori assurgamus atque plane assentiamur, impetrare possumus. Accedit, quod *Iosephus*, uti non dissimulat vir doctus, ipse

 Phari-

Pharisæus, de secta sua honorifice iudicans, clementiamque sæpe suorum prædicans, vix videtur esse testis hanc in rem fide dignus. Ab unico autem Gamalielis exemplo, *Act. V. 34.* commemorato, ad ceterorum omnium similem lenitatem non videtur nobis tuto concludi posse. Allata hæc a nobis in medium specimina curarum *Krebsianarum* sufficere putamus, ut Lectoribus de laudabili viri docti conatu, iuvandi res sacras philologicas, & forum hisce dicatum pro virili ornandi, constet. Neque minus præclare merebitur V. Cl. de theologia exegetica, si alterum pariter huius laboris utilissimi volumen cum orbe docto communicaverit. Magis tamen multorum desideriis satisfacturum cum persuasi sumus, si in partes suas & aliorum nostri ævi philologorum præstantissimorum labores philologicos atque exegeticos nonnunquam vocaverit. Hoc cur priore Tomo operis sui, cetera eximii, facere neglexerit, neque est huius loci, neque omnino nostrum, divinare.

D. FELICIS NERINII, ABBATIS HIERONYmiani, de templo & coenobio Sanctorum, Bonifacii & Alexii, historica monumenta.

Romæ, ex typographia Apollinea, apud heredes Io. Laurentii Barbiellini, in foro Pasquini, Præsidum Facultate. 1752. 4. mai.
Alph. 3. plag. 11. cum variis figuris & iconibus.

Ut primæ templorum & sacrorum conventuum locorum origines pervestigentur, multa cum utilitate coniunctum esse, nemo negaverit: sed prudentiæ est, in diiudicandis litteris & scriptis antiquis circumspecte iudicare, quid rei naturæ, quid tempori, aliisve περιστάσεσι conveniat. Immensum laborem Vener. Auctorem, in documentis, situ & squalore obsitis, conquirendis, transscribendis, disponendis, impendisse facile largimur: sed num omnia illa ad iudicii acrioris trutinam exegerit, ii viderint, quibus eadem accuratius rimari volupe fuerit. Nobis, fate-

fatemur enim, variæ de miraculis, adparitionibus, somniis extraordinariis, narrationes, ad palatum non fuere. Sed hæc generatim dicta sufficiant: ad recensionem operis, cuius prima tantum pars nunc exhibetur, nos convertimus, potiora per transennam adspecturi. Dedicatum est Eminentissimo nuper Purpurato, *Angelo Mariae Quirino*, cuius etiam effigies præmittitur, qui templum Alexianum splendide exædificandum curavit, cuius præterea munificentiam in alias ædes sacras multis laudibus A. extollit. Speciatim memorat signa marmorea, quibus templum Romano-catholicum ornari voluit, *quod Berolini*, verba sunt Auctoris, *a solo faciundum curatur, ut in tantis superstitionis tenebris adfulgeat quasi caeleste aliquod lumen.* Hoc unum sc. deerat maiestati urbis. Cap. I. determinatur situs templi & coenobii in monte Aventino: qui locus quondam bonæ deæ sacer fuisse quibusdam censetur; alii armilustrum ibidem statuunt; alii Herculi Victori sacrum faciunt; alii denique templum Minervæ, aut Dianæ, ibidem fuisse arbitrantur. Posteriori sententiæ accedit Noster, eumque in finem fragmentum deæ Etruscorum, e ruderibus veteris coenobii non ita pridem erutum, & aheneum eiusdem simulacrum, aeri incisum, exhibet. Cap. II. Pag. 1-7.
inquirit in primum initium templi S. *Bonifacii* martyris, quod Sæc. III. exeunte, vel IV. ineunte conditum fuisse suspicatur. Acta Bonifacii, qui Tarsi capite fuerit truncatus, corpore ipsius Romam relato, in cuius gratiam Aglaë, femina nobilis Romana, templum in Aventino monte condendum curarit, genuina esse nullus fere dubitat. Sub finem cap. disputat contra Hospinianum, Ottium, alios, existimantes, Christianis, ante pacem a Constantino datam, publica templorum ædificia fuisse nulla; dein contra Pagium probat, a. 290. Bonifacium violenta morte peremtum, templum vero ei a. 305. dedicatum esse. Cap. III. ostenditur, circa initium Sæc. V. pontifice Inno- 8-18.
centio I. corpus Alexii, Eufemiani senatoris filii, ad templum hoc delatum fuisse, unde eidem & Alexii nomen adhæserit. Obiicientes, translationis huius ab antiquioribus mentionem fieri nullam, imo ne nomen quidem Alexii ante Sæc. VIII. occurrere, ad perpetuam traditionem, & cultum ei iam ante id

tem-

Pag. 19-29. tempus exhibitum, ablegat. Pergit Cap. IV. ad initia coenobii, quod iam Sæc. V. in ædibus Eufemiani Senatoris, quas solemni
30-35. formula legaverat, fuisse coniicit. Cap. V. tabulas donationis Eufemiani genuinas esse, ex stili forma, scriptis coævis con-
36-44. sona, itemque argumento, firmare satagit. Cap. VI. enarrat statum templi & coenobii Sæc. VIII. ostendens, illud etiam ante id tempus *diaconiae* titulo gavisum esse, ad quam ab omni tempore se exteri plures, & inter illos viri conspicuæ dignitatis,
45-53. receperint. Templum hoc Sæc. IX. instauratum, ac ita ampliatum esse, ut ab illo tempore *basilica* adpellari meruerit,
54-67. iconibus expressis A. docet c. VII. A. 977. Benedictus VII. *Sergium*, Damascenum episcopum, Turcarum tyrannidem fugientem, benigne excepit, eique templum & coenobium Bonifacii & Alexii colendum dedit: hic illud in splendidiorem redegit formam, in eoque monachos collocavit, quorum alii Græci, latini alii cum essent, illis regula Basilii, his Bene-
67-73. dicti est præscripta, quod traditur Cap. VIII. Videntur autem monachi Benedictini illud soli, iam inde ab exeunte Sæc. X. aut XI. ineunte, retinuisse: quod a tempore *Sergii*, cumprimis *Leonis* abbatis, illius successoris, magnam consecutum est celebritatem, ita ut inter 20. abbatias Romanas, quartus, imo suo
73-76. modo primus locus, eidem sit datus. Cap. IX. A. agit de coenobii abbatibus & viris illustribus Sæc. X. quorum quatuor ex Græcis, totidem ex Latinis nominantur. Græci sunt: *Gregorius Abbas, Pater Nilus, Ioannes Bonus, & Simplex Stratus*; Latini: *Ioannes Sapiens, Theodorus Silens, Ioannes Innocentius, & Leo Simplex*. Hos omnes Baronius abbates putat: verum probabile non est, uni monasterio, eodem tempore, octo præpositos fuisse abbates; accedit, quod ex octo illis non nisi
77-80. uni Gregorio abbatis nomen tribuitur. Recenset hinc monachos, qui Sæc. X. coenobium illustrarunt. Primus est §. 1. *Sergius Damascenus*, qui si non Auctor illius, certe restitutor fuit, atque, uti ex epitaphio adparet, a. 981.
80-83. decessit. Alter §. 2. *Crescentius*, qui cum antea præpotens dux Romanus esset, ad vitam religiosam agendam coenobium hoc est ingressus a. 972, & denatus d. 7. Iul. a. 984. Eum,

Eum, a *Luitprando*, & poſt hunc a *Baronio*, ac aliis, ob impuros natales, & parricidium in Benedictum VI. admiſſum, turpi omnino labe notatum, ſtrenue vindicat doctiſſimus Auctor. Tertius §. 3. *Leo*, qui Sergio ſucceſſit, a. 981. Pag. 83-91.
mortuo. Hunc a. 995. Ioannes XV. ad diiudicandam cauſſam *Arnulphi*, Rhemenſis epiſcopi, adverſus Gerbertum in Gallias miſerat; inde rediens ad a. 999. monaſterio præfuit. Quartus §. 4. S. *Adalbertus*, qui cum a. 983. archiepiſcopus 91-98.
Pragenſis conſecratus eſſet, 5. annis in munere hoc exactis, illo ſe exuit, ac Romam contendit, nomen apud Leonem abbatem inter Monachos a. 990. profeſſus. Quinque annis elapſis, iuſſu Ioannis XI. Pragenſibus redditur. Verum cum Bohemi, promiſſorum obliti, in priſtina pervicacia perſeverarent, rurſus inde diſceſſit, & primum quidem ad Hungaros conceſſiſſe, ac regem Stephanum ſacro fonte abluiſſe, dicitur; inde a 995. ad monaſterium Bonifacii iterum ſe recepiſſe. Leo abbas tanta virum proſequebatur veneratione, ut, dum ipſe abeſſet, toti illum ſodalitio præficeret, cui & magno fuit uſui, & decori. Sed iterum ad Pragenſes regredi eſt coactus, quos cum æque duros ac ante animadverteret, in Boruſſiam, ad doctrinam Chriſti paganis inſtillandam, abiit, ibique fuſtibus cæſus, haſtisque eſt confoſſus IX. Cal. Maii a. 997. Eius oſſa, a barbaris redemta, Boleslaus, dux Poloniæ, Gneſnæ honorifice condidiſſe fertur. Quintus §. 5. 99-111.
S. *Gaudentius*, Adalberti frater, quocum ſe in monaſterio dicto abdidit, & cum quo in Boruſſiam poſtea ſeceſſit, neutiquam cum fratre, uti quibusdam videtur, martyrio adfectus, potius Gneſnenſis epiſcopus conſtitutus. Sextus §. 6. Pater 111-116.
Nilus, qui ex Græcia Romam demigravit, & ſub auſpiciis Gregorii abbatis, ad regulam S. Baſilii vitam ſuam in coenobio Alexiano inſtituit. Num idem ſit cum *Nilo* abbate, qui alias *iunior* dicitur, diſputatur. Septimus §. 7. *Leo Simplex*, ab 116-121.
innocentiæ ac ſanctitatis ſtudio ſic dictus, a Leone abbate Alexiano diſtinguendus, non a Leone abbate Nonantulano. In coenobio Alexiano diem ſupremum obiit, eiusdemque obitum multa miracula conſecuta fuiſſe fama circumfertur. 121-126.

Octavus §. 8. est *Anastasius*, cum quinque sociis, qui omnes, uti in coenobio Adalberto sociati fuerunt, ita cum eo, in secunda professione, in Bohemiam discesserunt. Cum his Breunoviæ, apud Bohemos, cœnobium ad modum Alexiani struxit, eidemque Athanasium abbatem præfecit. Verum cum contra illos infideles insurgerent, Athanasius, qui & Austricus dicitur, in Hungariam se contulit, ibidemque monasterium fundavit; reliqui numero quinque, ad Gaudentium in Poloniam commigrarunt; hic cum ab eo retineri non possent, in tugurio, a Gaudentio constructo, a latronibus, uno, cui nomen erat Barnabæ, superstite, sunt trucidati a. 1004. 2. id. Nov. Anastasius post episcopus Colocensis, inde Strigonien-
Pag. 126- sis est factus. Superfuit ad annum usque 1007. Nonus
134. §. 9. *Ioannes Canaparius*, nobilis Romanus, multisque opibus adfluens, instituto Alexiano se adiunxit, sanctæ vitæ exercitatione se cunctis commendavit, immo & visionibus divinis celebris habetur, abbas monasterii, post obitum Leonis a. 1002. constitutus, e vivis excessit a. 1004. d. 12. Octobr.
134-146. Deinceps Cap. X. in scenam producuntur abbates & viri illustres, qui Sæc. XI. summo decori huic monasterio fuerunt. §. 1. *Adalbertus* abbas, ab Adalberto Pragensi distinguendus. Hic se impudentia & libidine infamem reddidit, nonnisi ut series abbatum sibi constaret, nomina-
147-153. tus. Ioanni Canapario a. 1004. successit. §. 2. S. *Bonifacius*, qui cum Ottone III. Augusto, cui adfinitate & amicitia iunctus erat, Romam venisse dicitur. Hic cum esset religione S. Bonifacii ductus, in illius familiam cooptari voluit, & cucullam induit. Miro flagrans martyrii desiderio, archiepiscopus a. 1000. initiatus, Russos, ut ad Christi sacra adduceret, adiit, ubi multis, ut aiunt, miraculis patratis, capite est truncatus. §. 3. Beatus *Meinwercus*, Paderbornensis antistes, huc tantum refertur, quoniam Romæ versatus, miraculo facto, vovit, se cultum Alexii propagaturum esse: inde domum reversus, in eius honorem sacellum construxit, quod igne absumtum est a. 1670. *Henricus* igitur, Aldinghofensis abbas, aliud excitavit, quod triennio post, *Ferdinandus Furstenbergius*, Paderbor-

Paderbornensis præsul, consecravit. §. 4. *Adillelmus*, abbas coe- Pag. 159.
nobii, qui tanta in divos suos, Bonifacium & Alexium, fiducia 163.
ducebatur, ut ab iis se omnia consequi posse speraret; quæ
spes non uno miraculo fulta fuisse narratur. §. 5. *Petrus*, 164-172.
abbas, monasterio iamdum a. 1033. præfectus, interfuit concilio Romano, habito a. 1050. §. 6. *Gebizo*, abbas, mul- 173-178.
tis virtutibus illustris, præfuit monasterio ab a. 1073. Sed a. 1075. una cum Mauro, ad expedienda negotia ecclesiastica in varias urbes & loca missus, a. 1076. Salonæ in Dalmatia concilium habuit, eique præfuit; a. 1083. Gregorius VII. eum episcopum Cæsenatem declaravit, atque in purpuratorum numerum adscivit. Cap. XI. nominantur abbates Sæc. 178-188.
XII. & XIII. ad a. 1231. usque: *Placidus*, qui Gebizoni successit, *Riccardus*, *Petrus*, qui monasterium ad a. 1163. rexit. Ab hoc proximus fuit *Ioannes*, qui ab a. 1164. ad usque a. 1173. in ea statione fuisse videtur. *Benedictus*, quod iamdum a. 1193. præfectus monasterio fuit, & a. 1205. e vita discessisse censetur. Qui secuti sint ad a. 1217. non liquet, quo ipso abbas fuit *Angelus*, cuius tempore corpora *Bonifacii* & *Alexii* sunt inventa, & solemnis templi consecratio fuit peracta: *Nicolaus*, cuius mentio fit a. 1224. & qui abbatis munus adhuc administrasse videtur a. 1231. Hi omnes familiæ Benedictinæ socii fuerunt; ab a. autem 1231. coenobii administrationem *Gregorius* IX. Præmonstratensibus canonicis credidit. Cap. XII. 189-200.
declaratur lis, quæ de loco corporum S. Bonifacii & Alexii monachis Alexianis intentata est, a Vaticanæ basilicæ canonicis, & quo modo a. 1217. illorum corpora inventa, & lis in gratiam Alexianorum fuerit decisa. Cap. XIII. dedicatio sollem- 201-210.
nis templi, ab Honorio III. a. 1217. d. 21. Mart. facta describitur, qui diem illum anniversaria religione sacrum esse voluit, 40. dierum indulgentiis ditatum. Consecratio altaris maximi, repositis in illo reliquiis Bonifacii & Alexii, per pontificem, aliorum per alios, est facta: hic, quæ in illis reliquiæ fuerint conditæ, designantur. Cap. XIV. A. 1218. anniversario conse- 210-215.
crationis festo, sacellum, divo Thomæ Cantuariensi sacrum,

Pag. 216- eſt initiatum, cuius ichnographia, itemque imago S. Mariæ,
223. Chriſtum brachio geſtantis, exhibetur. Cap. XV. repræſentatur diploma Honorii III. quo omnia bona huius templi & monaſterii recenſentur & confirmantur, quorum ſe protectorem profitetur: ſed dolet Noſter, illorum bonorum hodierno
223. die vix umbram ſupereſſe. Cap. XVI. perhibetur, qua ratione
239. templum & monaſterium, iuſſu Gregorii IX, a Benedictinis ad canonicos Præmonſtratenſes, qui tum magna virtutis & pietatis
240-245. laude floruerint, a. 1231. VIII. cal. Febr. tranſierint. Cap. XVII. abbates ex familia Præmonſtratenſium Sæc. XIII. & XIV. ab a. 1231. ad a. 1390. ſiſtuntur. Sunt autem: *Angelus* Presbyter, *Laurentius, Iacobus Humilis, Raynaldus, Ioannes, Aſcanius, Stephanus, Franciſcus,* ſub quo inſignis acceſſio, per donationem Pandulphi, cuius perſona deſcribitur, eſt facta, *Hieronymus, Conradus, Ioannes, Matthaeus, Guilielmus, Bartholomaeus, Petrus de Muſcianis, Dominicus,* vir doctus, qui poſtea ad epiſcopatum Iſernienſem, inde Sueſſarum, eſt evectus, denatus a. 1417. Horum partim obſcura eſt fama, partim non alio nomine laudem ſibi paraverunt, quam quoniam fundos &
246-275. poſſeſſiones diligenter adminiſtrarunt. A. 1390. volente ita Bonifacio IX. monaſterium in *commendam*, uti adpellant, eſt converſum, qui Pontifex etiam poſtea bona & poſſeſſiones, exiguo ſtipendio vicario & nonnullis aliis relicto, Vaticanæ eccleſiæ canonicis tribuit: quæ res tamen effectu caruit, quandoquidem monaſterii negotia, commendatoris nomine, ad an-
276-281. num uſque 1426. ſunt adminiſtrata, quod oſtenditur cap. XVIII. Abbates *commendatorii,* ſive cardinales, quorum fidei coenobium Alexianum fuit commiſſum, Cap. XIX. nominantur ſequentes: *Chriſtophorus Maro,* qui annos 15. cum laude præfuit, deceſſit Romæ 1404: *Antonius Caietanus,* qui ob virtutem ſuam ad ſummas in eccleſia dignitates eſt evectus, mortuus Romæ d. 11. Ian. 1412: *Petrus Stephaneſchi de Hannibaldis,* vir multis meritis inſignis, qui m. Oct. 1417. diem obiit: *Alphonſus Carillius,* vir magnæ exiſtimationis, d. 4. Mart. 1434. Baſileæ, quo ad concilium celebrandum ſe contulerat, denatus, cuius cadaver in Hiſpaniam translatum,
282-296. inque templo Oxunenſi eſt conditum: *Alphonſus,* quod Cap. XX.

XX. memoratur, dolens, monasterium a Præmonstratensibus fere desertum esse, ut pristinum decus eidem restitueretur, cum per illam tempestatem *Lupus* de *Olmeto*, instaurator & fundator familiæ Hieronymianæ per Italiam, in magna existimatione esset, Martino V. auctor & suasor exstitit, ut *Lupo* cura templi & coenobii crederetur. Annuit pontifex, & Lupus optionem accepit, cumque ordinis sui monachis sedem in illo fixit. Diem supremum obiit d. 3. April. 1433. in eoque est sepultus, cuius etiam effigies exhibetur. Abbates Hieronymiani, qui ab a. 1426. ad 1749. præfuerunt, ordine nominantur. Pag. 297- Cap. XXI. epitaphia illorum, qui in Templo 308. Alexiano sepulti sunt, leguntur, & ad intelligentiam eorum quædam adiiciuntur. Adhæc imago *miraculosa virginis Mariae, Petri Sabellii,* & *Ios. Brippii,* ob oculos ponuntur. Cap. XXII. proferuntur inscriptiones profanæ, quarum aliæ ab 309-343. aliis iamdum editæ fuerunt, aliæ primum omnium communicantur, & quantum fieri potuit illustrantur. Finem faciunt 344-366. inscriptiones, quæ in laudem eminent. nuper purpurati, *Angeli Mariae Quirini,* qui se in templum & monasterium hoc munificum præbuit, sunt positæ. Subiiciuntur litteræ & diplo- 366-369. mata, ad res templi & monasterii spectantia, numero LXXXII. ex tabulario coenobii depromta, & ordine chronologico disposita; quorum antiquissimum est Ottonis III. Augusti, datum a. 996. alia suis locis A. inspersit. Index nominum & re- 371-569. rum notabiliorum subiungitur; dein epistola carmine he- 571-606. roico conscripta, ad Auctorem directa. Charta & typi ita sunt comparati, ut oculos venustate alliciant.

PHYSICAE GENERALIS METHODO MATHEmatica tractatæ, & in tres tomos distributæ, TOMUS I. Auctore IO. BAPTISTA SCARELLA, Clerico regulari, ad usum congregationis Cleric. regular.

Brixiæ, 1754. 4. typis Io. Bapt. Bossini. Alph. 2. plag. 12. cum 4. tab. æneis.

Cl. Auctor, excusso peripateticorum philosophiam & physicam tractandi iugo, plurium annorum studio ea in physicis collegit, quae publico docendi muneri admotus, in schedas coniecerat, literisque consignaverat. Qua in re duplicem sibi scopum praefigit; nempe, ut quae super generalibus physices legibus meditatus ipse est, in lucem edat, & deinceps aliorum inventa, per tot volumina hinc inde dispersa, colligat, in summam contrahat, sub examen revocet, &, qua ratione inter se systematis instar cohaereant, ostendat. In praesenti vero tomo, cum generalia physices capita praemittenda sint, non nisi maxime universalia tractat; methodo, quam appellant, mathematica, non severiore illa, a Geometris & ab illustri Wolfio in suis super universa philosophia doctissimis scriptis usurpata, sed in tantum eadem usus est, in quantum docet ea praemitti oportere, quarum adminiculo caetera intelliguntur ac demonstrantur. In duas partes Auctor hunc tomum tribuit, in quarum altera de quantitate, altera de natura, attributis, accidentibus & modis corporum disseritur. *Primae partis* decem sunt capita. In *primo* de natura quantitatis, & de illius divisionibus agitur. In *secundo* illa omnia pertractantur, quae pertinent ad quantitatem; praemissa celebri illa circa vacui possibilitatem quaestione, in qua sibi videtur nodum invenisse difficultatis, & ea sustulisse de medio, quae dissentientes philosophos non sinebant in unam convenire sententiam. *Tertium* caput vexatissimam illam enuntiationem physicam enucleat: continuum extensum ex inextensis componi non posse; in qua illustranda Auctor tum Cavallerii methodum indivisibilium, ut quatenus illa aut intelligi, ne principium petamus, aut usurpari oporteat, ne in palmares incidamus errores; tum novum quoddam a doctiss. Prof. Romano, *Boscovichio*, excogitatum systema circa compositionem continui examinat. Namque Vir iste cel. in egregia, quam 1748 Romae, de lumine, foras dederat, dissertatione, assentitur quidem, continuum extensum ex inextensis constare non posse; sed simul negat dari posse id, quod sit eodem tempore continuum & extensum, & corporum extensionem

ſionem tanquam minime continuam defendit. Hanc Boſcovichii ſententiam Celeberr. Auctor noſter ulterius explicat, & ad refellendam eam animadvertit, extenſionem ita explicatam ſolum eſſe apparentem, nihilque ſolidi, quodque extra ſenſationes noſtras exiſtat, complecti. In *quarto* capite oſtenditur, eſſe in continuo puncta inextenſa, quemadmodum & lineas latitudinis prorſus expertes, ex iis tamen nequaquam componi; & cum illa communis præiudicata opinio, quod continuum ex partibus re ipſa diſtinctis coaleſcat, plurimorum errorum fons atque origo ſit, A. ad eam convellendam in *quinto* capite accedit, docens, non eſſe in vero continuo partes diſtinctas ut partes: quo ipſo ſimul tenebras disiicit, quas animis philoſophantium partes offuderant; & quatenus verum ſit, continuum poſſe dividi uſque in infinitum, declarat. Monendi tamen ſunt lectores, hæc omnia ab Auctore Clariſſimo in ſenſu phyſico accipi, certiſſime perſuaſi, ipſum de nonnullis paulo aliter iudicaturum fuiſſe, ſi in metaphyſicis verſaretur. Præterea doctiſſ. Boſcovichius, in eminenti opere, quod ſuper *lege continuitatis* præterito anno evulgavit, multa fuſius atque diſtinctius propoſuit, quæ ad ſtabiliendam eius de continuo ſententiam facere poſſunt. Soliditas continui extenſi in *ſexto* capite explicatur, reiectisque Cl. Virorum, P. *Lanae* & *Molierii*, ſuper natura rei extenſæ opinionibus, oſtenditur, falſo a viris doctiſſimis poni, quaſi quædam ſit in natura materies ſimul fluida, & omnino continua, quæ quamvis in anguſtius ſpatium comprimi nequeat, tamen ictibus facile cedat, in omnes ſe vertat figuras, quoquoverſus cieatur, & omnium corporum poros facillime permeet. Sequitur *ſeptimum* caput, in quo tribus articulis Auctor diſſerit de tempore & motu, locali illo; quem definit per affectionem ſolidi extenſi, ſive corporis, per quam corpus fit proxime potens tangendi non ſolum plures alterius extenſi partes, ſed etiam aliam poſt aliam, idque ob rationem in ipſo corpore moto ſitam. Hæc definitio in omnes corporum motus, tum in vacuo, tum in pleno, convenit; & ſi quis ſibi circa illam difficultates fingeret, eas ab Auctore in allegato articulo maximam partem dilu-

dilucidatas deprehendet. Temporis definitio in articulo secundo traditur; ad quam constituendam necesse fuit, ut durationis conceptum primo enuclearet, cui deinceps omnia, quæ de tempore prolixe disputat, superstruuntur. Tempus enim in alia nulla creata re, quam in motu inveniri contendit, atque inde ansam arripit, clare nitideque explicandi communem illam recentiorum enuntiationem, qua ponunt, velocitatem motus æquabilis unius corporis esse æqualem spatio percusso per tempus diviso, sive duorum corporum velocitates esse in ratione composita, ex directa spatiorum percussorum & ex inversa temporum, quæ in iis absolvendis impenduntur. Motus & temporis proprietates in tertio articulo expenduntur, & simul nonnulla de continuitate, de divisione in infinitum, & de instantibus adduntur, quæ in tempore exstare docet, tanquam principium & finem, non vero tamquam partes, ex quibus ipsum tempus componatur. Idem de continuo, eiusque genesi, in capite *octavo* ulterius Auctor persequitur, ubi demonstrat, fieri posse, ut non solum motus omnino continuus alius alio sit in infinitum velocior, verum etiam extensum prorsus continuum aliud alio sit in infinitum densius, quod a communi abhorret philosophorum sententia. Quod suum assertum, cum pluribus difficultatibus expositum sit, in capite *nono* obiecta illa solvenda suscipit, quæ contra illud formari veri quadam specie possent. *Decimum* caput tria potissimum argumenta comprehendit: 1) nullis certis rationibus effici posse, exstare quantitates infinite parvas aut magnas: 2) nullis pariter cogi, easdem in numero eorum, quæ existere nequeunt, esse recensendas: 3) declarare, qui fieri possit, ut, quod elicitur adminiculo calculi differentialis tum integralis, qui versatur in quantitatibus infinite parvis, & interdum quoque in infinite magnis, nihilominus certum & exploratum sit. His explicandis Auctor multum immoratur, dum Articulo quarto huius capitis, errorem, ut putat, summi Geometræ *Euleri* detegat; qui sc. ex non satis evoluta metaphysica notione calculi integralis, a numero possibilium in natura explosit nonnullas virium centralium hypotheses, quæ si tales

forent

forent, ac ipse arbitratur, magnam calculus summatorius plagam acciperet. Articulo sexto eiusdem capitis, transitum quantitatis a finita ad infinite parvam aut magnam, per conversionem eiusdem ab alio ad alium statum, hoc est a positivo ad negativum, & vice versa, explicat; viamque sibi inde sternit ad dilucidandas leges motuum in corporum durorum collisione, & ad totam corporis naturam accuratius noscendam. Hæc partem primam huius libri absolvunt. *Secunda* pariter decem capita complectitur. *Primum* agit de primitiva & substantiali corporum essentia, quam esse positam in mera extensione ex iis, quæ de continui natura in antecessum constituta fuerunt, colligit adversus Leibnitium, Musschenbroekium, aliosque Philosophos, a quorum obiectis asserta sua simul vindicat. *Secundum* caput corporis attributa enumerat: *tertium* corporum accidentia persequitur. Qua in re primum contra Cartesii astipulatores statuit, quod præter illam relationem successionemque, in qua natura motus posita est, in corporibus insit aliquod absolutum & permanens, ex quo causa ipsaque corporum vis deducitur. Tum adversus Leibnitii & Wolffii asseclas planum facit, vires, quæ sunt causa motus effectrix, cum essentia corporis primitiva necessario copulatas non esse, sed eidem iam absoluto & perfecto extrinsecus accidere. Deinceps ad obscurissimum in physicis locum accedit, qui est de pressionibus, ex quarum fluxu vires motrices exsistunt, atque capite demum *quarto* in apricum deducit, nullas in hac rerum universitate exstare posse puras pressiones sine viribus vivis, & illas ab his solum tanquam terminos & modos secerni, quemadmodum superficies a solido, sine quo esse non possunt, distinguuntur. Quo in argumento, quum curatius paulo versetur acutissimus Auctor, modum simul solvit, quo vires generantur, aut se vicissim elidunt, infinitam vim percussionis, ratione habita gravitatis, possibilitatem perfecti æquilibrii, & alia non pauca in lucem protrahit. His sensim adducitur ad æstimationem virium rimandam, ex-

 po-

ponendamque celebrem illam quæſtionem, quæ ſuper ea aliquot abhinc annis agitata eſt, & adhuc agitatur. Auctor noſter Leibnitium hic ſequitur, cuius ſententiam primo loco ab obliquo corporum in planum immobile incurſu, a Io. Bernoullio explicato, ſtabiliendam ſuſcipit; ſed illum magis urget, aliterque contorquet, ut ex rationibus a ſe allatis facilis claraque ſolutio eliciatur eorum, quæ a Fontenellio, Mairano, & Deidiero, ad Bernoullianam demonſtrationem contradicta fuerunt. Quod ut adhuc magis confirmet, in ſecundo articulo hanc ſuam ſententiam nova quadam ratione a priori adſtruit, quæque in eo poſita eſt, ut vis motrix, ſive ſumma preſſionum, ex quarum fluxu vis intelligitur generari, productum ex quantitate preſſionis in velocitatem, qua fluit, & tempus, quo durat fluxus, exæquet. In ſcholio adnexo alium valde obſcurum locum examinat, & docet, novas, quæ in corpore oblique in alterum incurrente exſiſtunt directiones, ante incurſum in eodem nequaquam exſiſtere. E quibus reſponſionem facilem eruit ad multa, quæ ab adverſariis Leibnitii obiecta fuerunt: neque prætermittit rationes a Carteſianis ductas ex deſcenſu corporum gravium, ſive rectilineo, ſive per curvas; monſtrans, parum eſſe momenti in reſponſionibus Hermanni & Bulfingeri, immo ſummam quæſtionis diiudicari non poſſe analyſis calculo, qui omnes in partes verſari poteſt, pro qualitate formulæ, a qua ſumit initium: ſed ad eam definiendam formulam ipſam expendi oportere, utrum ſcilicet ſumma virium mortuarum in motu æquabiliter accelerato ſit productum ex presſione ſive ex vi mortua in ſpatium, an vero in tempus. Actionem elaſtrorum, eorumque theoriam, fuſius ſcrutatur clarisſimus Auctor, quod in ea arx quaſi ſyſtematis Leibnitiani poſita eſt: quibus iungit doctrinam de virium compoſitione in ſententia virium vivarum, & poſita ſua virium æſtimatione, plures diſſolvit nodos, qui aſſumta Carteſii ſententia inexplicabiles ſunt. Ultimo denique in qualibet duarum virium compoſitione, adminiculo celerioris aut

aut tardioris fluxus presſionum, æqualitas inter effectum & cauſam clarisſime demonſtratur: quo uno fit, ut Leibnitianæ ſententiæ & rationibus multum accedat momenti. His ita conſtitutis, maximam difficultatem ſolvit, quæ Leibnitio obiicitur, & quæ ex colliſione corporum perfecte durorum deducitur, qua Carteſiani magnopere gloriantur, ac ſi per eam omnis virium æſtimatio Leibnitiana peſſundaretur. Qua in re, dum omnes animi vires periclitatur præclarisſimus Auctor, in veram pervenit communicationis virium theoriam, ſumtam ex viribus corporum attractricibus, quæ cum in contactu infinitæ fiant, in repellentes abeunt, easque infinitas. Ita non ſolum argumentis Carteſianorum fit ſatis, ſed etiam plura alia inde deducuntur, ad cognoſcendam impulſionem & colliſionem corporum, & ad eruendas leges motus admodum neceſſaria; quinimmo ipſa corporum natura, eorumque impenetrabilitas, hinc poteſt dilucidari. Tandem, ut Leibnitianam ſententiam quovis modo ſtabiliret, neque tamen actum agere videretur, in fine Tomi primi Cl. *Riccati* librum enucleat, qui inſcribitur *Dialogo intorno alle Forze vive*, & in quo Leibnitii doctrina admodum dilucide proponitur. Quo cum viro clarisſimo quamvis Auctor noſter, quod ad ſummam quæſtionis attinet: convenit, tamen Riccatianum ſcriptum ſub examen revocat, partim ut oſtendat, ſe ad confirmandam Leibnitii ſententiam alia prorſus via incedere; partim ut alia nonnulla, in quibus ſibi cum Riccato cauſa communis eſſe non poteſt, indicet. Quibus ordine diſcusſis, anonymi Angli librum refutandum ſuſcipit, qui hanc eſſe litem de nomine putaverat, & hic non de poſſesſione, ſive de terminis inter philoſophos diſputari, in quorum arbitrio eſſet, quam quiſque voluerit nomini vis vivæ poteſtatem ſubiicere, & ad aſſumendam pro libito, non vero probandam vis motricis finitionem, nunc Carteſianis litem eſſe adiudicandam, nunc Leibnitianis, & denique utramque menſuram explicandis naturæ phaenomenis eſſe accommodatam. Ultimo loco Cl. *Franc.*

Mariae Zanotti adverſus Leibnitii virium vivarum æſtimationem, immo adverſus Riccatianam Leibnitii defenſionem editum opus carpſit Cl. Auctor, atque tria potisſimum contra Zanottum adſtruit: 1) quamvis aliqua ſit apud Leibnitianos, in definiendo, quid nomine vis vivæ intelligi velint, loquendi obſcuritas & inconſtantia, tamen in dubium vocari non poſſe, quid ſit intelligendum; 2) puras potentias, ut vocat Zanottus, ſive presſiones, ut Auctor, ſine vi viva ex earum genita fluxu non poſſe conſtare, ob aliam rationem, diverſam ab iis, quas in antecedentibus protulerat, ex intimiori metaphyſica depromtam; 3) In tria vis motricis elementa a ſe adducta, quantitatem presſionis, velocitatem qua fluit, & tempus quo fluere pergit, illa omnia convenire, quæ in elementa, ex quibus quantitas aliqua exſiſtere ponitur, cadere debere in expendenda methodo indiviſibilium oſtenderat.

Hæc præcipua illa ſunt momenta, in quibus omnis Auctoris noſtri tractatio verſatur, & quæ ipſe maximam partem in eleganti præfatione declaravit. Ipſe, ſi quid iudicare poſſumus, tum in expendendis aliorum aſſertis & ſententiis, tum in demonſtrandis iis, quæ ad generalia phyſices capita pertinere voluit, omnem operam atque diligentiam adhibuit, ita ut merito literis & præſertim phyſicæ gratulandum putemus, cui tam egregio opere novum atque inſigne ornamentum acceſſerit. Secundus huius Operis tomus, iam abſolutus, & tertius non ſolum inchoatus, ſed magna ex parte confectus, mox ſubſequentur.

RECHERCHES SUR L'USAGE DES FEUILLES DANS les plantes &c.

i. e.

EXPERIMENTA DE USU FOLIORUM IN plantis, deque aliis momentis ad hiſtoriam vegetationis pertinen-

tinentibus, per CAROLUM BONNET, Societatis regiæ Londinensis & Instituti Bononiensis Collegam, Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ Membrum correspondens, &c.

Göttingæ & Lugduni Batavorum, impensis Eliæ Luzac. 4. Alph. 1. pl. 20. Fig. æneæ 31.

Duplex folia herbarum arborumque gerunt officium, quorum alterum est, recipiendi: alterum, excernendi liquida. Introit ex extremis vasorum, quæ foliorum superficie terminantur, apicibus, humida aeris pars, aqua pluvialis, roscidum aeris liquidum, atque ipse aer, cuius intuitu respirare planta, foliis, dicitur. Eadem foliorum superficie desinunt tubuli halantes, & suscepta radicibus fluida dispellunt. Clarissimus Auctor, utriusque huius oeconomiæ vegetabilis leges exposuit hoc libro, atque illas luculentis curiosissimisque experimentis obfirmavit. Folia duplicem ostendunt superficiem, aliam, quæ coelum, aliam, quæ terram respicit. Ocularis inspectio docet, utriusque magnam esse differentiam: superior, lucido ubique inducto est vermice, tubulosque vel halantes vel sorbentes habet pauciores; inferior villosa, tubulis utriusque generis instruitur numerosioribus. Hoc ita esse expertus Auctor est. Imposuit folia aquæ, alia ita collocavit, ut superior superficies, alia, ut inferior villosa superficies fluido innataret, viditque, citius marcescere folia, cum superiorem, quæ viridis est, superficiem, aquæ contiguam haberent, serius, si inferiorem & villosam. In terrestribus potissimum plantis experimentum captum est, ex quibus paucissimæ sunt, quarum folia utrinque polita conspiciantur; igitur inferius foliorum planum, recipiendo roscido liquido aeris, matutino maxime tempore, aptius esse conclusit. Etiamsi enim diversa foliorum, sua inferiore superficie aquæ impositorum, esset duratio; inter quas aliquæ, uti Melissa, per quatuor continuos menses, foliis antea pedunculo orbatis, ne dubitationi locus

 esset,

esset, vixit: omnes tamen plus imo, quam summo plano, liquida hausisse deprehensæ fuerunt; id quod intellectum quoque fuit, cum gluten vel huic, vel illi superficiei induceretur. Adulta folia ad experimentum trahi oportuit. Non autem tantum liquida, istis vasis foliorum sorbentibus, hac ratione subire deprehensa sunt, sed manifeste quoque introire aer visus est. Submersis enim in aqua intra vas vitreum foliis, adhæserunt, potissimum iuxta imam illorum superficiem, bullulæ aereæ, ingressum molientes; igitur tracheas, quæ utriculis foliorum responderent, ibi potissimum positas esse, perceptum hoc experimento fuit; & ne dubitatio superesset, neque videretur aer plus exire foliis quam illa subingredi, ramus in vas vitreum aqua plenum deflexus est, aqua antea per decoctionem suo aere privata, & tunc nil quidquam bullularum aerearum prodire deprehensum, intellectumque est, aerem haud prodire, sed ingredi. Propterea dubium superest nullum, folia quodammodo herbis arboribusque, maxime illis, quæ sterili solo crescunt, radicum loco esse. Comparat Noster foliorum tracheas illis erucarum; ut enim hæ, inducto oleo subito suffocantur, ita illa similiter languent, tandemque pereunt, cum oleum, maxime inferiori plano, inductum est. Plantarum folia, eadem lege, plus per inferius planum halant. Ut enim varia ab Auctore adducta experimenta prætereamus, potest sufficere hoc unum, quod aliqua folia, uti est in plantis epiphyllospermis, aut dorsiferis, in aversa sui parte fructus moliuntur. Cur autem inferior illa ad sugendum roscidum liquidum plus magisque accommodata folii pars terram respiciat, illud causæ est, quod de nocte, & matutino tempore, halituosæ soli fertilis spirationes, ad perpendiculum elatæ, accipi sugique hoc positu commodius possint, licet superficies summa insugendis aquis coelitus lapsis non minus sit idonea. Hoc ita esse oportere, huncque situm, quo villosa folii pars solum semper respiciat, servari necessum esse, evidenter liquet, quia videmus, folium suo ramo conti-

continuum, etiamsi ita, vi, flectitur, ut quod imum est summo loco sit, ad naturale schema sponte reverti. Hoc singulare naturæ vegetabilis phænomenon, pluribus curiosissimisque experimentis Noster obfirmavit. Folia suis ramis continua in aquas mersit, eaque invertit, nec minus vidit ea in pristinum situm sensim paulatimque reverti, suamque villosam nervisque asperiorem partem solo obvertere; sive hoc instinctus sit, sive mechanismus; fibris ligneis intortis pro sua elasticitate rectam lineam petentibus. Lucem huius reversionis caussam esse, Noster arguit: siquidem in opaco loco experimentis institutis deprehensum est, candelarum quoque lumine, ut revertantur in pristinum situm folia, effici, id ipsumque solis radiis efficitur, cuius motum haud paucæ plantæ, illæ maxime solisequæ, per sic dictam nutationem, sequuntur. Non autem tantum folia characteristica, uti A. appellat, vel adulta, sed etiam infantilia & seminalia hoc habent, ut eorum ima superficies ad solum verti amet. Videmus hoc clarissime, cum segetes confuso ordine dispergunturr, omnia tamen foliola recta linea *Zenith* respicere; sique etiam data opera semina, hilo deorsum flexo, feras, non minus ad rectum plantulæ folium seminale surgere deprehendes. Quæ omnia cum ita sese habent, ut liquidis plantam nutrituris duplex via data sit, quarum alia humores ex athmosphæra, alia illos ex solo trahit: videtur omnino descensus liquidi per corticem, adscensus per fibras ligneas, fieri. Cuius rei argumentum istud est, quod cum in cortice arboris vulnus facimus, adaptamus vasculum speciem multiplicaturi, videmus radices superiore, quæ folia respicit, parte surgere. Diversa omnino vasa esse, alia, quæ ex foliis ad radicem, alia quæ ex radicibus ad folia excurrunt, intellectum est evidenter experimentis, immersione plantarum in liquores *Rubia* aut *atramento* tinctos, institutis: tunc enim color pigmenti saltem pervasit tinxitque corpus ligneum, corticem non attigit; visusque propterea est motus liquidi e radicibus, per fibras ligneas, humoris

moris per folia ingressi cortice procedere. Hæc curiosissima sane sunt experimenta, quæ ab oculatissimo & sagacissimo Auctore hunc in finem instituta fuere. Cum herbulam una cum radice nigro pigmento demergeret, centrum radicis ligneum, atque ab illo totum plantæ corpus ligneum, ad folia usque, maxime in nervis, denigratum est. Cum rubro pigmento radix immersa esset, pigmentum ipsum, vulnusculis acu inflictis, de cortice manavit; quod ut nitidius appareret, plantas in humido clausoque loco reposuit, ubi solent dealbescere. Maximi apparatus, ad universam historiam plantarum facientis, liber est, nitidissimis iconibus illustratus, & quinque missibus elaboratus, quorum tertius ad methodum plantarum instituendam perutilis est, utpote qui characteres plantarum ex foliis sistit, eorumque ordines constituit.

NOUVELLE HISTOIRE POETIQUE &c.

i. e.

NOVA HISTORIA POETICES, CUM DUABUS Commentationibus brevioribus, altera de poesi, altera de eloquentia, regiarum in Gallia filiarum usibus dedicatis. Partes II.

Parisiis, apud Iacobum Guerinum, Desprez, & Cavelierium, cum approbatione & privilegio Regis, 1751. 12 mai. Alph. 1. pl. 13.

H*ardionius*, regiarum principum in his studiis magister, librum hunc sapientissimo consilio publicavit. Attamen, cum numinum profanorum fusiorem historiam habeamus, nostra quoque lingua donatam, huius vel σκιαγραφίαν indicasse sufficiet. Prioris partis exordium constituit, Pag. 1. de huius universi fabrica narratio fabularum. Hoc exci-
14. piunt quinque capita, suis iterum membris distincta. Primum

mum caput eſt de diis caeleſtibus, in quo diverſis ſectiunculis occurrunt, non ſolum Uranus & Saturnus, ſed & Cybele, Iupiter, Iuno, Pallas aut Minerva Bellonaque, Mars & Victoria, Venus, Cupido & Gratiæ, Vulcanus & Cyclopes, Mercurius & Iris, Apollo & Phaeton, Diana ſeu Luna, Aurora & Nox, Bacchus denique & Muſæ. Alterum caput habet divinitates Pag. 87.
Marinas, fluviorum & fontium, atque in his Oceanum & Thethyn, Neptunum & Amphitritem, Nereum, Nereidas & Tritonas, Proteum, Phorcum & filias, Polomonem & Leucothoen, Glaucum, Scyllam & Charybdin, Nymphas marinas, Aeolum & ventos, denique Sirenas. Tertii capitis divi- 130.
nitates ſunt terreſtres, nominatim Ceres, deus Terminus, Pan, Pales, & aliæ campeſtres; Nymphæ terreſtres, Satyri, Fauni, Sylvani, & Silenus; Flora, Pomona, Vertumnus; nec minus Penates, Lares, & Genii. Caput penultimum 164.
deos inferos comprehendit, Fluvios infernos, Charontem, Cerberum; iudices infernos, Minoem, Rhadamantum, & Aeacum; Plutonem, Proſerpinam, & Plutum; Furias, Parcas, Fatum, Fortunam, & Nemeſin; Somnum, Mortem, & Manes, quibus ſupplicia famoſorum quorumdam maleficorum in orco iunguntur. Ultimo capite ſingulares divinitates habentur, 206.
Comus & Momus, feſtorum temporum & gaudiorum dii; Aeſculapius, Hygiea, vel dea ſalutis, & Teleſphorus; virtutes, animi commotiones, bona malaque, deorum in numerum relata, ſingulatim pietas, miſericordia, virtus, & honor, veritas, concordia & pax, fides, libertas, pudor, ſilentium, providentia, ſecuritas, iuſtitia, æquitas. His accedunt oracula, Dodonæum, Iovis Ammonis, & Delphicum. In altera 233.
parte, ſolis minoribus membris diviſa, comprehenduntur Iapetus & eius liberi; Cecrops & filiæ, Erichthonius, Pandion & Erechtheus; Inachus, Argivorum regni fundator, Danaus, Acriſius, cet. Perſeus, Bellerophon, Hercules, Theſeus, & Pirithous, Caſtor & Pollux, Iaſon & Argonautæ, Orpheus, Peleus & Telamo, Calais & Zetes, Cadmus, The-

barum fundator, cum familia; Amphion & Zethus, Oedipus,
& eius liberi, Adrastus, Tydeus, Capaneus, Hippomedon,
Pag. 417. Parthenopeus, Aphiaraus, Pelops & liberi. Iungitur his
momentis belli Troiani designatio, cum reditu ab eodem
Græcorum, ubi Aiax, Agamemnon, Menelaus, & Ulysses,
suo quisque loco enarrantur.

1. Penitiorem attentionem meretur de poesi Gallica tractatio brevis. Initium facit historia brevissima. Poesis Ebræo-
3. rum sacra vivis maxime pingitur coloribus. Græcorum poesis
4. eosdem primo fines habuit, cum deo etiam virtutes celebravit.
Infiniti loci Homeri, Sophoclis, Euripidis, testes appellari
possent. Utique tales doctrinam morum efficacius inculca-
6. runt, quam philosophi nimium austeri & profundi. Hinc
& antiquorum christiani coetus doctorum præstantissimi, singulatim Gregorius Nazianzenus, & alii, scripta poetica dederunt, imitaturi Homerum, Pindarum, Euripidem,
10. Menandrum. Caput II. agit de re poesi obiecta, quam imi-
14. tationem noster constituit: C. III. de imitationis modo; ubi
16. similitudinem atque selectum commendat; C. IV. de sententiis,
quas imagines esse rerum ait, uti sententiarum imagines verba,
36. 41. quæ Cap. V. spectantur, ut sequentibus eorum positus, & qualitas. Cap. VIII. ipsam versus effectionem ostendit, quem Gallico more, non tam in varietate longiorum ac breviorum syllabarum definita, quam in numero collocat Auctor; licet postea
50. 54. simul agat de vocabulorum quantitate. Caput X. tragoediam habet, quam definit per imitationem actionis grandis magnique momenti, ubi poeta personas agentes & colloquentes sistat, non compareat ipse, & cuius sit finis terroris & mise-
56. ricordiæ spectatorum in animis excitatio. Laudatur ibi ac designatur Sophoclis Oedipus, nec hodie in imperfectis translationibus & imitationibus sine effectu, cum omnia sint
57. terribilia, atque moventia. Nec minus Iphigenia commen-
65. datur. Cap. XI. Ludos scenicos cantandos, vel operas, ut
XII.

comoedias sistit, ubi *Boilavii* potissimum praeceptiones commendat. Cap. XIII. epicum poema tractat, & *Homerum*, omnes conditiones, quae poematis heroici ad perfectionem pertineant, complexum, laudat, omnium exemplar qui post eum scripserint. Laudatur ideo *Miltonus* Anglorum, in Homerica lectione nutritus, cuius ergo descriptiones bellae, sententiae grandes, & interdum sublimes; tamen ei digressiones frequentes, cum aliis mendis exprobrantur. Cap. XIV. comprehenduntur apologi; XV. eclogae vel idyllia, quorum genium apud Gallos optime assecutus est *Segrais*. Cap. XVI. est de lyrica poesi, ubi *Malherbe* & *Rousseau* praecipue commendantur. Cap. XVII. Satiras tractat: XVIII. epistolas poeticas, utrobique *Horatius* imperat & *Boilavius*. Posterioris ars poetica, Virgiliique georgica praedicantur. Cap. XIX. optima didactici carminis exempla: Cap. XX. elegias: XXI. cantica Gallorum, quae *Sonnets* dicuntur, ac demum XXII. epigrammata, A. percenset.

Pag. 67. 71. 76. 78. 80. 85. 89. 90. 100. 101. 108. sq. 114. sq. 116. 119. 122.

Finem facit de eloquentia commentarius, similiter variis capitibus comprehensus. Horum agunt I. de eloquentia generatim; II. num singularis ars sit eloquentiae; III. de rhetorices origine; IV. de grammatica, quo puritatem, correctionem, & elegantiam Auctor requirit; V. de rhetoricae partibus; VI. de inventione; VII. de figuris sententiarum, quo apostrophe, exclamatio, interrogatio, descriptio, fictio personarum, transitiones inopinatae, amplificatioque referuntur; VIII. de confirmationibus & ratiocinationibus; IX. de sophismatibus & παραλογισμοῖς; X. de moribus & animorum commotionibus, quarum posteriores cum ad eloquentiae caput pertineant, fusius describi omnino merebantur; XI. de dispositione; XII. de tribus eloquentiae generibus, iudiciali, deliberativo, demonstrativo; XIII. de elocutione; XIV. de diversis elocutionis characteribus, simplici, sublimi, temperato; XV. de vocabulorum delectu; XVI. de collocatione vocabulorum oratoria; ac tandem XVII. de circuitionibus, sive

128. 129. 130. 134. sq. 136. 137. 140. 156. 167. 174. 190. 203. 221. 226. 242. 244. 249.

Pag. 262. verborum ambitu; de modis & figuris vocabulorum. Uti parum alias singulare, ita hic invenimus, εἰρωνείαν breviorem
274. ad modos, ad figuras autem longiorem referri; quam nos quidem esse modum continuatum aut allegoriam diceremus. Sed huius generis dubia subinde nobis esse nata fatemur; licet in doctrinis plerumque, quas ipsi neutiquam peculiares adpellare poterimus. Profecto, quemadmodum hic multa laudamus; plura tamen in opere talis viri, talique scopo destinato, dici oportebat.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Novis Actis Eruditorum occupati, per Partes publicata.
Vol. X. Pars II.

Lipf. 1754. 8. plagg. 12.

I. P. Ancherfenius miserat olim, sine suo Auctoris nomine, ad b. *Frid. Ottonem Menkenium*, Dissertationem de *Tributo coriorum Romano, Norwegico, & Anglico.* Ante annos aliquot tandem Cl. Ancherfenius eam, posterioribus curis auctam, Hafniæ evulgavit. Stat tamen pretium suum elaborationi primæ, vel eo etiam nomine, quod scripta doctorum septemtrionalium raro ad Germanos adferuntur. Dissertatio ista principem huius Partis Miscell. locum occupat, cui ex Cel. Erici Pontoppidani monimentis, de historia Norwegiæ naturali, quantum ad Norwegos adtinet, nonnihil adiici potest. Norwegi *Hund* vocant id tributum, Angli *Hide.* Vocabulum utrumque dicitur idem sonare ac
194 *corium terrae,* seu *terram unius aratri culturae sufficientem.* Certus agrorum vel terræ modus, maior minorve, adpellatur *Hundelang.* Scotis notum est eiusdem potestatis vocabulum *Hilda.* Latinis medii aevi vocabulum *mansus, mansum,* in usu fuit, eundem significans agri modum, uni aratro suppetentem.

tentem. Frisios a Druso, coria boum pendere iussos fuisse, tradidit Tacitus *Ann.* IV, 72. Hic in naturam coriorum, & eius tributi, sollicite inquirit Auctor, vestigia eruditionis eximiae diffundens. Boves, Homeri aetate, erant loco pecuniae, ut hodie apud Finnos, Lappones, Islandos, Feroenses, ultimos Russos. *Hidagium* Angli veteres adpellarunt tributum, Pag. 206.
quod ex singulis hidis colligebant, nec non *Hidegeld*, ex *Hyde*, seu terra arabili, a possessore suo tegenda ac defendenda; siquidem *hyden, hiden*, est *tegere, custodire. Hidgeldum* apud eosdem erat etiam pecunia, quam servi, ut tergum a virgarum poena servarent integrum, solvebant. At *Hidegeld* ab *hidagio* differt, dictum quippe ex *hyd, hyde*, corio, cute, pelle, dorso. Tributum corii, *corragium*, Danis est *Hydeskat*. Omittimus reliqua, ad etymologias referenda. Romani, a Britannis aeque ac Frisiis, modicum pro angustia rerum tributum, in usus nempe militares coria boum, ferri ac solvi voluerunt. Dein Saxones, insulam ingressi, consuetudinem eam retinuerunt, donec reditus e messe superarent reditus e pastu. Mos ex Anglia ad Norwegos videtur traductus. Refellit Auctor fabulas varias Monachorum Britanniae, in terris, quae Apostolis S. Philippi Glastoniensibus anno Iesu nati 61. in Britannia donatae dicuntur, obvias. Henricus II. Rex, Hibernis tributum coriorum im- 236.
posuit, circa annum 1172. Reliquis praetermissis, quae ab Auctore diligenter edisseruntur, progredimur ad *Epistolam Francisci Antonii Zachariae S. I. ad Hannibalem de Abbatibus Oliverium Pisaurensem, de Benedicti Iovii Comensis Collectaneis Inscriptionum*. Collectanea haec quidem numquam for- 237.
mis publicis descripta sunt: fuerunt tamen antiquarum Inscriptionum collectoribus ornamento, haud secus ac adiumento. Dolemus, quod eae in collectorum scriptis passim leguntur vitiatae, & ab autographi fide aberrantes. Cl. Zacharias, praefationem Iovii, & ex Ioviano opere emendationes, non exigui momenti, exhibuit, magno Lectorum commodo. Iovio

 positum

positum fuit in templo Comensi monumentum, cum inscrip-
Pag. 242. tione, ad annum 1556. quo obiit. Inscriptionem dare non
omisit Cl. Zacharias, qui progreditur deinde ad emendandos
252. nævos, qui apud Gruterum & Muratorium habentur. Adiecit Emendator præterea de suo sex emendationes haud contemnendas. Succedunt hisce *Emendationes criticae ad Scriptores veteres ex curis I. C. Harenbergii.* Videtur illi apud Nepotem in Agesilao c. 6. §. 1. legendum, *exciri noluit*, pro *exire noluit*. Legendum esse *omina* pro *omnia*, existimat, in nonnullis Virgilii locis *Æn.* II, 324. I. 178. II, 236. Illud Martialis XI, ep. 95. v. 6, *iura, verpe, per Anchialum,* legendum probabiliter suspicatur: *iura, verpe, per Hechialum*, ratus, indicari Hechal, basilicam templi Hierosolymitani tunc ever-
261. sam. Illud Iesu Matth. V, 39. Ego dico vobis, *μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ,* exponit casu sexto, quem Græcis in usu fuisse monet. Tum vero in Strabone L. II, p. 133. pro ὃν ἔχει τὰ πέντε πρὸς ἑπτὰ, legendum esse ostendit, ὃν ἔχει τὰ δέκα πρὸς ἑπτὰ, quod de latitudine geographica Alexandriæ, Ægypti, & Carthaginis Africæ, veterumque eam dime
267. tiendi more, sermo est. Hinc in eodem Strabone L. V. p. 214 pro ἐπίτερπον δὲ καὶ Ορδία. καὶ Ἀδρία, καὶ Ουκετία, iudica legendum esse, Ὀπιτέργιον δὲ καὶ Κογκορδία, καὶ Ατρία, καὶ Ουικετία. Apud Matthæum I, 11. Codicum opera adiutus, legendum sic suadet: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιωακείμ, Ἰωακείμ καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Ιωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰε-
270. χονίαν ἐπὶ —. Tandem contra Isaacum de Beausobre disputat, qui sibi persuaserat, loca Danielis II. 5. 12, & IV. 7. 8. adversa fronte invicem pugnare; quod hic docte confutatum est. Convertimus nos ad *Io. Mart. Pastorii collationem editionis Argentinensis Geographiae Cl. Ptolomaei cum illa, cuius Michael Servetus Auctor est, ad illustrandum locum*
274. *historiae modo dicti Serveti, ab Ill. & Rev. Io. Laur. Moshemio conscriptae.* Ediderat Iohannes Grieningerus cum Iohanne Koburger 1525. Ptolomæi Geographiam. Ad terram

ram sanctam hic verba illa leguntur introductionis, quæ crimini Serveto data sunt. Servetus in editione sua retinuit ea omnia, quæ in Argentinensi legebantur, plagiarii notam meritus. De reliquo est absolvendus. Excipit hanc tractationem *Matthiae Belii*, *Hungariae nuper Historiographi, Observatio historico-physica de Antro glaciali Szelicensi.* Nomen Pag. 282.
hoc traxit a vico Szelicze Comitatus Thornensis in Carpathi radicibus, grandi & obverso in aquilonem hiatu dehiscens, XVIII. orgyjas altum, IX. latum. Est, bruma sæviente, tepido intus aere; frigido contra, cum soles sunt fervidissimi. Enarratione sane dignum erat hoc inusitatæ indolis antrum, glacie æstiva inclitum, quam accolæ bibunt. Dignissima erat investigatio rationis, e qua b. Auctor vicissitudinem illam solide deduxit. Provocat nos *Iac. Frid. Heusingeri*, *Scholae* 292.
Wolfenbuttel. Conrect. in Plutarchi librum de Amici & Assentatoris discrimine Commentatio critica, quæ demorsos ungues sapit, multisque locis depravatis egregiam adfert medicinam. *Io. Georg. Schelhornii, de ludis quibusdam scenicis, potis-* 308.
simum ad statum religionis saeculi XVI. *adumbrandum olim excogitatis, observatio*, lectu est admodum iucunda. Habes hic, Lector, exempla undecim, quorum potiora sunt comoediæ, quarum una Parisiis, coram Francisco Rege, altera Augustæ Vindelicorum coram Carolo V. ac Ferdinando I. acta esse dicitur. Succedit *Clericus unius uxoris maritus, seu Dissertatio* 335.
epistolica, qua in sensum verborum Pauli, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ 1 *Tim.* III, 2. 12. *Tit.* I, 6. *inquirit Io. Henr. Pratje, Brem. ac Verd. Ducat. Eccl. & Schol. Superint. gen.* Solide ostendit Auctor, Paulum designasse maritum uni uxori, cui iunctus sit, addictum, nec præterea plures ardentem. Vulgatas aliorum expositiones modeste refellit A. ac demolitur. Bellariorum loco adponuntur *Epistolae aliquot Iosephi Scaligeri*, ex collectione b. Ioannis Grammii, cum huius ad Frid. Ot- 364.
tonem Menckenium epistola, qua de apographis epistolarum 350. lectissimarum disserit. Ea per Franciscum Bakke, ecclesia-

clesiasten Norwegicum, acceperat Grammius, siquidem Io. Freinshemii vidua, Henrico Holstio, ex Germania Hafniam in patriam redituro, nupserat, eique adtulerat Freinshemianas syllogas litterarias. Holstio obtigerat postea munus in regno Norwegiæ. Constitutus enim fuit adsessor supremi iudicii aulici Christianiæ in Norwegia. Coniux uterque circa 1680. ibi, nulla prole relicta, obiit. Epistolarum compages aliqua a Bakkii patre fuit adquisita, quia non satis usui visa fuerat fore mercatoribus, qui compages scriptorum complures converterant in cineres & herbæ nicotianæ involucra. Grata erunt lectori ea, quæ de fatis ac morte
Pag. 369. Ioannis Freinshemii adiiciuntur. Epistola prima circa a. 1598. a Ios. Scaligero ad Dav. Hoeschelium fuit scripta, quæ de periodo Victoriana, & tabulis solis ac lunæ nonnihil habet. Reliquæ suo loco posthæc luci exhibentur.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLVI.

Erklärung des Neuen Testaments ꝛc.

i. e.

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Expositio Novi Testamenti, continens posteriorem Actuum Apostolicorum Sectionem.

Pars VI.

Hannoveræ, sumtibus heredum Foersterianorum, 1754. 8. Alph. 2. plagg. 2.

Et hanc sextam operis sui laudatissimi partem, sine ulteriori præfandi pompa, tradit Lectoribus summe Reverendus Auctor, posteriorem Actuum Apostolicorum partem inde a capite XIII, eadem, quam hactenus observavit, methodo explicans. Deprehendent viri docti, fori philologici gnari & amici, multa diligenter excussa, sollicite examinata, libere diiudicata. De *Luca* evangelista sub initium Pag. 5.
leguntur uberius corroborata, quæ olim in *Poecile Tom. II. p. 519.* iam demonstrare vir doctissimus studuit: *Lucium* nempe hic commemoratum, nullum alium esse, quam prædictum *Lucam*, eundem & a Paulo Apostolo Col. IV, 14. indicatum per *Lucam medicum.* Quando *cap. XIII. 9.* di- 25.
vum *Paulum* apostolum, ante miraculosam conversionem, *Sauli* nomine venisse sanctus evangelista narrat, causam mutandi nominis coniiciendo *Heumannus* addit, quoniam cum Iudai-

ca religione nomini etiam Iudaico renuntiare, & tanquam
futurus gentium apoſtolus, Romanum Pauli nomen, gentili-
bus magis gratum, adoptare maluerit. Male, hac occaſio-
ne, docet grammaticis minutiis inhærere, qui nomen *Paulli*
duplici hac litera ditare ament, veterum lapicidarum auɛto-
ritate innixi, curatius prudentiuſque aɛturi, ſi Græcos ſcri-
ptores, nomen παυλος duplici iſta minus onerantes litera,
ſequerentur. Magum *Barjeſum* Cap. XIII, 11. coecitatis
plaga iuſſu Pauli miraculoſo affeɛtum fuiſſe, *Lucas* tradit,
Pag. 31. ſed tantum ἄχρι καιρῦ, quod non cum *Origene*, *Chryſoſto-*
mo, & *Oecumenio*, ita vir doɛtus accipit, ac ſi per hanc poenam
ad poenitentiam perduɛtus magus iſte, tuncque plaga ſua
liberatus fuerit: potius duplex miraculum hic apoſtolum
Paulum feciſſe vult coram Proconſule Sergio, ita, ut per
prius, excoecato Barjeſu, ad religionem chriſtianam converſus
Sergius ſit, per poſterius vero, Barjeſu viſum priſtinum recipi-
ente hic in fide confirmatus fuerit. *Sergium* illum, quoniam ſa-
32. cro haud tinɛtus eſſe lavacro dicitur v. 12, publice non con-
feſſum Chriſtum eſſe, coniicit *Heumannus*, ſed clanculum,
uti olim Nicodemus, ad eius partes tranſierat. De conci-
44. liatione loci *Cap. XIII. 20.* cum aliis ſacri Codicis effatis, &
determinando iudicum in eccleſia Iudaica uſque ad Samuelis
tempus numero, doɛte Auɛtor noſter differit, ita litem diiu-
dicans, ut Lucam hoc loco ex recepta Iudæis ſupputatione
communi, non ex principiis chronologicis, annos iudicum
iſtorum recenſuiſſe putet, quod, num cunɛtis ſeſe probatu-
144. rum ſit criticis, vehementer dubitamus. Quæ *Cap. XV, 11.*
de eadem cum maioribus ſalutis æternæ conſequendæ metho-
do, ex variorum interpretum mente, Petrus ſermocinatur, iu-
157. bet celeberrimus Auɛtor ad gentiles referre: in explicanda
vero voce πορνεια comm. 20. iis accedit, qui propriam il-
lius ſignificationem retinendam eſſe cenſent. Totam in hoc
159. capite a *comm. 1.* uſque ad *21.* narratam hiſtoriam luce plena
gaudere ven. Auɛtor autumat, uti ipſe eam exhibuit; eos
pungens, qui *Spencero* duce, & alio magno noſtratium theo-
logo, (*Deylingio,*) verba *Spenceri* in *Obſervat. ſacris, Part.*
II.

II. Cap. 39. §. 2. suo nomine exscribente, tricis implicitam eam esse crediderunt. Verum, Iacobi apostoli scopum *Spencerum* minus attigisse iudicat *Heumannus*, secundum quem conversos ex gentilibus admonere apostolus voluerit de vitandis iis rebus, quæ scandalo esse possent Exiudæis conversis. De quæstione, num concilium hoc Hierosolymitanum, *Cap. XV.* descriptum, primum ecclesiæ christianæ concilium nun- Pag. 162.
cupari queat, docte vir eruditissimus simul disserit, negantium partibus favens, quoniam τὸ formale conciliorum nequaquam huc quadret, neque cum hoc apostolorum conventu conferre sequentium temporum concilia liceat. Ὁ 188.
ἀνὴρ Paulo *Cap. XVI. 9.* apparens, ex sententia Auctoris, non Angelus fuit, qui nimirum inclusive *Iuva nos* alloqui Paulum non potuerit, sed potius *Iuva Macedonios* debuisset dicere; personam vero ipsam curate determinare, quænam fuerit, necesse minus esse putat. Per *τὴν προσευχὴν comm. 13.* 194.
non *preces*, sed *precationum domum* intelligendam esse, ex addito verbo *εἶναι*, docetur. Sed cur mulieres tantum Iudæorum hic Paulus deprehenderit, a nemine commentatorum digne explicatum esse, Auctor refert. Cultus divini ergo, non poterant illæ hic adesse solæ congregatæ: nam & viros oportuisset hanc ob caussam præsto esse. Cum ergo reliquorum interpretum nullus satis faciat, ad hanc quæstionem respondenti *Heumanno* optime, sic res expediri videtur, ut mulierculæ illæ post peracta sacra ambulando sese delectarint, cum præter opinionem Paulus atque Silas iisdem supervenerint. Ingeniose satis! Lydia *πορφυρόπωλις comm. 14.* 196.
non a natali loco sic dicta credenda, iudice ven. *Heumanno*, ob additum ab evangelista vocabulum *ὄνομα*, sed proprio isto nomine gavisa. Observat tamen Auctor, nomen id primum forte a patria sortitam Lydiam fuisse, quod deinde in proprium abierit, prouti Germanis eiusmodi nomina haud incognita seu insueta sint, e. g. *Franke, Schwabe, Bayer,* 204.
Friese, Sachse. Ad *comm. 17. & 18.* cur non statim spiritum impurum deserere servam Paulus iusserit? interrogat Auctor, & respondet, exinde patere, notante idem & *Arculario,*

quod non secundum propriam voluntatem, sed ad nutum Spiritus sancti, eiusdemque specialem internum iussum, miracula ediderint apostoli. Quæ quidem sententia num dubiis cunctis sit libera, nos aliquantulum dubitamus. Quanam ratio-
Pag. 213. ne circa medium noctis Paulus, ex narratione Lucæ, *comm. 28.* viderit, custodem captivorum gladio se ipsum interfecturum esse, inquiritur, & auxilio Lunæ luminis forte fieri hoc po-
249. tuisse, coniectura responsionis loco obvertitur. Ad *Cap. XVII. 21.* in curioso Atheniensium novarum rerum audiendarum studio diiudicando, b. *Schlossero* accedit, *Oederi* partes deferens, cel. *Heumannus*, testimonio præterea *Demosthenis*, novum isti sententiæ robur concilians. Per τους ἐπιδημοῦντες ξένους vero, *studiosos*, artibus ibidem se dicantes, in-
256. telligit. Aram Athenis, iuxta *Cap. XVII. 2. 3. ignoto Deo* dicatam, non vero Deo, sed Numini cuidam ignoto sanctam fuisse, demonstratur ex more gentilium; qui ob extraordinarium aliquod infortunium, aut pro singulari beneficio sibi collato, quod cui Numini tribuerent ignorabant, monumentum tale publicum consecrare deo sibi ignoto solebant. Quan-
277. do capitis huius *comm. 2.* Lucas mandati Cæsarei de Iudæis Roma expellendis mentionem facit, rationem huius mandati Cl. *Heumannus* ex *Suetonii vita Claudii, Cap. 25.* adducit, ubi *Iudaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes, Roma expulisse* Imperator narratur: & hoc loco per *Chrestum* ipsum Servatorem nostrum intelligi a *Suetonio* iudicat; ad disputationem suam hoc de argumento Ienæ anno 1709. habitam, & in
279. *sylloge dissertationum, pag. 536. seqq.* recusam, provocans; beato autem *Wolfio* exprobrans, quod de eo argumento persusorie tantum egerit. Cuius viri, de sacra philologia egregie meriti, manibus, parci a celeb. Heumanno, fatemur enim, vehementer cupimus. Paulum σκηνοποιον dum Lucas *comm.*
281. *3.* fuisse refert, pulchra utilisque est Viri doctissimi observatio, multos nostræ ætatis sacerdotes, si reditibus muneris haud adeo opimis fruantur, opificio honesto aliquo addiscendo, exercendoque e. gr. librorum compingendorum, sorti suæ consulere

fulere posse. Sed forte neque hac arte lautiora sibi alimenta comparabunt divini verbi ministri in pagis; sive quod ipsi librorum legendorum deliciis non capiuntur; sive quod iisdem coemendis ob exiles reditus pares non sunt. Ephesinos *Cap. XIX. 2.* Pag. 319.
commemoratos christianos, Ven. Auctor a Ioannis, Servatoris præcursoris, discipulis baptizatos esse coniicit; eorum vero responsionem ex Iudæorum mente interpretari nos debere, secundum quam, miraculosa prophetarum dona sæpius *spiritus sancti* dicta fuisse, constet. Revera hos Ephesinos a Pau- 324.
lo iterum baptizatos esse, contendit vir doctissimus, secus sentientes auctoritatis præiudicio regi pronuntians. Nomen *Tyranni*, quod *comm. 9.* legitur, proprium fuisse 334.
docet, adductis aliquot scriptorum græcorum locis, in quibus idem occurrat. Ad *Cap. XX. 17.* observat, τȢς πρεσβυτε- 389.
ρȢς eosdem esse, quos *comm. 28.* τȢς ἐπισκοπȢς nominari legimus: utrumque nomen ergo vir doctissimus unius eiusdemque auctoritatis esse censet. Sed his episcopis mox præficiendum fuisse putat *Superintendentem*, sive *Episcopum Episcoporum*, quem a Paulo constitutum esse Timotheum judicat, ab *Eusebio lib. III. hist. ecclef. cap. 3.* haud inepte *primum Ephesinae ecclesiae episcopum* appellatum. *Ad pedes Gamalielis Cap. XXII. 3. sedisse* se ipse Paulus confitetur, quod 472.
quidem de modo discipulorum, qui docentibus superiori loco constitutis præsto audientes sunt, quod & Hebræis usu venit, accipit Auctor, docetque, ex vocabulo *ἀνατεθραμμένος*, neutiquam, quod Gamalielis commensalis Paulus fuerit, sequi. Morem *pulverem iaciendi Cap. XXII.* 484.
23, una cum *Munkero*, de Zelo Iudæorum Paulo infensorum explicat, quo excitati, socios sceleris alios hoc signo pariter convocare studuerint. Verba Pauli *Cap. XXIII. 3. 4. 5.* 495.
nimio zeli iniusti æstu contra summum sacerdotem prolata esse, iudicat *Heumannus:* ad quem tamen locum magis placet nobis beati *Wolfii* egregia in *curis ad h. l.* responsio. Epistola Lysiæ *comm. 25. seqq.* obvia, quanam ra- 526.
tione in manus divi Lucæ Evangelistæ pervenerit, rimatur

 dili-

diligenter doctisſimus *Heumannus*, neque perdifficile tunc temporis fuiſſe credit, ut eiusmodi epiſtolæ exemplar, *copiam* Germani vocant, quis obtineret. Cum vero Lucas Cap. XXV. 26. Feſti ad Imperatorem datas literas, quarum forte exemplar haud adeptus fuerit, non communicaverit cum Lectoribus ſuis, exinde A. tuto ſatis concludi vult, epiſtolam Lyſiæ, a Luca inſertam actibus apoſtolorum, nequaquam ſpuriam eſſe cenſendam. Spuriam enim ſi voluiſſet ſubiicere epiſtolam, ita cel. Auctor ſubſumit, ſequenti pariter loco iſtam ſubieciſſet. In quo quidem concludendi modo num acquieſcendum ſibi putent critici, nos non definimus. Sufficient hæc cognoſcendis æſtimandiſque Viri Venerandi illuſtrationibus biblicis, in quibus, laudabili ſtudio, exercet ſenectutem ultimam. Hac ut vegeta diu fruatur, reique Theologicæ & litterariæ, ut fecit adhuc, ſcriptis ſuis conſulere pergat, ex animo precamur.

IO. GEORG. ECCARDI V. CL. DE ORIGINE Germanorum, eorumque vetuſtiſſimis coloniis, migrationibus, ac rebus geſtis, libri duo, ex Schedis manuſcriptis viri illuſtris edidit, figuras æri inciſas adiecit, ac præfatus eſt, CHRIST. LUD. SCHEIDIUS, I. C.

Goettingæ, ſumtibus Io. Guil. Schmidii 1750. 4.
Alph. 2 plag. 10.

Dignum ſane fuit elegans hoc cl. *Eccardi* opus, quod cura ill. editoris in lucem protraheretur: dignum quoque fuit, quod luculenta ornaretur præfatione, cuius ſummam exhibere, officii noſtri eſt, antequam de ipſis, quos nominavimus, commentariis diſſeramus. Dicendi initium
Præf. Pag. V. fecit *Scheidius*, V. C. a variis difficultatibus, quibus utilisſimum æque ac iucundisſimum argumentum, ab *Eccardo* enarratum, adhuc impeditum fuit. Iniurii eſſemus in manes celeberrimorum virorum, ſi de eorum laudibus detraheremus, qui in argumento hoc explicando ſtudia ſua collocarunt; tamen

tamen negari non poteſt, pleroſque quam longisſime a recta via declinaſſe, quod ſagacitate hic opus eſt, ad faciendas coniecturas; ſiquidem in his rebus pauca admodum evidentibus hiſtoricorum teſtimoniis conficiuntur. *Bocharti* immortale opus, Phalegi titulo ornatum, nimis ſterile eſt in enarrandis veterum Germanorum originibus. Id quod quamvis ægre ferendum ſit, magis tamen dolendum, gravisſimos viros, qui eum ſequuti ſunt, *Rudbeckium, Pezronium, Lundium*, nimio erga patriam amore abreptos, quæ ille mirifica induſtria congeſſerat, contra veritatem, ad amplificanda gentis ſuæ decora, male transtuliſſe. *Frankius*, Pag. VI.
præter Transſylvaniæ Saxones nihil adtigit, quod ad Germanos pertineat. *Lazii, Cluverii, Vorburgi* commentarii hoc VII.
argumentum non exhauriunt. Maioris quidem pretii ea ſunt, quæ illuſtrisſimum Germaniæ decus, Comes *Henricus Bunavius*, & quæ ill. *Io. Iac. Maſcovius* ſuſceperunt; negari tamen VIII.
non poteſt, egregios eorum libros noſtris commodis magis inſervire, quam exteris, linguæ Germanicæ ignaris. Præter hæc brevia ſunt atque ſubobſcura, quæ hinc inde de antiquisſimis Germanorum fatis commemorantur, ita ut omni laude dignus cenſeatur, qui lucem illis adferre ſtudeat. Confirmantur hæc il- IX.
luſtri *Saxonum* exemplo, quorum ne nomen quidem antiquis Romanis auditum fuit. Primam eius mentionem fecit *Cl. Pto-* XI.
lomaeus; ſed magna cautione opus eſt, ne ex hodierna adpellatione res eorum æſtimes. Varias enim Saxonici nominis notiones artis periti norunt, conſentiuntque, amplisſimos Saxonum eſſe fines, nec ſolum præſtantisſimos Germaniæ populos inde traxiſſe originem, ſed etiam ipſa Americanorum auſpicia XIV.
ex Saxonia repetenda eſſe, ſi *Grotio* fides habenda ſit. Quoquo modo res ea ſe habet, id clarum eſt, veterem Saxonici nominis gloriam, proprio iure ad Weſtphaliam, & Oſtfaliam in terris Brunſuicenſibus, unice pertinere. Hæc poſtea- XV.
quam ediſſeruit Cl. A. commodam nactus eſſe ſibi viſus eſt, in laudes celſisſimæ Guelforum domus excurrendi, eiusque origines paullo adcuratius enarrandi, occaſionem. Redit poſtea ad id, unde digreſſus eſt; atque, ut cauſſas monſtret, XXI.

cur

cur difficillimum & arduum munus fit, quod ipse fibi *Eccardus* impofuit, rectiffime monet, linguas unica effe antiquiffimæ ætatis monumenta, quæ ad nos pervenerunt, nec faciliorem viam ad primas Germanorum origines ducere poffe, quam linguarum origines, in quas igitur fedulo inquirendum fit. Copiofe hæc A. edifferit, ac pro Scythia, communi quafi gentium
Pag. XXIV. patria, fententiam dicit; firmamque effe ac certam *Leibnitii* opinionem pronuntiat, quod non mari, fed terra, primæ migrationes factæ fuerint. Caftigat deinceps eos, qui omnia ex Babylonicæ turris exftructione repetunt, atque Scytharum linguam, quam ex reliquiis inveniffe gloriantur, ceterarum omnium matrem effe, confidenter fibi & aliis perfua-
XXVI. dent. Scite A. oftendit, quanta cautione in hocce litterarum genere tractando opus fit; nec timide fe eorum parti adiungit, qui linguam primigeniam prorfus deperditam effe
XXXI. credunt. Quamvis difficile fit, explicare gentium Germanicarum origines; longe tamen difficilius eft, veras definire fedes populorum, quos Græci ac Romani fcriptores in Germania collocant. Duces oportet nos fequi *Ptolemaeum* & *Tacitum:* manifeftum autem eft, priorem omnia perturbaffe ac mifcuiffe; pofteriorem temere iis laudibus extolli, quibus eum docti viri profequuntur. Hæc quum monuiffet
XXXVII. vir Cl. peropportune de *Taciti* fide uberius differit, eaque, quæ olim hac de re dixerat, contra confultisfimum *Ancherfenium*, Hafnienfem doctorem, qui nimis magnifice *Taciti* cauffam egerat, defendit. Non negamus, multa docte effe difputata, quæ omnino digna nobis videntur, ut a lectoribus doctis expendantur.

Accedimus iam ad ipfum *Escardi* opus, cuius duas partes conftituit cel. Auctor. *Prior* antiquisfimas Germanorum res geftas exponit, & ufque ad fortunatum illud temporis fpatium producitur, quo Chriftus humanam naturam fibi iunxit. Primo itaque loco A. docet, humani ge-
1. neris originem in Armenia quærendam effe, ac ibidem
2. eius reliquias poft diluvium confediffe. Differit deinceps de divifione terræ inter filios Noachi: de Iapheti & Gomeri
6 pofteritate: de Magogi, Mefechi, Thubalifque fedibus: de Madai,

Madai, Iavani eiuſque poſteris, ac Thiraſo. Porro de Beroſo, Pag. 7.
aliisque vetuſtiſſimis hiſtoricis: de Herodoti teſtimoniis, quæ 11.
de Germanis reliquit: de antiquis Germanorum heroibus
apud *Tacitum*, diſquirit, & exponit quiſnam fuerit Tuiſco? 12.
quis Mannus? quænam gentes, Ingæuones, Iſtævones, Herminiones? quis Harminius? Oſtendit deinceps, quod Germanorum Celtarumque maiores in confiniis Europæ & Aſiæ ha- 19.
bitaverint: quod Germani & Celtæ antiquiſſimas colonias in
Græciam deduxerint: & quo modo fabulæ de Iove Diiſque ex- 24.
poni debeant. Pergit dein ad migrationes noſtrorum verſus occidentem. His ante conſtitutis, & egregiis obſervationibus illuſtratis, propius ad rem accedit. Primos, qui in noſtras ter- 28.
ras venerant, Hiſpaniæ & Hiberniæ incolas, partim etiam Friſios fuiſſe, coniicit. Quod ut demonſtraret, non ſolum nonnulla de Scotis, Hibernis, eorumque lingua adfert, & Friſios 36.
Chauiosque vetuſtiſſimorum Germanorum colonias fuiſſe putat; ſed confutat etiam eorum ſententiam, qui maiores
noſtros ex Suecia in Germaniam migraſſe credunt; ornatque 40.
opinionem, quæ huic contraria eſt. Suecos igitur Vandalos 47.
fuiſſe docet, ac Cherſoneſum Cimbricam eandem eſſe cum Scandinavia veterum pronuntiat, argumento uſus, quod ex utriuſque
linguæ convenientia peti ſolet. Nomina montium, ſilvarum, 49.
fluviorum, e lingua ſunt Saxonum. Nec Celtæ, nec 50.
Scythæ, nec Gothi, in terris his fuerunt; ſed pro Germa- 59.
nis vetuſtiſſimis pugnant mores, amictus, arma, munimenta,
quorum notitia ad nos pervenit. Explicari hinc ea poſſunt, 60.
quæ de arte maiorum noſtrorum nautica; de Pictis in Britan- 66.
nia; de doctrina veterum de defunctis, deque ritibus, ſuperſunt monumenta. Hæc ſumma diligentia enarravit ill. Auctor, ac nominatim de lapidibus illis ſepulcralibus, de cornu Tonderenſi, de tumulis, urnis, atque inventis inibi utenſilibus
lapideis & æreis, de tumulis Buckenſi & Helmſtadienſi, ac 83.
de lucis expoſuit, atque nonnulla de ædificiis addidit. Accedit poſthæc ad principem quæſtionem A. quomodo in noſtras
regiones maiores noſtri venerint? Primi Germaniæ incolæ 93.
litora maris Baltici ſequuti videntur. Qui poſt eos venerunt,

per mediterranea Poloniæ, Germaniam, eiusque regiones,
quæ nostra hac ætate Prussiæ regi ac Brandenburgico Electo-
ri parent, ingressi sunt. In his terris olim Sueui suas habuerunt
sedes, quos a *Swéden*, sive *Sween*, id est *urere*, dictos esse
Pag. 100. A. putat, propterea, quod silvas exusserint. Sueviam igitur
hanc fusius describit, ac felici coniectura itinera definit, quæ
illi confecerunt. His præmissis, demonstrare nititur, ex
101. Germania primos Italiæ & Galliæ incolas venisse; ac postquam
de Celtis & Cimmeriis, eorumque sedibus, disquisivit, Rhætos,
Tuscos, Umbros, & Liguros, perinde originem suam a Celtis
duxisse, ac Venetos, ubi Venetiam veterem descripsit: & con-
114. futavit *Casparum Sardum, Hieronymum Falletum, Io. Bapt.
Pignam*, qui Atestinos principes ab Aoliorum gente, in Ro-
manorum monimentis celebrata, descendisse, commenti
121. sunt. Nec subscribendum esse putat *Philippo a Turre*,
qui Antenorem Troianum Venetiam appulisse credidit.
Quod ut rite probaret, copiose de diis Celtarum, in moni-
124. mento, Parisiis anno 1711. sub templo cathedrali effosso,
commemoratis, item de moribus veterum Celtarum, dispu-
tat, & quædam de origine Bardevici adiungit. Quum de
origine Scytharum eorumque expeditione disquisivisset, eaque
evertisset, quæ de Anthyrio, ducum Megapolitanorum satore,
132. circumferuntur, novis argumentis, contra communem de ori-
gine Romæ sententiam, quam Græcorum coloniam esse sibi
persuadet, pugnavit. Nec melior est *Bodini, Trivorii, La-
carii, Turneminii* opinio, qui Francos a Gallis, qui traiecto
Rheno in Germaniam venissent, ortos esse statuunt. Gal-
139. lis potius cum Romanis res fuit, id quod variæ eorum in Ita-
liam excursiones testantur. Quam vana sit nonnullorum
sententia, Francos aut Saxones exercitus Alexandri M. reli-
147. quias esse, luculenter monstrat, & de expeditionibus Celta-
rum in provincias, versus solem orientem positas, commen-
tatur. Galli, qui sub Brenno Græciam invaserunt, cis Rhe-
num habitarunt, iidemque terram, quæ Galatiæ nomen inde
150. accepit, occuparunt. His migrationibus vacuefacta esse
oportet loca trans Danubium. In hæc secesserunt alii Ger-
maniæ

maniæ populi, qui adhuc ad Moenum coluerant: ficque patet vera Alemannorum origo. Contra ea Germani quidem in Pag. 156.
Belgium irruperunt, quos, probabile eſt, eosdem Germanos fuiſſe, quorum proprium hoc nomen eſſe, ad alios deinde 160.
ex ignorantia translatum, *Tacitus* Auctor eſt. Redit deinceps ill. A. ad bella Germanorum ac Gallorum cum Romanis, quæ diſtincte perſequitur: nominatim ea recenſet, quæ paſſim de 164.
Cimbris & Teutonibus, de Thoro, vetuſtiſſimo principe, tradita ſunt; Cimbrosque revera germanica lingua Francos adpellatos fuiſſe, docet. Cimbri hi, exunda- 174.
tionibus maris admodum vexati, patrias ſuas ſedes reliquerunt, &, quod probabile eſt, Viadrum traiecerunt, dede- 178.
runtque Francofurtenſi urbi nomen, ſicque Carpathios montes ad ſiniſtram declinantes, ad Iſtrum pervenere: hinc ad Scordiſcos, tandem ad Taurios, ſive Stirios, progreſſi ſunt.
A. V. C. DCLX. per alpes Iulias Italiam intrarunt, fuſo Car- 180.
bone. Brevi tempore adiunxerunt ſibi Helvetios, Ambrones, Tigurios, & Tugenos, ac, in duas partes diviſi, a C. Mario, Teutones quidem ad Aquas Sextias, Cimbri autem ad Vercellas, devicti, eidemque imperatori a Romanis ſummi honores delati ſunt. Qui ex his cladibus evaſerunt, partim in 186.
Alemannia conſederunt, partim domum redierunt, ac patriæ ſuæ cultiorem vivendi rationem, a Gallis Romaniſque acce- 187.
ptam, artemque metalla tractandi, intulerunt. Immo veroſimile eſt, tunc litterarum uſum Germanis innotuiſſe. Sequitur ergo, ut illi prius Runas habuerint, quam gentes ſepten- 188.
trionales, vanaque ſit Suecorum iactantia, qui Runicas illas inſcriptiones ad antiquiſſimam ætatem retulerunt. Terras, quas deſeruerunt Cimbri, occuparunt Winuli, qui poſtea 196.
Longobardi adpellati ſunt. Quum hæ uſu venirent in noſtris tractibus mutationes, Odinum ex Aſia a Romanis eſſe pulſum, 200.
eumque in ſeptentrionales regiones veniſſe, quidam hiſtorici comminiſcuntur: ſiquidem manifeſtum ſit, quod Odinus ſeculo poſt Chriſtum natum tertio floruerit. Certiora potius his ſunt, quæ de Cæſaris contra Arioviſtum bellis, ac fortunatis 202.
eius expeditionibus in Germaniam factis, traduntur. Hæc 205.
quum commemoraſſet, excurrit Cl. Auctor ad ea, quæ de

 Cæſa-

Pag. 210. Cæsaris in Britanniarum itinere memorantur, & qualis fuerit Britanniæ status, docte explicat, eleganterque de Britannorum numis, ad Romanorum morem, ex auro argento-
215. que cusis, disserit. Revertitur denique cum Cæsare in Germaniam, & postquam enarravit, quomodo Treviros coercuerit, apte monet, Germanos haud paucos a Cæsaris partibus ste-
217. tisse, quum bellum civile contra Pompeium gereret, Cæsaris cæde potius, quam Pharsalica pugna, confectum. Consequuntur Octavii tempora, quibus Ubii translati sunt, urbisque Coloniæ fundamenta iacta. Origines hinc deducendæ Germaniæ, in superiorem & inferiorem divisæ. Non diu multo post
221. Lolliana cædes in Germania facta fuit; Drusus vero domuit
223. Rhætios, Usipetesque, Sicambros, Frisios, Bructeros. Fossam hic, novum immensumque opus, effecit, Isulæque alveum ampliorem reddidit, ut classis Flevum lacum intraret, cuius vel nomen *Flie* conservatum est: nec recedit a
226. veritate, Emdæ urbis initia repetenda esse a Romana statione, quam ad Amisii ostium collocatam fuisse, *Tacitus* testatur. Secunda expeditione Drusus ad Visurgim pervenit, ca-
226. stellumque ad Rhenum exstructum, Cheruscis, Cattis, Sicambrisque opposuit, quod auctore *Furstenbergio*, nomen *Elsen*
229. adhuc retinet. Cattos, quos Hassos adpellamus, Suevicam gentem esse existimat ill. Auctor, Cæsaris auctoritate munitus. Pergit ad ultimam Drusi expeditionem, qua ad Albim pervenit, de qua nostra ætate disceptatum fuit: nihil tamen adfert, quod ad componendam controversiam nobilissimam magnopere faciat. Satis ei fuit, mortem Drusi attingere, & disquire-
232. re, ubi tropæa Drusi fuerint. Cenotaphium eius esse Eichel-
234 steinium, prope Moguntiam, statuit. Addit his castella a Druso exstructa, & Gabretam sylvam, nemus Harsicum. Ea tempestate, qua Drusus in Germania occupatus fuit, versus orientem Imperii fines vexabant Getæ & Daci, quos Iornan-
238. des perperam cum Gothis confudit. Tiberius Sicambros trans Rhenum collocavit. Quo tempore Marobodui moli-
241. mina inclaruerunt. Boii originem ducunt ex Bohemia; Bo-
246. viasmus autem Strabonis Budissina est, Lusatiæ urbs. Concludit

cludit denique librum priorem demonſtratione, Iani templum ſub Chriſto nato non clauſum fuiſſe. Liber poſterior res in Germania, ſeculis poſt partum virginis primo & ſecundo, geſtas, complectitur. Agit itaque de expeditionibus Pag. 251.
Tiberii in Germania, qui uſque ad Albim pervenit, contra 254.
Maroboduum minus feliciter pugnavit, Pannonicum autem ac Dalmaticum bellum confecit. Accidit poſtea clades Va- 260.
riana, æternum virtutis Germanicæ exemplum, quam prope 261.
Detmoldiam factam eſſe, cum *Furſtenbergio* & *Schatenio* ſibi 269.
perſuadet. Varia eius adhuc ſuperſunt monumenta, cuiusmodi inſcriptio illa a *Waſſerbachio* edita, gemmæ, tela, aliaque arma, item nummi, a *Waſſerbachio* & *Harduino* in lucem producti; quorum unus certe fictitius eſt. Quo gravius tulit hanc cladem Auguſtus; eo maior fuit moderatio Maro- 271.
bodui, ad quem quum perlatum eſſet Vari caput, remiſit illud ad Tiberium, gentilitii tumuli ſepultura tandem honoratum. Quæ poſtea Tiberius in Germania geſſit, nimis extol- 272.
lit *Velleius*; omittunt autem *Dio* eiuſque ſectatores. Certiora igitur ſunt virtutis monumenta, quæ de Germanico re- 278.
ſtant. Solo tunc æquatum fuit Tanfanæ templum, quæ a ſilvæ dominio adpellata fuit. Suevi migrarunt in loca Ale- 279.
mannis vicina. Germanicus, poſtquam contra Cattos & Che- 286.
ruſcos dimicavit, ultima expeditione glorioſam de Arminio reportavit victoriam. Errat *Lipſius*, qui infra Bremam locum prælii fuiſſe ſtatuit: rectius *Cluverius* & *Schatenius* defi- 291.
niunt tractum, inter Hamelam & Oldendorpium ſitum. Inter honores, qui Germanico decreti ſunt, eminet triumphus, in Achate exſculptus, quem quum nemo rectius explicaverit *Harduino*, accedit ei *Eccardus*, & docte de hac gemma differit. Paucis de Arminii & Marobodui bello: de Semnonum 301.
ac Longobardorum a Maroboduo defectione: Arminii item interitu, interpoſitis, auctoritate ſua confirmat eorum ſenten- 305.
tiam, qui Irmenſulam, a Carolo M. deſtructam, Arminii honori dicatam fuiſſe conſentiunt. Excurrit ad Gothos, ſtirpiſ- 306.
que Amalorum genealogiam ex *Scriverii* ſchedis exhibet. Inclaruerunt A. C. XXIIX Friſii, qui damna multa Roma- 310.

Pag. 313. nis intulerunt, a Tiberio imprudenter dissimulata. Hunc excepit Caligula, cuius expeditio Britannica risu magis, quam
314. historicorum memoria, digna censetur; insignis tamen fuit Pharus ille, quem ad litus Bononiense in Gallia exstruxit,
315. *Hadr. Valesii* ætate adhuc superstes. Claudius Augustus repressit Caucos, Cattos, ac Marsos, qui in *Dionis Cassii* libris
317. manu exaratis *Maurisi* perperam adpellantur. Idem Claudius de
321. Britannis triumphavit. Dedit is Italum Cheruscis regem, ac Rhe-
323. num imperii limitem constituit. Uxor eius, Agrippina, coloniam in urbem Ubiorum deduci iussit, quæ origines fuerunt
324. Coloniæ. Hermunduri, Lygii, & Gothi, eiecerunt Vannium, cuius adfinis fuit Vangio; nec dubium est, Vangionem eum-
327. dem esse cum Augi Iornandis. Eodem imperatore, religionis christianæ doctrina in Germania per apostolos propagata fuit; licet fabulosa sint, quæ de Mariano & Egisto, Barde-
335. vicensium apostolis, circumferuntur. Nerone imperante, nihil magni in Germania gestum fuit: tenuerunt tamen Ger-
337. mani custodiam corporis imperatorum. Celebratur præterea bellum Cattorum & Hermundurorum de fluvio sale fecun-
341. do, quem Salam Franconicam fuisse credit *Eccardus*. Iuhonum coloniam, quam eadem tempestate combustam fuisse
343. *Tacitus* memorat, non Eburonum oppidum *Hugi*, sed locum *Gickel*, in via Bambergensi situm, fuisse coniicit. Nerone mortuo, turbæ excitatæ fuerunt a Galba, Otho-
353. ne, Vitellio, & Vespasiano, qui Hierosolymam diripuit.
357. Spectant huc, quæ de Claudio Civili ac Velleda, Bru-
359. cterorum vate, eorumque excidio, a *Tacito* narrantur. Domitianus arrogavit sibi Germanici nomen, ac ridiculum
363. de Germanis egit triumphum. L. Antonius tamen
364. in Germania rebellis, prostratus fuit. Sub Domitiano clara fuit Ganna, ex qua Poloni Bohemique *Wandam* suam effinxerunt. Quæ de Lygiis in Mysia traduntur, occasionem
365. *Melanchthoni*, *Reineccio*, *Albino*, aliisque dederunt, Misnen-
366. sium origines inde repetendi, etsi nullis argumentis idoneis. Superbiæ autem potius, quam virtutis monumentum fuit alter
367. Domitiani de Germanis triumphus. De Nerva silent histo-

rici,


rici: loquitur tamen numus, Germanici nomine insignis. Pag. 368.
Traianus autem plura in Germania reliquit laudis suae monumenta. Condidit Ulpia castra, quae num Francofurti ad Moenum origines fuerint, disquisitione opus est. Illustris 370.
est pons, in Danubio a Traiano factus, quem inter miracula retulit *Dio*, contra sentiente *Marsiglio*. Nec silentio 372.
praetermittenda videtur Traiani columna, quam *Fabrettus* descripsit, quamvis parum cum Germanicis rebus cohaereat. 374.
Eodem tempore natum fuisse videtur Saxonum nomen. Gravissima est de eorum origine controversia; nec componi illam posse autumat *Eccardus*, nisi nominis illius origines infra 376.
Taciti aetatem colloces, ac reiicias fabulosos illos reges, a *Io. Magno, Saxone Grammatico, & Cranzio* enarratos. Quae- 384.
cunque sane de Saxonum principibus antiquissimis circumferuntur, anxie conquisita ac congesta videntur, nulliusque sunt pretii. Hengisti & Horsti, qui Britanniam occuparunt, 385.
maiores conservarunt nobis annales, ex quibus sua sumsit *Nennius* Sec. VII. scriptor, a *Tho. Gale* in lucem editus. Quae hic tradidit ut illustraret *Eccardus*, observavit, tres fuisse Wadanos, eorumque secundum seculo post C. N. secundo floruisse, tertium tertio, *As* dictum a patria, ex qua nonnulli 391.
satis ridicule Asiam fecerint. Vandalus is fuit, ac in Scandi- 392.
naviam profectus est, eamque legibus instruxit, artemque scri- 396.
bendi ac carmina condendi docuit. Odino uxorem iungunt vete- 398.
res Fream, quae sine dubio Wadano antiquior fuit, pacis & amoris deam, cum Friccone, cuius nomen *Adamus Bremensis* 399.
servavit, vulgo confusam. Evidens sane est, Thorum, sub tauri figura repraesentatum, cum aliis Germanis prius in septentrionem venisse, quam Wadanum. Huic quum adiun- 404.
gitur Rheda, a *Beda* commemorata, probabile videtur, eam principem vatemque Saxonum fuisse. Quae si iunctim sumuntur, insignem nobis lucem cognoscendae principum veterum Saxonum familiae accendunt. Saxones nomen tule- 407.
runt a gladiis brevibus, teste *Witichindo*, cui *Gottfridus Viterbiensis* subscripsit. Cultellos illos conficiendi artem quum a Romanis acceperint, colligendum est, ipsius nominis antiquitatem


quitatem, ſeculum poſt C. N. ſecundum non exſuperare,
Pag. 409. quod ipſe *Tacitus* ſilentio involvit. Hadriani laus expedi-
tione Germânica illuſtrata fuit, cuius immortale monumentum
moles illa exſtitit, qua imperii Romani ac Germaniæ limites
414. terminati ſunt. Antonino pio rem cum Quadis fuiſſe, nu-
mi loquuntur, ex quibus *Capitolini* narrationes explicandæ
418. ſunt. Illa ætate floruit *Ptolemaeus*, qui multa de Germa-
niæ urbibus notavit, minus recte a recentioribus intellecta,
qui non reputarunt, ea tempeſtate Romanos Albim non tra-
ieciſſe, ſicque iuſto longius a veritate diſceſſerunt. Commo-
dam hic nactus eſt ill. *A.* occaſionem, *Ptolemaeum* exponendi,
ac varia adferendi, quæ geographiæ veteris Germaniæ egre-
424. gie inſerviunt. Magnum fuit *Aurelii* in Germania nomen,
434. qui contra Quados & Marcomannos pugnavit. Belli Mar-
comannici gloria maxime nobilitata fuit pluvia illa prodigioſa,
442. de qua copioſi ſunt veterum chriſtianorum libri. Quadis fe-
liciter oppreſſis, ſub Commodo pax reſtituta fuit, cuius ſuc-
447. ceſſores nihil fere geſſerunt, quod ad Germanos ſpectaret.
Inſequuta tandem eſt ruina Imperii Romani, irruptionibus
gentium Germanicarum accelerata. Quæ quum ad ſeculum ter-
tium referenda ſunt, finem ſimul doctiſſimis commentariis
imponunt. Nihil ſupereſt, quam ut ingenue fateamur, mul-
ta hic a cel. *Eccardo*, docte, ingenioſe, & acute fuiſſe diſputata;
nec tamen deeſſe, quæ uberiore diſquiſitione digna ſint.


DIIUDICATIO CASUUM DETERMINATORUM & ambiguorum in Trigonometria, praeſertim ſphaerica, Auctore GODOFREDO HEINSIO.


Solutionem quæſtionis plures uno caſus ſæpiſſime admittere, ex Analyticis ſatis conſtat. Trigonometricæ quæſtiones, reſolutionem trianguli ex datis tribus eius conditionibus ſpectantes, eadem quoque indole immunes prorſus non ſunt. Dentur in triangulo rectilineo duo latera D, E, una cum angulo *a* ipſi D oppoſito, & quæratur angulus *x*, qui


TAB. III. ad Nov. Act. Erud. A. 1756. Mens. A




















TAB. III. ad Nov. Act. Erud. A. 17568. seqq.













qui respectu E ex adverso est; patet, esse sin. $x = \frac{E}{D} \times$ sin. a, ideoque sin. x dari. Iam, nisi hic sinus sit ipse sinus totus, sinui ipsius x semper respondent anguli duo, alter acutus, alter obtusus, ita quidem, ut acutus cum obtuso conficiat duos rectos; quamobrem ex sola hac consideratione semper ambiguitas restat, cuiusnam conditionis sit x. Hanc quidem ambiguitatem nonnunquam detrahunt conditiones datorum inter se comparatae; ast nonnunquam quoque istam removere nullo modo licet. Sic si ex datis constet, esse $D > E$, omnis ambiguitas evanescit, & angulus x solummodo potest esse acutus. Finge enim x obtusum; quia ex hyp. est $D > E$, esse debet $a > x$, ut maiori lateri maior opponatur angulus; unde & a erit obtusus; quamobrem triangulum propositum duos habiturum esset angulos obtusos; id quod implicat. E contrario si ex datis cognoscatur $D < E$, & inde $a < x$; casus quidem emergit impossibilis, si a statuatur obtusus, siquidem tunc x etiam esse debet obtusus; ast si a sit acutus, ambiguitas nullo modo tollitur, & x esse potest tum obtusus, tum acutus, & tamen semper maior quam a. Suppono hic casum realem, qui occurrit, quotiescunque sit $D > \frac{E \times \text{sin. } a}{\text{sin. tot.}}$: datur enim & impossibilis sub iisdem conditionibus, si scilicet accipiatur $D < \frac{E \times \text{sin. } a}{\text{sin. tot.}}$; tunc enim, ob $E \times$ sin. $a = D \times$ sin. x per solutionem problematis, fit quoque $\frac{E \times \text{sin. } a}{\text{sin. tot}} = \frac{D \times \text{sin. } x}{\text{sin. tot}}$, ideoque $D < \frac{D \times \text{sin. } x}{\text{sin. tot}}$, & inde sin. tot $<$ sin. x, id quod absurdum involvit.

His ita constitutis, patet, problema superius, pro datorum conditionibus, non solum comprehendere casus impossibiles, verum etiam angulum x nonnunquam simplicis, nonnunquam duplicis valoris assignare. Cum casibus imaginariis res

 nobis

nobis non eſt. In praxi enim trigonometrica, quam potiſſimum hic reſpicimus, ſi data quæſtionis in numeris ex actuali dimenſione alicuius trianguli acquiſita fuerint, in eiusmodi caſus impoſſibiles non incides. Aſt reliqui caſus ſubinde torquent eos, qui calculum in numeris determinatis exercent, ut iſti ſæpe neſciant, quid invenerint. Hos itaque propius examinare licebit.

Si problematis ſuperioris conditiones conferas cum elementis Geometriæ, patet, in caſu, quo D > E, ex conſtructione unicum tantummodo prodire triangulum, quod habet data D, E, a, cuiuscunque conditionis ſit a. E contrario in caſu D < E, conſtructione ſemper acquiruntur duo triangula, magnitudine prorſus diverſa, quæ iisdem tamen datis D, E, a, ſatisfaciunt. *Caſum* problematis, in quo datis unicum tantummodo reſpondet triangulum, in ſequentibus vocabo *determinatum; ambiguum* vero, ſi datis duo triangula ſatisfaciant: in iſto quæſitum habet ſimplicem, in hoc duplicem valorem.

Solutio mere trigonometrica, ut in problemate noſtro

$\text{ſin.}\, x = \frac{E}{D} \times \text{ſin.}\, a$, non decidit, an problema determinatum, an vero etiam caſum ambiguum contineat, prout ſupra indicavimus. Ut igitur praxi trigonometricæ conſulatur, quæ utique promtum de conditione quæſiti iudicium poſtulat; operæ pretium erit, vel ſolutiones trigonometricas ita adaptare, ut ipſæ faciliimam caſuum diſtinctionem ſuppeditent; vel, ſi id fieri nequeat, conditiones aſſignare, quæ ſtatim caſus, aut determinatos, aut ambiguos, demonſtrent. In trigonometria quidem plana res facile abſolvitur. Si enim problemati ſupra memorato id adiungas, quo ex datis tribus angulis latera quæruntur, quippe quod prorſus indeterminatum manet, & laterum magnitudines neutiquam, ſed tantummodo illorum rationes definit; reliqua omnia problemata caſus determinatos ſubminiſtrant, prout ex conſtructionibus geometricis & criteriis æqualitatis triangulorum abunde patet. Aſt in Trigonometria ſphaerica res ulterioris eſt indaginis.

Varieta-

Varietates multo plures in triangulis ſphæricis ſe offerunt, quam in planis. In iis occurrere ſolent anguli recti plures uno, anguli obtuſi plures uno, latera quadrante & minora, & maiora. Miraberis ingentem caſuum in triangulis iſtis copiam, ſi *Opus Palatinum Georgii Ioachimi Rhetici* in L. III. de triangulis globi conſulere velis, ubi 129. caſus enumerantur. Si iam ſolutionem trianguli ſphærici trigonometricam ſpectes, invenies pro quæſito vel ſinum vel coſinum, vel tangentem vel cotangentem, (omitto ſecantes &c.); aſt inde quæſitum nondum cognoſcitur. Unicuique eiuſmodi quantitati ſemper reſpondet duplex ſaltem valor; & angulus quæſitus vel acutus vel obtuſus; arcus quæſitus vel quadrante minor, vel quadrante maior eſſe poteſt. Imo, quid impedit, quo minus arcui, qui invento ſinui, tangenti &c. convenit, aſſignemus tres, quatuor, vel infinitos valores. Nonne arcubus 20, 160, 200, 340, & ſi denuo, manente *termino a quo*, in orbem redeas, 380, 520, &c. graduum, idem, quoad magnitudinem, reſpondet ſinus vel tangens? Quis non ſentit, quam lubricum de quæſito ſit iudicium ex mera problematis ſolutione trigonometrica? Quis non ominatur farraginem diſquiſitionum ante inſtituendarum, quam colligere liceat, an ſecundum data caſus problematis determinatus, an ambiguus locum habeat? Scriptores quidem trigonometrici, tum reſtrictione, tum copioſis pro diſtinguendo quæſito criteriis, ex theoria formatis, medelam attulerunt, & ex parte etiam, præſertim in triangulis rectangulis, caſus ambiguos indicarunt: aſt ingenue quoque fateor, regularum multitudinem admodum defatigare eos, qui triangula ſphærica crebro reſolvere coguntur; de aſſignandis autem caſibus ambiguis, præſertim in triangulis obliquangulis, mihi nuſquam, quantum quidem experiri licuit, ſatisfactum fuiſſe.

His permotus, iamdudum confugere coepi ad formulas algebraicas, quibus nunc inſigniter promoveri ſolent ſolutiones trigonometricæ: & cum iſtæ maxima ex parte caſuum diſtinctionem utique iuvent, ſic, ut arctiores limites aſſignent, quibus ambigui caſus comprehenduntur; horum quoque

 evolu-

evolutionem perficere licuit. In plurium forsan commodum operam me collocaturum esse spero, si in præsenti ea, quæ se obtulerunt, brevibus enumerem.

Primum autem, ne multitudo casuum nos obruat, eiusmodi tantum triangula sphærica considerabimus, in quibus unumquodque latus minus est semicirculo, vel unusquisque angulus minor duobus rectis. Triangulum enim sphæricum occurrere posse, in quo unum latus semicirculo sit maius, notio trianguli, quod istud tribus arcubus circulorum maximorum terminetur, non respuit; licet in scriptis trigonometricis plerumque propositio inculcetur: *in omni triangulo*
Fig. 2. *sphaerico quodlibet latus esse semicirculo minus.* Repræsentet ADBA circulum sphæræ maximum, hemisphærium oculo obversum terminantem, in cuius superficie punctum quodvis C sumtum sit. Capiatur arcus maximi ADB semicirculo maior, & arcus maximorum AC, BC, iungantur; nonne figura orietur in superficie sphærica, tribus arcubus circulorum maximorum terminata, quorum unus excedit semicirculum? Unicum quidem eiusmodi latus in triangulo aliquo tantum occurrere potest, & unicus angulus (ut ACB ad partes D sumtus) duobus rectis maior, qui lateri isti semper opponitur: interim tamen & hæc conditio procreandis ambagibus in nostra disquisitione sufficit, quas eo facilius mittit restrictio supra posita, quo promtius ex dato eiusmodi triangulo cognoscitur aliud, nempe arcubus, AC, CB, AEB, terminatum, cui restrictionis conditiones insunt, & quod loco istius disquisitioni potest subiici.

Hoc pacto solum consideratio nostra versatur circa arcus minores vel maiores quadrante, & angulos vel acutos vel obtusos, quæ tamen quantitates cum cognosci debeant per sinus, tangentes &c. valorem duplicem, ut supra monuimus, nondum exuunt. Introducamus itaque secundo loco determinationum conditiones, & angulorum acutorum vel arcuum quadrante minorum sinus, cosinus, tangentes, cotangentes, instar quantitatum positivarum accipiamus; inde enim fiet, ut angulorum obtusorum, vel arcuum quadrante maiorum, sinus & tangentes

gentes quidem maneant quantitates positivæ; cosinus vero & cotangentes evadant negativæ. Positis autem his, res nunc eo redit, ut arcuum vel angulorum quæstionem trigonometricam ingredientium cosinus vel cotangentes in formulis solutioni inservientibus, quantum fieri potest, adhibeamus; quod si enim in actuali problematis solutione datorum determinationes positivæ vel negativæ pro conditione arcuum vel angulorum exprimantur, cosinus vel cotangens quæsiti sua determinatione, quæ tunc emergit, omnem ambiguitatem excludet. Ista scilicet, si prodeat *positiva*, arcum quæsitum quadrante minorem, vel angulum quæsitum acutum indicat; sin *negativa*, arcum quadrante maiorem vel angulum obtusum pronuntiat. Si autem nullo artificio effici possit, ut quæsitum explicetur per cosinum vel cotangentem, sed tantummodo per sinum vel tangentem; suspicio remanet, casum ambiguum locum habere posse, & tunc res ulteriori examini debet subiici.

Accedamus nunc ad ipsas formulas, quibus resolutio triangulorum sphæricorum innititur, quas quidem tantum enumerare, neutiquam vero demonstrare, sat erit; siquidem istarum demonstrationes tum passim extent, tum theoriæ hic locus non sit, & quæ forsan ob finem propositum in illis immutata videantur, facile intelligi possint. Primum autem compareant formulæ pro triangulis rectangulis per hypothesin sequentem brevius expressæ. Vocentur scilicet constanter in triangulo sphærico MNr ad r rectangulo Fig. 3.

Hypothenusa seu latus MN *recto oppositum* - - - - H
Latus r M *recto adiacens & pro basi assumtum* - - - B
Angulus praeter rectum basi adiacens - - - - - - - M
Angulus basi oppositus - - - - - - - - - - - N
Latus angulo M *oppositum, seu perpendiculum* - - - P

quibus positis, si R semper designet sinum totum, sequentes inservient formulæ:

I. R: cos. B = cos. P: cos. H
II. R: sin. H = sin. M: sin.
III. R: cos. B = sin. M: cos.
IV. R: sin. B = cot. P: cot. M.

V. R: cos. M = cot. B: cot. H
VI. R: cot. M = cot. N: cos. H
VII. R: ſin. H = ſin. N: ſin. B
VIII. R: cos. P = ſin. N: cos. M
IX. R: ſin. P = cot. B: cot. N
X. R: cos. N = cot. P: cot. H

ita ut datis, præter R, duabus quantitatibus analogiam ingredientibus, reliqua ſemper, quoad magnitudinem, poſſit inveniri, & introducta in datis determinationis ſpecie (manente ſinu toto ſeu R ſemper poſitivo), cognoſci, an quæſitus angulus ſit acutus vel obtuſus, & an arcus quæſitus quadrante minor vel maior exiſtat; modo quæſitum explicetur per coſinum vel cotangentem.

Hoc pacto ſtatim patet, nullam ambiguitatem locum habere, ſi pro reſolutione alicuius problematis adhibeantur formulæ ſub no. I. V. VI. X. Aſt, ſi quæſitum exprimatur per ſinum, ut in formula

III. ſi ex B & N quæratur M
IV. - - P - M - - - B
VIII. - - P - M - - - N
IX. - - B - N - - - P

remanet ambiguitas, dum ceterum hæ ipſæ formulæ in reliquis caſibus nullam ambiguitatem ſubminiſtrant. In formula II. quidem caſus ſemper ambiguus adeſſe videtur: aſt hæc ambiguitas revera tantum locum habet, ſi H ex M & P quæratur; neutiquam vero ſi M vel P ſit quæſitnm. Ex trigonometricis enim conſtat, M & P ita inter ſe connecti, ut ſemper ſint eiusdem conditionis, hoc eſt, ſi P ſit quadrante minor, vel quadranti æqualis, vel eo maior, M reſpective ſit acutus, vel rectus, vel obtuſus; & viciſſim. Simili argumento, cum N & B eodem modo inter ſe connectantur, ut ante M & P, formula VII, quæ ubique ambiguitatem procreare videtur, caſum ambiguum non admittit, niſi per N & B definiatur H. His penſitatis, *caſus* ſolummodo ſequentes dantur *ambigui*, ſi in formula

II.

II.	ex	M	&	P	quæratur	H
III.	- -	B	-	N	- - -	M
IV.	- -	P	-	M	- - -	B
VII.	- -	N	-	B	- - -	H
VIII.	- -	P	-	M	- - -	N
IX	- -	B	-	N	- - -	P

hoc eſt, ſi data fuerint M & P, vel N & B, angulus ſcilicet aliquis (præter rectum, qui ſemper datur) cum latere oppoſito.

Cognito per præc. caſu ambiguo, quæſitum ſemper duplicem obtinet valorem, ita tamen, ut unus alterius ſit complementum ad 180°. Sic arcui quæſito reſpondet arcus vel minor vel maior quadrante, uterque quoad magnitudinem datus, interea dum minor cum maiori conficit 180°; vel, ſi angulus quæratur, prodit vel acutus vel obtuſus, magnitudine notus, ita quidem, ut acutus cum obtuſo æqualis ſit duobus rectis. Et hæc ambiguitas ex mera conſideratione trigonometrica detrahi nullo modo poteſt; ſed deciſio circumſtantiis peregrinis, e diſciplina, in qua quæſtio proponitur, forſan petendis, relinqui debet.

Si denique duo iſta triangula deſideres, quæ datis in caſu ambiguo ſatisfaciunt; aſſumas primo unicum quæſiti iam inventi valorem, atque ex eo & alterutro dato, habita determinationis ratione, invenias ex formulis ſupra poſitis reliquas trianguli conditiones, quæ adhuc deficiunt, tam reſpectu magnitudinis, quam determinationis; & ſic emerget triangulum unum pro aſſumto valore quæſiti primi. Captis nunc trium quæſitorum iam inventorum reſpective complementis ad 180. gradus; acquires alterum triangulum. Rem exemplum declarabit. Dentur N (= 105°. 33′.), B (= 121°. 18′); quæſitum primum ſit H, quod deprehendes vel = 62°. 29′, vel = 117°. 31′. ex formula no. VII; reliqua quæſita erunt M, P. Sumatur unicus valor ipſius H, (verbi cauſa = 62°. 29′) & per no. V. ex B & H definiatur M, qui erit obtuſus (= 148° 56′.) ob cos. M negativum. Deinde ex eodem valore ipſius H (= 62°. 29′.) qui cum N combi-

combinetur altero ſcilicet dato, per no. X. determinetur P, qui erit quadrante maior (= 152°. 46′) ob cot. P negativum. Hoc pacto

datis N = 105°. 33′
B = 121. 18.
reſpondebunt in triangulo

uno			altero		
H =	62°.	29′.	H =	117°.	31′.
M =	148.	56.	M =	31.	4.
P =	152.	46.	P =	27.	14.

Scilicet, ſi pro altero triangulo accipiatur H quadrante maior, cot. H in formulis no. V. & X. eiusdem quidem magnitudinis manet, ac ante, cum H ſumeretur quadrante minor; ideoque ob datum B vel N idem, cos. M vel cot. P eiusdem magnitudinis etiam ac ante reſultare debet: aſt cum cot. H nunc ſit determinationis oppoſitæ, negativæ ſcilicet, neceſſe eſt, ut cos. M vel cot. P ſub determinatione quoque oppoſita, poſitiva nempe, prodeat.

Triangula ſphærica obliquangula, vel in genere triangula quævis ſphærica, ſex problematum ope reſolvuntur, quæ ad Fig. 4. fig. 4., cum qua deinde alia triangula, permutatis tantum nomenclaturis, comparari poſſunt, relata ex ordine enumerabo; deſignante ceterum *R* ſemper ſinum totum.

PROBL. I.

Datis omnibus lateribus, invenire angulos.

SOLVTIO.

$$\cos. A = \frac{R^2 \times \cos.\ BC}{\text{ſin.}\ AB \times \text{ſin.}\ AC} - \frac{R \times \cos.\ AB \times \cos.\ AC}{\text{ſin.}\ AB \times \text{ſin.}\ AC}$$

PROBL. 2.

Datis omnibus angulis, invenire latera.

SOLVTIO.

$$\cos.\ AB = \frac{R^2 \times \cos.\ C}{\text{ſin.}\ B \times \text{ſin.}\ A} + \frac{R \times \cos.\ B \times \cos.\ A}{\text{ſin.}\ B \times \text{ſin.}\ A}$$

PROBL. 3.

PROBL. 3.

Datis duobus lateribus AB, AC, *una cum angulo intercepto* A, *invenire reliqua.*

SOLVTIO.

$$1)\ \cos. BC = \frac{\cos. A \times \sin. AB \times \sin. AC}{R^2} + \frac{\cos. AB \times \cos. AC}{R}$$

$$2)\ \cot. B = \frac{\sin. AB \times \cot. AC}{\sin. A} - \frac{\cot. A \times \cos. AB}{R}$$

$$3)\ \cot. C = \frac{\sin. AC \times \cot. AB}{\sin. A} - \frac{\cot. A \times \cos. AC}{R}$$

PROBL. 4.

Datis duobus angulis A, B, *cum latere intercepto* AB, *invenire reliqua.*

SOLVTIO.

$$1)\ \cos. C = \frac{\cos. AB \times \sin. B \times \sin. A}{R^2} - \frac{\cos. B \times \cos. A}{R}$$

$$2)\ \cot. BC = \frac{\sin. B \times \cot. A}{\sin. AB} + \frac{\cot. AB \times \cos. B}{R}$$

$$3)\ \cot. AC = \frac{\sin. A \times \cot. B}{\sin. AB} + \frac{\cot. AB \times \cos. A}{}$$

Formulæ omnes adhuc expoſitæ, conſtructæ ſunt ſub hypotheſi, in triangulo ſphærico omnes angulos eſſe acutos, & omnia latera quadrante minora, eum in finem, ut, introductis in actuali alicuius trianguli reſolutione determinationibus datorum, quatenus ſcilicet iſtæ angulos obtuſos vel latera quadrante maiora reſpiciunt, ſolutio ipſa ad datum caſum dirigatur, & ſpecies determinationis pro quæſito inveniatur. Facile autem patet, in problematibus iam propoſitis omnibus, nullum caſum ambiguum occurrere poſſe, ſiquidem data pariter ac quæſita explicantur per coſinus vel cotangentes.

PROBL. 5.

Datis duobus angulis A, B, *cum latere non intercepto* AC, *invenire reliqua.*

SOLUTIO.

Cum in quovis triangulo ſphærico ſinus laterum ſint inter ſe ut ſinus angulorum oppoſitorum, erit

$$\text{ſin.}\, BC = \frac{\text{ſin.}\, AC \times \text{ſin.}\, A}{\text{ſin.}\, B}$$

ubi BC duplicem acquirit valorem, & ad caſus ambigui poſſibilitatem innuit. De reliquis deinceps.

PROBL. 6.

Datis duobus lateribus AC, BC, *cum angulo non intercepto* A, *invenire reliqua.*

Per ſolutionem præcedentem erit

$$\text{ſin.}\, B = \frac{\text{ſin.}\, AC \times \text{ſin.}\, A}{\text{ſin.}\, BC}$$

ubi valor ipſius B etiam duplex emergit, & de caſu ambiguo ſuſpicionem excitat.

His ita comparatis, in utroque quidem problemate quantitates quatuor, A, B, AC, BC, ſemper ut cognitæ ſpectari, & exinde conditiones reliquæ, nempe C & AB, inveniri poſſunt, exiſtentibus.

$$\text{cot.}\, C = \frac{R \times \cos.\, AC \times \cos.\, BC - R \times \text{cot.}\, A \times \text{cot.}\, B}{\cos.\, AC \times \text{cot.}\, B + \cos.\, BC \times \text{cot.}\, A}$$

$$\text{cot.}\, AB = \frac{R \times \text{cot.}\, AC \times \text{cot.}\, BC - R \times \cos.\, A \times \cos.\, B}{\text{cot.}\, AC \times \cos.\, B + \text{cot.}\, BC \times \cos.\, A}$$

aſt, ſi perpendamus, haſce ſolutiones tum per ſe eſſe valde prolixas, tum prolixiores evadere, ſi ambigui dati, ſcilicet BC in probl. 5. vel B in probl. 6, valores ſucceſſive introducere, atque pro duplici triangulo, quod quæſtioni ſatisfacere videtur, C & AB detegere velimus; præterea vero ex iis promtum caſuum diſcrimen, ſi forſan detur, non appareat; facile

facile patet, hæc duo problemata ulteriori examini pro fine nostro esse subiicienda.

Adhibeamus itaque methodum vulgarem, qua in utroque problemate propositum triangulum in duo triangula rectangula solet resolvi; iisque indaginem superstruamus. Initium fiat cum solutione problematis 5; cuius gratia ex angulo non dato C in latus oppositum AB, productum, si opus est, demittatur perpendiculum CD, quod vel intra triangulum cadet (fig. 5), si A, B, vel simul sint acuti vel simul obtusi; Fig. 5. 6. vel extra triangulum (fig. 6), si alter angulus A sit acutus, alter ABC obtusus; quodque duo triangula ACD, BCD, ad D rectangula formabit, quorum combinatio triangulum propositum ABC producit. Ex datis problematis A, AC, alterum triangulum ACD semper plene cognoscitur, nec ulla ambiguitas locum habet, dum AC, ACD, quæruntur, siquidem ex formula V.

$$\text{cos.}\, A : R = \text{cot.}\, AC : \text{cot.}\, AD$$

& ex formula VI.

$$\text{cot.}\, A : R = \text{cos.}\, AC : \text{cot.}\, ACD$$

Res eiusdem foret conditionis cum altero triangulo BCD, dummodo præter datum tertium B, ex æquatione $\text{sin.}\, BC = \frac{\text{sin.}\, AC \times \text{sin.}\, A}{\text{sin.}\, B.}$ detegi posset determinatio ipsius BC, an sit minor vel maior quadrante; posita enim hac, haberentur BD, BCD, absque ambiguitate, ut ante, per formulas

$$\text{cos.}\, B \text{ (vel } CBD) : R = \text{cot.}\, BC : \text{cot.}\, BD$$

$$\text{cot.}\, B \text{ (vel } CBD) : R = \text{cos.}\, BC : \text{cot.}\, BCD$$

& hoc pacto ex summa (in casu figuræ 5.) vel differentia (fig. 6.) arcuum AD, DB, latus AB; & ex summa (fig. 5.) vel differentia (fig. 6.) angulorum ACD, DCB, angulus ACB, possent inveniri, & problema 5. plene resolvi.

Patet inde, solam determinationis ipsius BC ambiguitatem totum negotium turbare, atque prima fronte semper casum ambiguum arguere. Interim tamen, cum ex nexu trianguli

BCD cum triangulo ACD pro conditionibus huius determinatis, ſubinde evenire poſſit, ut in integro triangulo ACB emergat vel latus ſemicirculo maius, vel angulus duobus rectis maior, cuiuſmodi triangula ex hypotheſi noſtra excludimus: fieri itaque poteſt, ut ſub hac reſtrictione caſus problematis ſæpe determinetur.

Fig. 5. Pone, exempli cauſa, ſequentes conditiones, ut perpendiculum CD (fig. 5.) intra triangulum cadat; præterea vero ſit $A > B$ & $AC > Q$ (intelligendo per Q in ſequentibus ſemper quadrantem circuli). Si iam accipias, A, B, acutos, facile patet, triangulum ACB eiuſmodi prodire, quod habet latus AB ſemicirculo maius. Cum enim ſit $A > B$, erit BC (ipſi A oppoſitum) $> AC$ (quod reſpectu B ex adverſo ſtatuitur), ideoque, ob $AC > Q$ (per hyp.), neceſſe eſt, ut ſit etiam $BC > Q$. Dum autem in triangulo rectangulo ACD, $AC > Q$ & A acutus, ex formula V. ſit $AD > Q$; & ſimili modo ob $BC > Q$ & B acutum ſit $DB > Q$; quare $AB = AD\ (> Q) + DB\ (> Q)$ reſultat ſemicirculo maius. Remoto igitur ex noſtra hypotheſi hoc triangulo, pro conditionibus ſupra aſſumtis ſolummodo triangulum ACB locum habet, in quo ſint A, B, obtuſi, ut fiat $AB = AD\ (< Q) + DB\ (< Q)$, ideoque ſemicirculo minus, & $ACB = ACD$ (acuto) $+ DCB$ (acuto) duobus rectis minor; & inde caſus problematis determinetur.

Secundum hanc methodum expendi conditiones in problemate 5. obvias, quæ ſequentes admittunt variationes, ut 1) perpendiculum CD vel intra vel extra triangulum ACB cadat; 2) A vel $>$ vel $<$ ſit quam B; 3) AC vel $>$ vel $<$
Fig. 5. ſit quadrante ſeu Q. Facta nempe primum hypotheſi, perpendiculum CD intra triangulum cadere, quo caſu A, B, vel ſimul ſunt acuti, vel ſimul obtuſi, ſumſi $A > B$, vt eſſet $BC > AC$, atque cum his conditionibus latus AC, quatenus vel $>$ vel $<$ eſt quam Q, comparavi. Deinde ſub hypotheſi eadem poſui $A < B$, ut eſſet $BC < AC$, & ſimiliter cum his latus AC, quatenus vel $>$ vel $< Q$, compoſui. Quibus abſolutis introduxi hypotheſin, perpendiculum

lum extra triangulum cadere, & sumto A acuto, B vero vel Fig. 6. ABC obtuso, ut esset $AC > BC$ & CBD acutus, nexum ipsius AC, quatenus vel $>$ vel $<$ est quam Q. cum hisce conditionibus exploravi; id quod etiam in eadem hypothesi factum est, postquam A vel BAC obtusum, B autem acutum sumserim, ut esset $AC < BC$ & CAD acutus. Hoc Fig. 7. modo sub certis conditionibus datorum problematis diiudicare licuit conditiones arcuum AD, DB, & ex eorum nexu latus trianguli quaesiti AB; nec non angulorum ACD, DCB, & ex eorum combinatione angulum ACB; quibus cognitis innotuit, an AB vel $>$ vel $<$ semicirculo, & ACB vel $>$ vel $<$ duobus rectis prodierit, atque utrum casus problematis determinatus, an ambiguus, locum habuerit? Ut autem eiusmodi iudicium daretur promtum, ex formulis V. & VI. pro triangulis rectangulis, introducendo conditiones ipsorum AC & A, vel BC & B, sequens formavi schema.

Si $AC < Q$ &	A acutus, fit	$AD < Q$, &	ACD acutus
- - - - -	- obtusus, - -	$> Q$, - -	- obtusus
$AC > Q$ -	- acutus, - -	$> Q$, - -	- obtusus
- - - - -	- obtusus, - -	$< Q$, - -	- acutus
Si $BC < Q$ &	B acutus, fit	$DB < Q$, &	DCB acutus
- - - - -	- obtusus, - -	$> Q$, - -	- obtusus
$BC > Q$ -	- acutus, - -	$> Q$, - -	- obtusus
- - - - -	- obtusus, - -	$< Q$, - -	- acutus

His rite observatis, sequens demum orta est Tabula, quae in problemate 5. ex conditionibus datorum, uno obtutu, casuum discrimen, & solutionem problematis suppeditat.

Casus determinati.

Si			fit	
1) A, B, acuti;	$A < B$;	$AC < Q$;	$BC < Q$	fig. 5.
2) A, B, acuti;	$A < B$;	$AC > Q$;	$BC < Q$	
3) A B, obtusi;	$A > B$;	$AC < Q$;	$BC > Q$	
4) A, B, obtusi;	$A > B$;	$AC > Q$;	$BC > Q$	

 5) A

5) A acutus, B obtusus; $AC < Q$; $BC < Q$ } fig. 6.
6) A acutus, B obtusus; $AC > Q$; $BC < Q$ } fig. 6.
(si scilicet $BC(> Q) >$ quoque sit AC)
7) A obtusus, B acutus; $AC < Q$; $BC > Q$ } fig. 7.
(si scil. $BC(< Q) <$ quoque sit AC)
8) A obtusus, B acutus; $AC > Q$; $BC > Q$ } fig. 7.

Casus ambigui.

9) A, B, acuti; $A > B$; $AC < Q$; $BC <$ vel $> Q$ fig. 5.
10) A, B, obtusi: $A < B$; $AC > Q$; $BC <$ vel $> Q$ fig. 5.
11) A acutus, B obtusus; $AC > Q$; $BC <$ vel $> Q$ fig. 6.
(si scil. $BC(> Q) <$ sit AC)
12) A obtusus, B acutus; $AC < Q$; $BC <$ vel $> Q$ fig. 7.
(si scil. $BC(< Q) >$ sit AC)

Tunc autem fit

pro
1) $AD(< Q) + DB(< Q) = AB$; ACD(acutus)$+ DCB$(acuto)$= ACB$
2) $AD(> Q) + DB(< Q) =$; ACD (obt.) $+ DCB$ (acut.) $=$
3) $AD(> Q) + DB(< Q) =$; ACD (obt.) $+ DCB$ (ac.) $=$
4) $AD(< Q) + DB(< Q) =$; ACD (ac.) $+ DCB$ (ac.) $=$
5) $AD(< Q) - DB(< Q) =$; ACD (ac.) $- DCB$ (ac.) $=$
6) $AD(> Q) - DB(< Q) =$; ACD (obt.) $- DCB$ (ac.) $=$
7) $DB(> Q) - AD(< Q) =$; DCB (obt.) $- ACD$ (ac.) $=$
8) $DB(> Q) - AD(> Q) =$; DCB (obt.) $- ACD$ (obt.) $=$

Si capiatur, fit

9) $BC < Q$; $AD(< Q) + DB(< Q) = AB$; ACD (ac.)$+ DCB$ (ac.)$= ACB$
$BC > Q$; $AD(< Q) + DB(> Q) =$; ACD (ac.)$+ DCB$ (obt.)$=$
10) $BC < Q$; $AD(< Q) + DB(> Q) =$; ACD (ac.)$+ DCB$ (obt.)$=$
$BC > Q$; $AD(< Q) + DB(< Q) =$; ACD (ac.)$+ DCB$ (ac.)$=$
11) $BC < Q$; $AD(> Q) - DB(< Q) =$; ACD (obt.)$- DCB$ (ac.)$=$
$BC > Q$; $AD(> Q) - DB(> Q) =$; ACD (obt.)$- DCB$ (obt.)$=$
12) $BC < Q$; $DB(< Q) - AD(< Q) =$; DCB (ac.)$- ACD$ (ac.)$=$
$BC > Q$; $DB(> Q) - AD(< Q) =$; DCB (obt.)$- ACD$ (ac.)$=$

Acce-

Accedamus ad problema 6, in quo ex datis AC, BC, cum angulo non intercepto A, reliqua debent inveniri; quod, ob similitudinem methodi, brevius nunc poterit expediri. Fig. 5. 6.
In latus non datum AB, productum, si opus est, ex angulo opposito C demittatur perpendiculum CD, ut oriantur triangula ACD, BCD, ad D rectangula, quorum nexus triangulum propositum ABC constituit. Statim patet, alterum triangulum ACD ex datis A, AC, prorsus ut in probl. 5, plene semper cognosci, & AD, ACD, determinari; in altero autem triangulo BCD (cum ex æquatione

$$\text{sin. } B = \frac{\text{sin. } AC \times \text{sin. } A}{\text{sin. } BC}$$

semper duplex ipsius B acquiratur valor, ut sit vel acutus vel obtusus, existente uno alterius complemento ad $180°$) BD, BCD, ex cognitis B, BC, per formulas, ut in probl. 5, quoad speciem non determinari; sed nunc, ut ibi, ex introductis datorum conditionibus, secundum eandem normam, casuum discrimen debere evolvi. Occurrunt iam in conditionibus datorum sequentes variationes, ut sit 1) A vel acutus vel obtusus, 2) BC vel $>$ vel $<$ AC, 3) tum BC tum AC vel $>$ vel $<$ quadrante seu Q. Fiant igitur hypotheses: α) A esse acutum, $BC > AC$; quo casu semper est $B < A$, ideoque B acutus, ob A acutum, & perpendiculum CD cadit intra triangulum. β) A esse acutum, $BC < AC$; quo casu fit $B > A$, ideoque B esse potest vel acutus vel obtusus. γ) A esse obtusum, $BC > AC$; ubi B fit $< A$, & B vel acutus vel obtusus esse potest. δ) A esse obtusum, $BC < AC$; quo casu, cum B fiat $> A$, & inde B obtusus, propter A obtusum, perpendiculum CD intra triangulum cadit. In singulas hasce hypotheses introducantur successive conditiones, esse $BC < Q$ & $AC < Q$; $BC > Q$ & $AC < Q$; $BC < Q$ & $AC > Q$; $BC > Q$ & $AC > Q$; &, reiectis iis, quæ in hypotheses præcedentes impingunt, inveniantur BD, BCD, quæ quantitates deinceps cum ante inventis AD, ACD, debito modo combinatæ ut in præcedenti disquisitione, manifestabunt, an latus AB emergat vel $>$ vel $<$ semicirculo, & ACB vel $>$
vel

vel $<$ duobus rectis; atque utrum casus problematis determinatus, an ambiguus prodeat. Sequens Tabula conclusiones sic deductas oculis subiicit:

Casus determinati.

Si & tunc fit

1) A vel CAB acutus, $BC > AC, BC < Q, AC < Q$; B vel CBA acutus } fig. 5.
2) - - - - - - - , - - - - , $BC > Q, AC < Q$; - - - acutus }
3) - - - - - - - , $BC < AC, BC > Q, AC > Q$; - - - obtusus } fig. 6.
4) - - - - - - - , - - - - , $BC < Q, AC > Q$; - - - obtusus }
si scilicet $BC\,(< Q) >$ sit Complem. ipsius AC ad $180°$.
5) A vel CAB obtusus, $BC > AC, BC < Q, AC < Q$; - - - acutus } fig. 7.
6) - - - - - - - - , - - - - , $BC > Q, AC < Q$; - - - acutus }
si scil. $BC\,(> Q) <$ sit Complem. ipsius AC ad $180°$.
7) - - - - - - - , $BC < AC, BC > Q, AC > Q$; - - - obtusus } fig. 5.
8) - - - - - - - - , - - - - , $BC < Q, AC > Q$; - - - obtusus }

Casus ambigui.

9) A vel CAB acutus, $BC < AC, BC < Q, AC < Q$; CBA acutus vel obtusus } fig. 5.6.
10) - - - - - - , - - - - , $BC < Q, AC > Q$; - - - - - - - }
si scil. $BC\,(< Q) <$ sit Complem. ipsius AC ad $180°$.
11) A vel CAB obt. $BC > AC, BC > Q, AC > Q$; - - - - - - } fig. 7. 5.
12) - - - - - - , - - - - , $BC > Q, AC < Q$; - - - - - - }
si scil. $BC\,(> Q) >$ sit Complem. ipsius AC ad $180°$.

Tunc autem fit

pro
1) $AD(< Q) + DB\,(< Q) = AB$; ACD (acutus) $+ DCB$ (acuto) $= ACB$
2) $AD(< Q) + DB(> Q) =$; ACD (ac.) $+ DCB$ (obtuso) $=$
3) $AD(> Q) - DB(> Q) =$; ACD (obt.) $- DCB$ (obt.) $=$
4) $AD(> Q) - DB(< Q) =$; ACD (obt.) $- DCB$ (ac.) $=$
5) $DB(< Q) - AD(< Q) =$; DCB (acut.) $- ACD$ (ac.) $=$
6) $DB(> Q) - AD(< Q) =$; DCB (obt.) $- ACD$ (ac.) $=$
7) $AD(< Q) + DB(< Q) =$; ACD (ac.) $+ DCB$ (ac.) $=$
8) $AD(< Q) + DB(> Q) =$; ACD (ac.) $+ DCB$ (obt.) $=$

Si

Si capiatur		fit	
9)	CBA acutus	$AD(<Q)+DB(<Q)=AB$	$ACD(\text{ac.})+DCB(\text{ac.})=ACB$
- -	obtusus	$AD(<Q)-DB(<Q)=$	$ACD(\text{ac.})-DCB(\text{ac.})=$
10)	CBA ac.	$AD(>Q)+DB(<Q)=$	$ACD(\text{obt.})+DCB(\text{ac.})=$
- -	obt.	$AD(>Q)-DB(<Q)=$	$ACD(\text{obt.})-DCB(\text{ac.})=$
11)	CBA ac.	$DB(>Q)-AD(>Q)=$	$DCB(\text{obt.})-ACD(\text{obt.})=$
- -	obt.	$AD(<Q)+DB(<Q)=$	$ACD(\text{ac.})+DCB(\text{ac.})=$
12)	CBA ac.	$DB(>Q)-AD(<Q)=$	$DCB(\text{obt.})-ACD(\text{ac.})=$
- -	obt.	$AD(>Q)+DB(<Q)=$	$ACD(\text{obt.})+DCB(\text{ac.})=$

D. GOTTWALD SCHUSTERI, REG. PHYS. IN Prov. Chemnit. & Acad. Imp. Nat. Cur. Sod. Obſervationes Therapeuticæ, in quibus ſingulariter hypochondriorum & primarum viarum reſpectus habetur, calidiorum guttularum abuſus evitatur, & curationes tranquilla placidaque methodo abſolvuntur.

Lipſ. 1755. 4. pl. 16½.

Brevem *adhortationem ad fugam abuſus guttularum calidiorum in morborum curatione,* quæ præfationis loco reliquum opus antecedit, ipſæ ſequuntur *Obſervationes* numero XLIV. His quo & maiorem utilitatem, & ſub ipſa lectione amoenitatem, conciliaret auctor, varium omnino earum eſſe voluit argumentum, omnis fere generis morbos, apte ſatis, licet iuſto ſæpe brevius, deſcribens. Nunc enim chronicum morbum, nunc acutum, in ſcenam prodire, ſenilemque cum infantili ſuaviter alternare iubet. Calidioris indolis medicamentorum, & præ reliquis Eſſentiarum uſu cum Alcohol præparatarum, in omnibus hiſce prorſus fere damnato, ſimpliciſſimam ſane medendi atque placidiſſimam ipſe tradit methodum, qua præter digeſtiva, eccoprotica, atque diapnoica, vix ullum pharmacum admittit. Ordo morborum, quos Obſervationes ſiſtunt, ſequens eſt: *Obſ. I,* Purpura acuta retrocedens, cum deliriis. *II,* Aſthma cum purpura acuta. *III,* Febris corrupta in pedem tranſlata. *IV,* Febris corrupta colliquativa. *V,* Febris tertiana corrupta.

rupta. *VI*, Pleuritis cum purpura desperata. *VII*, Febris occulta exanthematica, melancholiam mentiens. *VIII*, Spasmus ventriculi cardialgicus inveteratus. *IX*, Affectus hypochondriacus flatulentus, ex sanguinis impulsu ad ventriculum. *X*, Colica ex sanguinis moliminibus congestoriis, calidioribus exacerbata. *XI*, Asthma ad hecticam inclinans. *XII*, Melancholia in maniam conversa. *XIII*, Febris hectica irregularis, pueri, ex morbillis. *XIV*, Purpura ignea puelli mensem nati. *XV*, Epilepsia infantis. *XVI*, Convulsiones ex dentitione difficili. *XVII*, Colica spastico-convulsiva acutissima, ex sanguinis impurioris translatione ad intestina. *XVIII*, Obstructio alvi, cum torminibus, ileum mentiens. *XIX*, Colica spastica, cum anxia alvi obstructione. *XX*, Abscessus omenti lethalis. *XXI*, Regimen febrium intermittentium duplicatum. *XXII*, Febres intermittentes varii generis, digestivis curatæ. *XXIII*, Febris tertiana, maligni moris, China de China sublata. *XXIV*, Febris hectica depascens, ex glandularum abdominis obstructione. *XXV*, Morbus hypochondriacus hecticus. *XXVI*, Febris catarrhalis in hecticam transire visa. *XXVII*, Asthma pituitosum cum spasmo complicatum. *XXVIII*, Decubitus pituitosus ad pulmones, phthisin sistens. *XXIX*, Tremor hypochondriacus. *XXX*, Tormina colica flatulenta, cum alvi obstructione. *XXXI*, Dolores colici cum diarrhoea hæmorrhoidali. *XXXII*, Sudores nocturni, quartanæ typum habentes. *XXXIII*, Vertigo, cum metu apoplexiæ. *XXXIV*, Malum ischiadicum sævissimum. *XXXV*, Motus spasmodici & vertiginosi. *XXXVI*, Malum ischiadicum cum flatuum concursu. *XXXVII*, Obstructio alvi, retenti flatus, & urinæ suppressio, ex spasmis. *XXXVIII*, Febris cum gravissimo rigore senem affligens. *XXXIX*, Tumor in genu fungosus. *XL*, Tumor inflammatorius in genu, cum motus abolitione. *XLI*, Ganglion in apice cubiti. *XLII*, Ulcera in tibia inveterata cachectica. *XLIII*, Ulcus in oedemate pedis podagrico horrendum. *XLIV*, Tumor inflammatorius gangrænosus. Finem operi imponit

nit peculiaris quædam de ſanguinis miſſione tractatio, ſed breviecula, cui titulus eſt: *Mechaniſmus Venae Sectionis ſtabilitus & ruinoſus, cum caſu & problemate practico, reviſus, auctus, emendatus.* Duplicem ſibi ea ſcriptione finem propoſuiſſe videtur auctor, primo, ut ſingularem V. S. effectum mechanicum in univerſum demonſtraret; deinde, ut de purpura, poſt V. S. prodeunte, practice quædam, caſu clinico in medium prolato, exponeret. Utrique ſatisfecit Vir doctiſſimus.

A VOYAGE ROUND THE WORLD cet.

h. e.

PERIPLUS TOTIUS ORBIS, ANNIS MDCCXL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. inſtituta a GEORGIO ANSON Eſqu. ſupremo duce claſſis Regiæ mai. Brittan. expeditionis alicuius cauſſa in maria auſtralia miſſæ. Ex manuſcriptis eius collecta, & eo moderante, edita a RICHARDO WALTER, M. A. Capellano in regia nave Centurione in hac expeditione.

Londini, impenſis Auctoris, 1748. 4.
Alph. 2. plag. 6. Tabulæ æneæ 42.

In tanta, qua fere laboramus Itinerariorum copia, circumnavigatio totius terrarum orbis nondum adeo frequentia eviluit, ut eius deſcriptio tædium lecturis ſit motura. Huic vero, cui Anſonus præfuit, claſſi, tam varia & memorabilia acciderunt, ipſeque dux, tanta edidit prudentiæ, humanitatis, aliarumque virtutum ſpecimina, ut vel eos, qui rerum exterarum non adeo curioſi ſunt, ad legendum librum hunc plura poſſint invitare.

Eſt vero opus in tres libros diviſum. Primus, quæ iter præceſſerunt, initiumque eius, dum ad inſulam Iuan Fernandez pervenirent, deſcribit: alter, quæ in mari, Americam meridionalem alluente, geſta ſint, enarrat: tertius denique ab itinere verſus *Latronum* inſulas flexo orditur, dum, iis quæ prope Chinam acta ſunt recenſitis, reditum in patriam deſcribat. Hæc omnia mappis hydrographicis, portuumque & litorum, uti na-

 vibus

vibus a diverſis plagis appropinquantibus apparent, repræſentationibus illuſtrantur, quarum pars aliqua in navibus Hiſpanorum captis reperta, reliqua in locis ipſis deſignata eſt. Hæcque tabularum aeri inciſarum partem conſtituunt maximam; paucula enim aliarum rerum figuras exhibent, ut animalis amphibii, quod *leonem marinum* vocant, maris & feminæ effigiem, mire ab aliis navigationum deſcriptoribus deformatam, item navicularum quarumdam in India uſitatarum.

Sed totius itineris curſum ſequi, præterquam quod ultra limites nobis ſtatutos evagari nos cogeret, parum etiam utilis lectoribus noſtris eſſet opera futura: cum nec poſſint pleraque, niſi ex tabulis geographicis adiectis, ſatis intelligi; nec in ea brevitate, qua utendum nobis eſſet, ſceleton operis exhibitum multam videatur moturum voluptatem. Breviſſimis ergo monebimus, deſtinatam fuiſſe claſſem, cui Anſonus in nave *Centurione* præfuit, ſub initium belli Anglo-Hiſpanici, ad Hiſpanos terra marique in America invadendos, coercendosque. Sed conſilium hoc prudentiſſime captum, ut fere omni effectu careret, in cauſſa fuerunt, qui non debitam militum navigatorumque manum, ſed pauciores multo, quam vel promiſſi fuerant, vel requirebantur, eosque ætate & morbis imbecilles, dederunt; deinde quod optimum navigandi tempus prætererat, Hiſpanique ipſi totius expeditionis, antequam ſuſciperetur, notitiam acceperant, Anglis cunctantibus. Hæc generatim monuiſſe ſufficiat, ut inde perſpiciatur, cur ſchemati ſapientiſſime ordinato, ipſiusque ducis prudentiæ, maiores eventus non reſponderint. Iam cum hos latius & ordine perſequi, ob rationes quas diximus, non vacet, pauca paſſim delibabimus, potiſſimum ad naturæ hiſtoriam ſpectantia. Memoratu digna ſunt, quæ *L. I. c. 5.* de auro adamantibusque Braſilienſibus referuntur. Braſilia, ab Americo Veſputio iam detecta, pluribus annis nihil præterquam ſaccharum, tabacum, aliasque eiusmodi merces dedit. Paucos ante annos, aurum primo in montibus ad fluvium *Rio Ianeiro* ſitis repertum eſt. Ferunt, milites ad expeditionem contra Indos eius loci miſſos, obſervaſſe, ab illis aureos hamos piſci-

piscibus capiendis adhiberi. Cum inquireretur, quomodo id obtinerent, apparuit, magnam quantitatem continuo a montibus ablui, quæ, aqua evaporante vel defluente, in vallibus subsidat. Vix quadraginta anni elapsi sunt, quod aliquan- Pag. 49.
tum auri, quod operæ pretium faceret, e Brasilia in Europam adlatum est. Ab eo vero tempore, quotannis quantitas auri reperti aucta est, aliis locis cognitis, in quibus æque magna copia, ac prope fluvium præfatum, habetur. Dicunt, tenuem auri venam per omnem Brasiliam spargi 24 pedibus circiter a superficie, sed tenuiorem & pauperiorem, quam quæ expensas fodiendi liquandique reddat: fluvii autem torrentesque, qui longo tempore per eam fluxerunt, multum auri secum ferunt, aqua metallum a terra abluente, & in arenam deponente; quod impensis fodiendi incolas liberat. Igitur, infallibili lucro, torrens a cursu suo deflectitur, alveusque spoliatur. Narrant quidem, montes magnos metallo hoc foetos reperiri; & auctor ipse frustum lapidis vidit, magna massa auri inhærente: sed hoc etiam casu, operarii frusta saxea abrumpunt, nec proprie fodinas excavant; tanti enim constat, vitam in his montibus degere, aurumque e minera 50.
eliquare, ut raro hac methodo metallum obtinendi utantur. Sed auro ex arena conquirendo servos Nigritas adhibent, quibuscum singularem in modum domini agunt. Uncia Lusitanica aliquanto levior ea est, quam *troy ounce* Angli vocant; huius octavam partem, (fere ad 9 *Shillings Sterling* efficientem,) quemvis servorum domino quotidie adferre oportet, quod pluris reperit ipsi proprium est: quo evenit sæpius, ut, qui fortuito in divites locos inciderunt, ipsi dein servos sibi compararent, magnoque postea in splendore viverent. Quinta auri Ulyssiponem adlati pars Regi debetur, quod anno uno in alterum computato, 150 *arrobarum*, quamvis 32 pondo Lusitanicorum (quorum quodlibet 4 libras *troy onciae* efficit,) æstimando, reddit, quod fere 300 000 libras sterlingicas valet, ita ut sors integra, cuius hæc quinta pars est, 1, 500, 000 sterlingicas libras æquet. Præterea vero Rex, magna eius, quod ipsi debetur, parte defraudatur, furtivo

cum Hispanis in America commercio, qui argentum pro hoc auro permutant; eamque auri quantitatem auctor 500 000 libris æstimat: igitur summa totalis auri, quod Brasilia profert, 2,000,000 libr. sterl. non est minor, immo potius maior credi potest.

Pag. 51. Iam de adamantibus Brasiliensibus. Hi vix a 30. annis noti sunt. In auro e sordibus eluendo, plures pro lapidibus nullius pretii abiecti sunt. Primus, qui faciem nativam adamantum egregie notat, in eam cogitationem devenit, hos silices, (tales enim credebantur,) adamantes esse. Difficulter id incolis persuasit; & dum hæc opinio, cum incolarum, suas divitias agnoscere nolentium, repugnantia luctatur, districtus alicuius præfectus, eorum quantitatem colligere iussit, calculorum loco in lusu illos adhibiturus. Tandem, experientissimorum Europæ lapidariorum iudicio constitit, eos lapides, orientalibus adamantibus nec fulgore, nec aliis qualitatibus, cedere. Quo facto, ne multitudine adamantum reperiundorum pretium illorum vilesceret, societas adamantibus quærendis instituta est, aliis omnibus exclusis; neque huic ipsi societati plura quam 800. mancipia ad illam investigationem adhibere licet: deinde, ab urbe quadam magna, & omni circumiecta regione, recedere coacti sunt incolæ 600000 numero, quod prope illa loca, ubi nascuntur adamantes, habitabant, prævidebaturque, furtivam lapidum collectionem impediri, tanta hominum copia tam propinque degente, non posse. Hæcque duo, aurum & adamantes in Brasilia reperta, novas leges, novam adeoque reipublicæ Brasiliensis formam, postularunt.

Relicto fossilium regno, memorabile, si recte se habet, senectutis exemplum ex animali proferamus. Insula *Iuan Fernandez* capris olim abundavit, ita quidem, ut *Alexander Selkirke*, Scotus, a nave aliquando hic relictus, cum per 4 aut 5. annos ibi degeret, plures sæpe capras, quam quæ usui ipsi esse possent, ceperit, quas ille, auribus scissura notatis, 120. rursus dimisit. Iam prima capra, ab Ansoni cohorte, in hac insula capta, aures scissas habebat, unde creditum, eam antea in Selkirkii potestate fuisse, qui tamen 32. annis ante,

ante, quam illi advenirent, insula excesserat. Fuit autem venerandus plane animalis adspectus, barbæ maiestate, aliisque senectutis signis ornatus. Alios etiam hoedos, promissa barba, pluribusque aetatis extremæ caracteribus conspicuos, viderunt.

De ostreis, perlarum matricibus, Cap. VIII. Libri II. refert Pag. 218.
A. eas prope Insulam *Quibo*, in lat. 7° 20′ Bor. copiose reperiri, ad quas colligendas *Panama* piscatores adveniant. Scimus, ostrea hæc ubique ad Panamæ litora reperiri; sed ad insulam Quibo tanta multitudine proveniunt, ut parum in mare progrediendo, manibus e fundo maris tollantur. Plerumque magna sunt: sed cum Angli quædam gustandi caussa aperirent, illa durissima, pessimi saporis carne, invenerunt. Quæ vero profundissime demersæ iacent, maxime unionibus foetæ sunt; nam illis, quæ, ut ante diximus, prope littus tolluntur, rari insunt uniones, & exigui. Ferunt etiam, unionem ex natura fundi, in quo concha reperitur, trahere: ut, si fundus lutosus, unio obscuri vilisque coloris est. Ex alto vero extrahuntur mancipiorum Nigritarum ope, quæ olim *Panamae* incolæ, & litoris adiacentis, labori huic adsueta, magno numero alebant. Neque urinatores perfecti censentur, nisi paulatim eo pervenerint, ut sub aqua tamdiu durare possint, donec sanguis ex naso, ore, & auribus erumpat. Quod qui semel perpessus est, ei nec rursus idem accidere, multoque illum deinde facilius sub aqua mersum manere, ferunt; neque cuiquam inde damnum nasci, sanguinis profluvio illo, nullo remedio adhibito, ipsa naturæ vi cessante. Testudinum quatuor genera vulgo 219.
numerant, quæ nominibus: *the trunk turtle, the loggerhead, Gawksbill, the green turtle,* Auctor distinguit. Priora duo rancida, & noxia sanitati sunt; tertium, (ex cuius testa opera varia elaborantur,) non adeo grati saporis est, melioris tamen quam priora; sed viridis testudo, ab omnibus, qui saporem eius norunt, delicatissimus cibus habetur: propriaque experientia hoc in itinere didicere Angli, innocuum cibi genus esse. Cum enim fere per quatuor menses, illo, ad candem insulam copiose reperiundo, continuo vescerentur, nullum inde incommodum persenserunt. Hispani tamen ab

eo

eo velut a veneno abhorrent, ita ut indica quædam & nigra
mancipia, quæ in navibus Hiſpanicis Angli ante ceperant,
(Hiſpanos ſimul captos, antequam huc pervenirent, dimiſerant.)
Anglis teſtudine veſcentibus, primum obſtupeſcerent,
deinde, cum innoxium eius eſum eſſe animadverterent, deliciasque
eſcæ huius guſtaſſent, feliciſſimos ſe, quod tam obvium
gratumque palato ferculum iam noſſent, prædicarent.

Pag. 266. Quæ de ſtupefactiva torpedinis vi ipſe auctor expertus eſt,
cap. 12. eiusdem libri enarrat. Piſci, morti proximo, impoſitum
baculum, manu per aliquod tempus tenuit. Tum vero
dextrum brachium, cuius ope id fecerat, ſenſibiliter ſtupefactum
percepit; neque ſubito ceſſavit effectus, ſed paulatim,
dieque ſequente demum, omnis evanuit. Ferunt, maiorem
eſſe effectum, totumque corpus permeantem, ſi vivax piſcis,
& modo ex aqua exemtus tangatur, contra cum mortuus eſt,
omnem perire, ut & innoxius eius eſus ſit. Piſci, *the fiddee
fish* dicto, ſimillimus eſt, ſolaque macula circulari fuſca, prope
centrum dorſi, differt. Quanti momenti fuiſſet naves Anſoni
citius dimittere, Auctor fuſe cap. XIV. Lib. II. oſtendit.
Reperturæ erant Hiſpanicas Americæ ditiones, ad hoſtem re-
280. iiciendum nullo modo præparatas, nec copioſo ſatis milite,
nec exercitato, defenſas; præfectos provinciis inter ſe diſſidentes;
Indorum plurimas fortiſſimasque nationes, rebellioni,
Hiſpanorumque exitio, faventes. Qua occaſione memorat
Auctor, Indos, feſtis quos celebrant diebus, Hiſpanorum in
283. America geſta, proavorumque ſuorum infelicitatem, enthuſiaſmo
veluti correptos canere, ut vivax & perpetuum in Hiſpanos
odium in poſteros propagetur. Sed hoc, quem Anſoni
expeditio ferre potuiſſet fructu, ut caruerit Anglia, cunctatio,
exiguaque in danda delecta militum manu cura, effecerunt.
Quanta vero, quia optimum navigationis tempus prætermittendum
fuit, perpeſſi ſint, inde patet, quod ex omnibus
iis, qui in tribus navibus *the Centurion, the Gloceſter, & the
Tryal*, numero fere 1000, die 18 Sept. 1740. Angliam
reliquerant, cum menſe Auguſto 1742. ad patria littora appellerent,
non ultra 71. armis tractandis idonei ſuperfuerint,

neque

neque hi militaribus officiis exsequendis satis apti. Scorbuto plurimi decubuere: quam communem navigantibus miseriam, cum ei penitus tollendæ nulla adhuc remedia innotuerint, censet Auctor magna ex parte effluviis marinis deberi, quæ nonnisi terrestribus corrigi perfecte queant. Nam & tunc inter eos sæviit hic morbus, cum neque recentibus esculentis carerent, non salsis solum, quibus plerumque adscribitur ille morbus, nutriti. Sed in illam insulam Tinian, non habitatam, omnium vero quæ ad reficiendos navigantes aliquid conferre possunt copia adfluentem, cum ægroti deferrentur, duobus mensibus, quos ibi exegerunt, nonnisi 10 homines periere; etsi prima die, qua appulerant, & ea quæ illam præcesserat, 21 amisissent. Eaque occasione, ut & aliis, eluxit Ansoni humanitas. Cum enim ægroti ipsi terram conscendere non possent, ducis æque, ac aliorum humeris, exportati sunt. Sed non minora magnitudinis specimina Ansonius edidit, captos Hispanos, duas item præclara dignitate feminas, humanissime habendo, & nullo accepto redemtionis pretio dimittendo. Id, sicuti plane diversum erat ab eo, quod Hispani in manus eius incidentes metuebant; nam alia omnia, & a piratis Anglis, quos *Buccaneers* vocant, in his regionibus erant experti, & de crudelitate Anglorum, Cleri Hispanici artificiis, persuasi: insignem Ansono peperit gloriam, ita ut eius nomen per totam Americam ab Hispanis celebretur. quod non ipsi solum gloriæ est, sed Anglis omnibus, quorum interesse potest, quid sentiant de natione sua Hispani, est profuturum.

Pauca addimus de Chinensibus, nam & eos, ad urbem *Canton*, invisit *Centurio*. Multus est Auctor in refellendis magnificis illis, quas de hoc populo Missionarii narrant, virtutibus. Virtutes tot illis non esse, quot iis adscribuntur, sed lucri potissimum cupiditate immensa omnes teneri, asseritur. Quod exemplis ipsorum, quos vocant, *Mandarinorum*, A. confirmat, quæ hic addere brevitas nobis observanda non permittit. Inter mercatorum vero fraudes, has potissimum recenset. Cum omnia pondere veneant, animalia, quæ viva Chinenses Anglis apportarunt, ut graviora redderent, avibus quidem lapillos arenulas- Pag. 398.

 que

que devorandas obiecerunt; ſues vero, ſale oblato, ut ſitim excitarent, potuque repletos, urinam deinde reddere impediverunt, animalque ſic tortum ſtatim Anglis apportarunt. Carnibus animalium laniones aquam infarſerunt; animalia, ut mox, poſtquam vendita eſſent, morerentur, effecerunt, ſequutique ſunt navem, proiecta in mare cadavera piſcaturi, quæ denuo venderent civibus, qui ab animalium morbo extinctorum carne non abhorrent. Induſtriam Chinenſium magnam eſſe Auctor fatetur, ſed ſervili imitatione circumſcriptam: quo fit, ut in mechanicis etiam artibus, puta horologiis, aut armis conficiendis, partes quidem affabre elaborent, ſed totum nunquam ſatis aptum fini cui deſtinatur producant, quod deſtituuntur genio atque inventione. An vero tantis laudibus extolli mereatur regimen ipſorum, inde diiudicari poteſt, quod palmarium boni regiminis caput, ſubditorum adverſus hoſtiles inſultus defenſio, parum videatur ab iis obſervari. Nam & exigua Tartarorum manus, non ante multos annos, vaſtum hoc imperium ſubiugavit: & demonſtrat Auctor, unicum navigium bellicum Europæum, omnes ad Cantonem reperiundas Sinenſium naves, (*Iunkas* appellant,) deſtruere poſſe; cum ibi, ubi maxima ſine dubio illorum vis maritima eſt, quæ naves mercaturæ deſtinantur nulla plane arma habeant, neque Auctor ibi plura quam 4 bellica navigia viderit, quodlibet circiter 300 *tonnis* ferendis par, & 8 aut 10. tormentis, nullo ultra 4 libras explodente, inſtructum. Hac occaſione adhuc monemus, Anſonum id obtinuiſſe, ut cum primus armato ad bellum navigio Anglico Chinenſium portum ingreſſus ſit, (neque enim alias, niſi mercatorias naves, tributo ſubiectas, admittunt,) tributum nullum penderet; inſigne, hoc ſuo exemplo, navibus bellicis Anglicis, poſthæc ad Chinam adpulſuris, privilegium lucratus.

Adducimus tandem, quid ſciſcitanti, quantum profuerit potiſſimum Anſoni expeditio patriæ, reſpondeat Auctor cap. 8. Libri III. Centurionem non multo minus quam
Pag. 381. 400000 libr. ſterl. ab Hiſpanis cepiſſe, neque minus quam 600000 libr. valore merces deſtruxiſſe. Præter has, 1000000 libras Hiſpanis ademtas, etiam claſſis ab Hiſpanis huic expeditio-

tioni impediendæ missa, fluctibus maximam partem absumta, in computum referri debet, æque ac aliæ impensæ, quas ea de caussa fecerunt: unde patet, immensum damnum Hispanis esse illatum a classe Ansoni.

Sed quantumcunque optaremus, tum plura, quæ hoc opere continentur, memorabilia enarrare, tum præcipue egregias Ansoni virtutes, maiore in luce collocare: videmus tamen, illis omnibus capiendis spatium nobis præfixum non sufficere. Hocque magis gaudemus, egregium librum, duabus, si recte omnino meminimus, versionibus, Gallica altera, altera Germanica, iam in omnium manus, laudabili bibliopolarum consilio, pervenisse.

SPECIMEN BIBLIOTHECÆ HISPANO-MAIANSianæ, sive idea novi Catalogi critici operum Scriptorum Hispanorum, quæ habet in sua bibliotheca Gregorius Maiansius, Generosus Valentinus: ex Museo Davidis Clementis.

Hannoveræ, impensis Io. Guil. Schmidii, 1753. 4. Alph. 1. plag. 1½.

Quamquam plures, qui, indicandis librorum rariorum titulis, præclare se de litteris ipsis mereri putent, hoc tempore reperiuntur: tamen, ut rectam rationem, libros vere raros utiliter tractandi, nunc taceamus, qua de re verbosius agendi alias erit locus, ipsi libri quinam sint, quos raritate censere iure possimus, difficilis & impedita est quæstio. Sunt, qui auctionum quarumdam librariarum catalogos, velut testes, citent; aut ad illud confugiant, in Sosiorum tabernis eorum copiam hodie non amplius haberi. Quasi vero, quam quis venalem habet, eam non maxime laudet mercem: aut ii potius ad conficiendos catalogos adhibeantur, qui libros norint optime, quam qui stipendio vilissimo conduci se ad eas operas patiuntur. Atque ut nulla unquam taberna libraria esse tanta potest, in qua, vel ante nostram memoriam, vel aliis in regionibus editi libri, omnes prostent venales: ita minime, qui sunt ex eorum genere, omnes pro

raris obtrudi hominibus imperitis debere, existimamus. Accedit, quod, illud si fieret, nulla volumina possent tam magna esse, quibus vel nuda eorum nomina concluderet aliquis, ideoque verendum esset, ne bibliothecas tandem efficerent non ipsi libri rari, quod ferendum esset; sed meri eorum indices. Sunt igitur alii, qui ea in re ad viri alicuius, qui velut inter homines eruditos bibliothecarii personam sustinere putatur, ut Fabriciorum, Stollii, Heumanni, Vogtii, vel testimonium, vel silentium, confugere tuto se posse arbitrentur. Sed isti etiam valde videntur nobis errare. Primo enim, unde constat, ita subductis bene rationibus omnibus, ad eam rem homines magnos usos esse, ut, quos caros ii vocarent libros, tales etiam re ipsa semper invenirentur? Quis accidere posse neget, ut, quos sua in patria conquirere multo labore, magnoque aere ad se efficere, necesse ii habuerint, illorum copia facile possit aliis in regionibus haberi? Quis umquam praeterea ita valeat memoria, ut effugere illam nihil possit? Quare, si quem librum magni viri omiserint, indicio tantum id est, eos vel non advertisse illum in bibliothecis, quarum quidem usum habuerint, aut indicibus, quos consuluerint; vel mentionem eius facere oblitos esse: rarus vero sit liber, nec ne, aliunde iudicandum est. Nostro quidem iudicio, quum optimum quodque, ut Cicero ait, sit rarissimum & carissimum, ii tantum libri e rariorum esse genere videntur, qui utilitatem aliquam habent; quodque in bibliothecis, etiam bene instructis, frustra quaeruntur, ab eruditis hominibus, ad excolendam eam doctrinae partem, ad quam maxime pertinent, collati aut nondum sunt, aut certe non ita, ut & poterant, & debebant. Sed longius oratio progressa est, quam fert instituti nostri ratio. Venerunt haec in mentem occasione libri, cuius supra posuimus indicem. *Clemens* V. C. in colligenda *bibliotheca curiosa* occupatus, quae plures sane libros recipit, quam ex *raris* modo *libris* constans, per *Meermannum*, illustre nomen, *Maiansium*, cuius memoriam saepe iam cum caritate & laude in his *Actis* usurpavimus, rogaverat, ut, si quem suae bibliothecae indicem confecisset, eum benevole secum communicaret. Quem cum nondum parasset vir nobilis, & inservien-

di

di eruditis ſtudio celeberrimus, miſſo tamen *bibliothecae ſuae ſpecimine*, quo litteris conſignavit opera ſcriptorum, qui aut grammatiſticen, aut grammaticam, aut rhetoricam tradiderunt, ſuam gratificandi voluntatem teſtatam facere voluit; pollicitus præterea longiorem epiſtolam, qua diſciplinarum omnium indicaret ſcriptores, ab ſe lectos, atque in pluteis bibliothecæ ſuæ repoſitos, ſimulque ſpem faciens, fore, ut *cenſurae operis Ximeniani*, de ſcriptoribus regni Valentiæ, ab ſe ſcriptæ, interpretationem latinam una mitteret. Quæ vero epiſtola, cum in tantam molem, ſub calamo, excreſceret, ut annus ad eam abſolvendam requiri videretur; delicias has Ibericas invidere nobis amplius *Clemens*, V. d. noluit. Hæc eſt hiſtoria libelli, & iucundi, & utilis, quo recta lance generoſiſſimus Maianſius ſcriptorum merita ponderat, æquumque ſcriptis eorum pretium ſtatuit. Iudicii fructus ab ingenii flore, doctrinæque ἀκρίβειαν a nitore ſtili, magna ubique ſagacitate diſcernit, commenta reiicit, errata corrigit, obſcura illuſtrat, arcana recludit. Specimen igitur cum tantum boni contineat, quid totius bibliothecæ conſignatio ſperare iubeat, quantumque ad rei litterariæ cognitionem allatura ſit, facile intelligitur. In univerſum autem in Hiſpanis eo rariores eſſe libros, *Maianſius* docet, quo ſint meliores: quia, cum minus leguntur, eorum non repetuntur editiones. Hinc, cum lectores non reperiant, fieri ait, ut librarii eos neque cognoſcant, neque quærant. Etiamſi igitur Craſſi aliquis divitias habeat, tamen Aelii Antonii Nebriſſenſis, Petri Io. Nunneſii, Franc. Sanctii Brocenſis, Antonii Auguſtini, aliorumque ſimilium opera omnia, cum iis non comparare modo, ſed ne videre quidem poſſe, pronuntiat. Ex libro ſuo illud etiam apparere autumat, diſciplinas magis viguiſſe eo tempore, quo doctiores fuerunt humaniorum litterarum Profeſſores: & inter hos peritiores fuiſſe, qui per totam vitam latinis græcisque litteris dediti fuerint, quam eos, qui Scholaſticis, ut aiunt, ſtudiis innutriti, loquendi & eloquendi artes profeſſi ſint, antequam utriusque linguæ præſtantiora opera legerent. Sed, prætermiſſis aliis, nunc tandem, quoſnam eo referendos putet, dicendum eſt. Sunt igitur: AELIVS ANTONIVS NEBRISSENSIS, quem litterarum in Hiſpania & litteratorum paren-

 tem

tem vocat, IOANNES DE MIRAVET, *Io. Lud. Vives, Io. Angelus, Petrus Cirvelus, Ferdinandus Nonnius Pintianus, Ferdinandus Arcaeus Benventanus, Alexius Vanegas, L. Andreas Resendius, Ioan de Mallara, Michael Salinas,* ALVARVS GOMECIVS, *Iacobus Tevius, Franciscus Decius, Petrus Rhua, Petrus Ioannes Olivarius, Andreas Semperius, Ioannes Torella,* PETRVS IOANNES NVNNESIVS, *Alphonsus Garsias Matamorus,* FRANCISCVS SANCTIVS BROCENSIS, *Anonymus Villalon, Alphonsus Fernandez, Federicus Furius Seriolanus,* IOANNES DE ICIAR, *Laurentius Palmyrenus, Petrus Simon Aprileus, Alphonsus Torres, Pedro de Madariaga, Blasius Serna, Petrus Ioannes Perpinianus, Benedictus Arias Montanus, Bartholomaeus Barrientos, Ioannes Petreius,* AMBROSIVS MORALES, *Ioannes Verzosa, Vincentius Blasius Garcia, Sebastianus Foxius Morzillus, Petrus Rosarius, Ludovicus Granatensis, Iohannes Costa, Rudericus de Espinosa, Onophrius Povius, Petrus de Guevara, Cyprianus Soarez, Franciscus de Thamara, Didacus Perez de Valdivia, Ioannes de Guzman, Martinus Segura, Philippus Mey, Alphonsus Sanchez de la Ballesta, Franciscus Martinius, Hieronymus de Mondragon,* GONZALO CORREAS, *Bartholomaeus Gavilan, Matheo Aleman, Vincentius Trilles, Francisco Lucas, Diego Lopez, Bartolome Ximenez Paton, Miguel Sebastian, Iuan Pablo Bonet, Estevan Manna, Miguel Navarro, Benito Carlos Quintero, Alfonsus Sanctius,* VINCENTE GARCIA ORDONNEZ DE LLORIS, *Ioannes Caramuel, Manuel Sanchez de Arbustante, Alonso de Bolvis Trejo, Martin del Castillo, Carolus Elizondus, Geronimo Dutari, Antonio Bordazar, Iuan Interian de Ayala, Christoval Coret, Pedro Barricate i Arellano, Iuan Gonzalez de Dios, Iuan Perez Castiel i Artiguez, Ieronymo Contador de Argote, Manuel de Larramendi, Michael Giner, Iosef Ioaquin Lorga, Iose Ipolito Baliente, Gabriel de Artabe i Anguita, Carlos Ros.* Horum omnia scripta diligenter exponit, quæque faciant ad ea pernoscenda, adfert Maiansius. Sed hæc repetere, nobis, per brevitatis legem, qua devincti tenemur, non licet; neque possumus facile, nisi totum ferme librum transscribere huc velimus. Iam ex Auctorum nominibus, bonam partem apud nos incognitis, potest intelligi, quantum inde possint promere viri, qui perigrinorum librorum cognitionem studio suo non indignam

dignam iudicant. Auctores eorum, quos ipsi Hispani rarissimos esse putant, maiusculis litteris exscribendos curavimus.

NOVA LITTERARIA.

Pervenit ad nos his diebus, Avenione, index novi operis, his fere verbis conceptus: Prospectus. Lexicon Hebraico-Chaldaico-Latinum. In quo Prima pars omnia vocabula ordine alphabetico disposita, ad suas Radices refert. Altera Radices ita exhibet, ut omnia vocabula derivata sub his reperire liceat. Tertia tandem Parte Nomina propria in Concordantiam rediguntur: cui accedet Historia, Chronologia, Geographia. Opus observationibus, notisque grammatico-criticis conflatum. Auctore P * * * Carmelita Excalceato Provinciæ Avenionensis. Apud Franciscum Guibert & Henricum Iosephum Ioly, Typographos & Bibliopolas. *Quod nos saepiuscule aegra mente intuemur, refriguisse hodie Hebraicae reliquarumque orientis linguarum studium: ei vero, si surgere contingat viros praeclare de his litteris merituros; si appareant, rari quidem illi nantes in gurgite vasto, sed nantes tamen, qui eam doctrinae partem magis expeditam, sua qualicunque opera efficere student, merito & lubentes gratulamur. In ea re, tam laudabili, tam ad publicam utilitatem praestanti, probabile studium suscepit collocandum auctor lexici, cuius proponimus sciagraphiam: qui quidem ab edendo nomine suo temperavit, ceterum illi solitariorum sectae adscriptus est, quae origines, institutaque sua, a Carmelo monte, & divino vate Helia, repetit. Commemorandum scilicet hoc distincte videbatur, velut quoddam ad reliquas monachorum, quos vocant, innumeras familias, pertinens incitamentum. Sed de Lexico ipso videamus. Oeconomia illius supra prodita a nobis est, describendis singulis indicis, vulgo tituli, versibus. Illa vero satis ostendit, principem hanc Auctori sedisse curam, ut, quantum posset, facilem praestaret, Hebraica tractare aggredientibus, methodum, iis ipsis perviam, qui nondum ultra rudimentorum tenuitatem magnopere sapiunt. Hinc illa operose congesta, volumine primo, vocum omnium Cod. Sacri ad radices suas relatio; altero quaedam quasi vocabulorum Hebraei sermonis genealogia, cognationes, & proventus novi; voces certis hominibus designandis compositae, nomina propria adpel-*

adpellant, tertio volumine, cum historia, chronologia, geographia, hactenus quidem tradendis, ut illae divinorum librorum intelligentiam iuvant, explicanda promittuntur. Est autem specimen illud, quod in manu nostra est, sane honestum, scienterque & docte perfectum: neque, quod in diligentia sua desideretur, quidquam reliqui fecit Auctor. At nos unum in primis in eius opere spectari vellemus ornamentum: quod si ille, conscius licet, tacitus tamen pressit, eo consilio, ut abesse possit obscurum, tanto nos certe magis operae pretium, admonendo eum hac super re, fecerimus. Hebraicarum igitur litterarum, inprimisque potestatum sermonis istius stabiliendarum, cognitionem, nollemus solis ex Lexicis, quae maiorum nostrorum aetas tulit, neque magis solo ex Codice Hebraeo, peti. Agnoscamus potius, & agnoscere nos utendo fateamur, quantum in hac caussa praesidii Arabicis Syriacisque litteris insit. Haec doctissimo monacho nostro, ducemque, si exoptat, insignem nuper talium rerum scientia, Schultenium, commendamus. Verum haec nos forte ἀπροσδιόνυσα: poterat enim iam haec omnis cogitatio Auctoris mentem s. iisse, ipsique praefuisse, quod laudamus, instituto. Itaque pauca superaddemus, de ratione & legibus operis huius vulgandi. Charta illud nitida, atque bene compacta, typis autem ad id recenter fusis, exscribetur. Ambitum eius omnem tria volumina, grandium foliorum magnitudinem habentia, unumquodque octingentarum circiter paginarum, includent. Commoda praeterea comparandi libri via offertur, numeranda ab eius studiosis per partes pecunia, viginti quatuor puta, in singulos Tomos, libris; genus est monetae Franco-Gallicae. Hanc summam primum subscribendo; eandem, quum recipient primum Volumen, Kalendis Ianuariis A. 1757; tantundem prima anni 1758. die, accepto Volumine secundo, tradent: tertium Volumen illis sub initium anni 1759. sine omni expensa exhibebitur. Concessus autem est subscribendo omnis, quem vivimus, annus 1756. Denique R. P. Iohannes Maria a Scto Ioseph, Prior Conventus Avenionensis Carmelitarum Excalceatorum, fidem subscriptionibus, adiecto Conventus, quem modo diximus, sigillo, faciet.

Dicemus plura de Libro, quamprimum ad nos venerit.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maii Anno MDCCLVI.

RECUEIL D'ESTAMPES D'APRÉS LES PLUS CELEbres Tableaux de la Galérie Roiale de Dresde, &c.

i. e.

TABULARUM PICTURAE LINEARIS ex aere multiplicatae congestio, secundum tabulas principum pictorum clarissimas, quae Dresdae in magna Potentissimi Regis Cryptoporticu & Pinacotheca adservantur, cum descriptione cuiusque tabulae Francogallicis iuxta & Hetruscis litteris.

Dresdæ 1753. chartis maximis.

Eximiæ, longeque clarissimæ tabulæ, quas recens ars picturæ inde a proavorum nostrorum memoria doctissimis artificum manibus extudit, quum victuræ videantur, dum ingeniis divinitatique artium honos erit, talem propemodum eruditorum hominum stilos operam poscebant, qualem Neapoleos ad porticum, singulari olim facundia, Philostratus contulit. Eum quodammodo superiore & nostra quidem memoria in Gallis ad Sequanam imitatus N. Crozatus, intellegens artium ac studiosus operum æstimandorum vir, eo felicius prodidit opus magnum & speciosum, in quo tabulas manibus illustres Italorum, quæ in Galliarum regna possessione transissent, commentario publicabat addito,

quo melius beneficio picturæ linearis in lamnas aheneas radio inscribendæ, mox preli & machinarum incutiendæ chartis volumine, non modo multiplicata exemplis vulgantur opera, verum etiam servantur unice ac propagantur ad posteritatem generis ingenia artificum. Illam Gallorum sollertiæ laudem nunc florens artium intellegentia & honore, æque ac litterarum decoribus Saxonia, & præsertim urbs Dresda, luculenta inprimis editione tabularum picturæ clarissimarum fama & miraculo artis sequitur: quæ tabulæ optime delectæ, fulgentissimo manibus Pinacothecæ Regiæ magnæ vere Museo, ibi adservantur. Prænitet autem istud non modo copia insigni in præsens reliquis ferme per Europam Museis, sed præsertim etiam ingenio legendi præclarissima quæque, cum Rex ipse intellegentissimus talium, ut humanitatis & artium ingenuarum summatim amans, dominico, quod dicitur in re omni administranda optimum fieri, eruditoque simul oculo adsit. Imago igitur illius, qui virtute sua, animique singulari clementia liberalitateque, apud omnes peræque populos celebrari meruit, in fronte voluminis charta Augusta magni posita est: picta illa quondam summa arte a pictore clarissimo Hyacintho Rigaltio (*Rigaud*), Lutetiæ, nunc scitissime subtilissimeque, certante cum penicilli arte stilo ferreo, in aheneam lamnam pictura lineari inscripta. Deinceps, ubi converteris volvendo indicis inscripti libro tabellam, vestigium, sive ἰχνογραφίαν dixeris, cryptoporticus regiæ tectonicis editam formis conspicies, & hoc in præfatione iucundum nobis, quod Lucæ Cronacæ nostri (Lucas Cranach), qui ante CCL circiter annos in his terris, & postmodo, pictor impense doctus floruit, honorifica extat ex vero mentio. Nam hodie multi, quoniam homo mirifice sedulus longe plurima omnis generis, & in his mediocria quoque opera quædam, extudit, clarissimam eius elevant manum, ut parum firmam, & Gothicæ sæpius inscientiæ similes exilesque species reddituram, quam pulcras artis magnæ legibus & veras. Sed nobis adsunt illius & tabulæ & μονοχρώματα eiusmodi, & ea sunt a nobis olim super eo, & passim, inspecta, excussa, annotata, & litteris per libros

bros consignata; ut facile appareat, eum Alemanæ, seu Francam dixeris, pictorum scholæ sectæque facile principem suo tempore pictorem, eumque inprimis doctum, extitisse, amicissimum eundemque virtute æmulum Dürero; diversum ab eo artis instituto, & quibusdam in rebus vel meliorem. Si quid operum neglegentia vel festinatione minus absolutum edidit, ratione ac scientia desciviſſe interdum a consuetudine, sæpe fessum ab opere multiplici, & obsequio adversus amicos, nonnihil concessisse temporibus videri, & re coactum, non sponte videri peccavisse. Qua de re nos amplius, digna quidem, nisi fallimur, exspectatione sumus tradituri, cum promissam olim artis picturæ inde a proavorum memoria repetitæ historiam edemus.

Secundum illam, quam laudavimus legendam, operis volumine magno præfationem, ordine iam tabulæ picturæ linearis præsertim spectandæ proponuntur. Antonii Aligrii Corrigiensis quidem, unde vulgo, *le Correge*, cui primæ Veneris & gratiæ in pictura, ut olim Apelli, natura potius atque ingenio, quam opere magistrorum erudito, ducentos triginta circiter ante annos, pictori Galliæ togatæ deferuntur: eius igitur opera longe clarissima in principio collocata, in quibus eminet Roci indigetis virtute actitatum (*de St. Roch*).

Inde Andreas Vanucius Phrygionis (*del Sarto*), egregiis quibusdam ac superantibus reliquorum ipsius elegantiam tabulis, ingenium suum adprobat. Videtur autem eorum operum in partibus, Raphaelis Sanctii lineas & commentaria recte secutus fuisse. Ex quibus item expressa hic proponitur simillima linearum Sanctii Θεοτόκȣ virginis cum Servatore generis nostri puero lavante conversatio, quod genus *familiae sacrae* vocabulo dici insuevit, a manu longe clarissima opus speciosissimum Iulii Pipi Romani (*de Iules Romain*). Quod si cui elegantiæ satis adsit, acri ac subtili iudicio illarum artium ut ingenia summasque censere possit, pervideatque animorum illam picturam, & veræ pulcritudinis gratiam mirificam, formasque divinas, nihil contempletur libentius illa Θεοτόκȣ virginis & Christi pueri, cum Iosepho, Iohanne, &

 Elisa-

Elisabetha converſantium ſpecie, quam ea quidem copia ſcitiſſime Raphael Sanctius variatam æternis operum monumentis prodidit, ut cogi vel triginta, vel amplius, poſſint pictura lineari in chartas machinis prelorum incuſſa familiæ illius ſacræ argumenta pulcherrima, inter ſe diverſa omnia, ſcripta quidem in lamnis a ſummis radii in aere ducendi artificibus: quæ argumenta a Raphaelis ingenio ſummaque induſtria creduntur, neque iniuria, profecta.

Poſt eas tabulas comparent opera Titiani Vecellii, Venetorum Scholæ pictorum primicerii, quædam inprimis pulcra (*tab.* 10 *ad* 13). In quibus eminet, noſtro quidem animo, non modo nominis & actorum, per annalium fidem, claritate, verum etiam artificio picturæ, Lucretia Borgia Chriſto commendans maritum & filium: adde his etiam bellam Catharinæ Cornaræ imaginem.

Eum ſectatur, ut ducem quodammodo ſuum, clara victuris operibus Pauli Caliarii Veronenſis manus. Mox illuſtrius his & reſtituta Italis, poſt obſcuram quorundam neglegentiam, arte, ſuperiore memoria clarum, Hannibalis Carracii ingenium (*tab.* 18 *ad* 21.), Roco item indigete pingendo (*St. Roch*): quo opere certat aliquo pacto cum Thucidideo & Lucretii poetæ ſtilis, in deſcribenda lue populos depaſcente, pictorum penicillus & rubrica.

Minore iam cura, relictis illis primis, Viti Rhenenſis, Bononia oriundi, dicemus opera (*tab.* 22 *ad* 24) (*Guidone Rheni*); & Lucæ Iordani Neapoleos inquilini, qui miraculo celeritatis in pingendo claruit; & Ioſephi Riveræ Hiſpanienſis, (*tab.* 27 *ad* 31); & Matthiæ Presbyteri (*Preti*), Calabri, & aliorum.

Sed nullo pacto premi oblivione debent tria opera egregia, quorum primum exemplum eſt æternum victuræ tabulæ Aligrii Corrigienſis, quam *Noctem* dicunt, clariſſimam quidem artis ingenio. Hoc exemplum egregie, ut pleraque, Romæ pinxit Carolus Maratta, magnitudine pariter & gratia, atque multitudine operum inſigni celebratus. Alterum eſt opus Caroli Ciniani (*Cignani, tab.* 46), gratia placiturum ſingulari. Quo opere pugnans adverſus libidines mulieris heræ Ioſephi

Ioſephi Iſraelis in Aegypto continentia declaratur. Tertium Petri Pauli Rubenii, doctiſſima nobiliſſimaque diligentia, manus edidit. Neptunus adumbratur, dum pacat æquor elementi ſui ventis turbatum Iunonis dolo, Æneæ Africæ ad littora ut claſſis periclitaretur. Quod quidem certante cum verbis poetarum inter Latinos principis penicillo ille, ut erat ſummo ingenio, reddidit. Etiam hic in aere qui radio ſcripſit, magna tabula, non modo certaſſe cum eo, qui ante annos centum circiter deſcripſerat, Vdeno, niſi fallor, ita videtur, ut eum, noſtra quidem ſententia, longe poſt ſe ſine dubio victor relinqueret. Hoc argumentum, verbo poetæ vocare, *Quos ego*, intellegentes artium ſolent. Aliquo poſt Rubenium tempore, etiam nobiliſſima illuſtri in loco pictura frequentare iſtud, neque id infeliciter, conatus eſt Carolus Brunus (*Charles le Brun*). Apud nos in gemma anulari vetuſta illud Neptuni hippocampo vecti, ac tridente minacis in altum ſublato, *Quos ego*, opere ſcito redditum, conſpici, conferrique cum ingeniis picturæ poteſt. CHR.

BARNABAE BRISSONII DE FORMULIS & ſolemnibus P. R. verbis Libri VIII. ex recenſione Franc. Car. Conradi, in Academ. Iul. quondam P. P. Iur. Ord. cum vita & elogiis Barn. Briſſonii cet. Acceſſere curæ novæ atque animadverſiones IOH. AUG. BACCHII I. V. D. & P. P. Antt. Iuris in Acad. Lipſ.

Lipſiæ, ſumtibus Krugianis, 1754. form. mai. proſtat in libraria Weidmanniana.
Alph. 4. pl. 14.

Celeberrimum atque utiliſſimum Briſſonii de formulis opus, ſæpius iam, uti merebatur, editum, nuperque a Bacchio noſtro, Viro huius Academiæ clariſſimo, eleganterque, quod norunt omnes, docto, repetitum, in his quoque Commentariis locum denuo occupabit, quem ſuo quodam iure ſibi vindicat. Eſt enim iis acceſſionibus a V. C.

auctum ac locupletatum, ut nec ipsum editionis opus, nec indicium eius, tanquam haud novi libri, supervacuum cuiquam videri possit. Quare missis, quæ reliqua cum prioribus editionibus hæc communia habet, immo quæ congesta in hanc unam reperiuntur, pauca tantummodo ex iis delibabimus, quibus, etsi angustis satis finibus circumscripta, & intra semestre spatium coercita editoris opera, partim omissa Auctori suppleverit, partim non satis subtiliter disputata limaverit.

Libri ordinem tenebimus. Prolatam a Brissonio L. I. c. 86. emendationem, qua apud Ciceronem *de leg.* L. II. 11. in verbis: *fortunaque sit huiusce diei (nam valet in omnes dies)* corrigit *huiusque*, quod ex Mario Victorino de Ortograph. interpretatur: *cuiusque;* repudiat V. C. & antiquæ lectionis possessionem tuendam existimat, quod quidem, etsi dura admodum interpretatione procedit, tamen facile largimur. Sed, cum apud Marium legi oportere pronuntiat: *cuiusque*, in eo nobis nodum non satis solvisse videtur. Marius dicit: & *huiusce* & *huiusque* recte scribi, sed suo utrumque loco, illud esse ab *hocce;* hoc autem significare *uniuscuiusque*. Si *cuiusque* vera lectio, neque monitu opus erat, nec vero periculum metuendum, ne quis *huiusce* & *cuiusque* confunderet. Quin itaque retenta emendatione Brissonii, ut in aliis, sic hic quoque particula *que*, quasi *omnes* significet.

L. I. c. 107. de evocatione deorum ex oppidis obsessis agens Brissonius, eam omisit evocationem, qua ex suis quoque aedibus locisque Romani Deos evocabant, quorum templa exaugurare vellent, locumque istum religione liberare; cuius rei exemplum classicum est Tarquinii regis, qui, cum templum in Capitolio facere vellet, omnia illius loci fana, quo religione libera essent, exauguranda curavit. (Liv. I, 55.) Quæ quidem, quamvis nobis haud proprio, vel certe non eo sensu, quo illa altera hostilium Deorum, evocatio dici posse videatur; propterea, quod nec precatio adhibebatur, nec translatio in alias fiebat ædes, sed tantum auguriis, an exaugurare istum locum valerent, experiebantur: tamen, vel ob unicum locum l. 9. ff *de Rer. Div.* addenda erat hæc observatio, cum ibi, *Sacra e Sacrario evocare*, legatur.

Eodem

Eodem L. ad c. 191. & 192. ubi de dedicationum formulis agitur, recte adiecit, *dedicationem* & *consecrationem* frustra a viris doctis, inductis scilicet loco *Cic. pro Dom.* c. 48. vulgo distingui, cum potius synonyma sint, & nullum discrimen admittant. Nec minus ad illorum sententiam accedit, qui *detestationem sacrorum* eandem cum dedicatione & consecratione sacrorum, fuisse censent; facta quippe teste & consentiente toto populo, auctoribusque pontificibus. De *obtestatione tibicinis*, & *consecratione* Impp. Græc. ἀποθέωσις vocata, cuncta Brissonio neglecta supplevit.

C. 225. nonnulla egregie dicta reperiuntur de *monstris, portentis, prodigiis, ostentis, postulatione,* s. *postulione,* quæ omnia intacta Auctor reliquerat.

Inprimis autem de *sacris domesticis* s. *privatis*, pecuniæ & hereditati adhærentibus, quæ multis adeo formulis originem dedere, copiosa & lectu digna disputatio est L. I. c. ult. Ibi præter reliqua, ab aliis quoque Viris doctis notata, in loco Ciceronis *de Legg.* II, 21. hac de re principe, verba haud dubie corrupta: *si in testamento* deducta *scripta non sit:* emendat, *deductio scr. n. sit,* centum videlicet numorum, quibus ex hereditate detractis, sacris heres ICtorum Pontificumque auctoritate & ingenio solveretur. Gronovius quidem hoc librariorum vitium elui posse putabat, si legeretur: *si deducta sacra non sint:* sed, cum nec sacra ipsa in testamento deduci potuerint, neque isto sensu, ut numi pro illis deducerentur, ea *deduci* recte dicantur, hæc coniectura merito fuit explosa. Explicantur porro *senes* illi *coëmtiales*, qui occurrunt apud *Cic. Muren.* c. 11, quorum ratio hæc ipsi fuisse videtur, ut quoniam molestia sacrorum heredes deterreret, liberandæ hereditatis caussa, senem aliquem capularem, forte servum vetulum, eam in rem manumissum, pauperem, qui heredes habiturus non esset, adhiberent, eique bona sua omnia, cum sacris, uno numo dicis caussa accepto, per æs & libram manciparent, interposita stipulatione de bonis iisdem restituendis, itaque senex sacra retineret, bona autem, onere sacrorum liberata, ad priorem dominum, non ex pacto fiduciæ, sed ex stipulatu, redi-

redirent. Quod quidem totum negotium dictum fuit: *Coemtio sacrorum perimendorum caussa;* Cic. *de Legg.* L. II, 20. 21. Nonnulla etiam ibidem afferuntur de formulis *heredem solvere, & hereditatem solvere,* quas eodem redire putat V. C. quæ tamen non exscribemus.

Quid sit apud *Cic. ad Q. fr.* II. 1. *diem dicendo eximere,* L. II. c. 65. demonstratur.

L. VI. 63. definitio ista divisionis, quam *Ulpianus Fragm.* XIX, de *rebus mancipi* dedit, contra quorundam nostri sæculi hominum, maxime autem *Bynckershoekii* reprehensiones, egregie defenditur. Ad VI, 83. bene docet, *Censorias* quoque *leges,* haud secus ac prætorum Edicta, capita translatitia habuisse. Ad stipulationes, quia essent negotium civile, latine ubique respondendum fuisse, neque, ut alia quoque lingua liceret, constitutum, ut ex l. I. §. ult. *ff. de verbor. oblig.* Auctor colligit, sed usu demum & fori disputatione introductum ad VI, 161. ostendit. De legatis poenæ exquisitissima observatio adiecta est ad L. VII, 132. ubi, præter reliqua, Bynckershoeckii sententia refellitur, qui secundum definitionem Iustinianeam, legata poenæ a conditionibus legatorum secerni posse negavit: quæ tamen, etiamsi vel maxime in illis conditiones insint, magnopere inter se differunt. Plura afferre, speciminis loco, alienum fuerit: cum neque Bacchii doctrina speciminibus commendari desideret, & ratio a nobis habenda sit modestiæ Viri doctissimi, quem nos vivere & valere, bono rei litterariæ, vehementer optamus.

DICTIONAIRE HISTORIQUE DE LA MEDECINE.

i. e.

***LEXICON HISTORICUM MEDICINAE, QUO** continentur eius origines, incrementa, mutationes, sectæ, & apud varias gentes institutio, cum narrationibus de diis atque deabus huius scientiæ, celebrium medicorum, philosophorum, & sapientum, qui ex omni gente ad incrementum artis contulerunt, Anatomicorum, Chirurgorum, Botani-*

Botanicorum, Chemicorum, Vitae, eorum ſententiae, inventa, Scriptorum recenſiones, ad normam eorum qui de hoc argumento iam ante fuerunt commentati. Auctore ELOY, Medico Conſiliario Principis Lotharingicae, Urbis Hannoniae, Montium, Penſionario.

Leodii & Francofurti apud I. F. Baſſompierre, Typographum & Mercatorem librarium, 1755. 8.

Tom. I. Alph. 1. pl. 4. *Tom. II.* Alph. 1. pl. 7.

Etiamſi non deſunt, qui origines, fata, & mutationes artis ſalutaris, una cum celebrium, qui iſtam diſciplinam inventis ac ſcriptis illuſtrarunt, virorum vitis expoſuerunt; in quorum numero ſunt, *Freindius, Clericus, Schulzius, Fabricius*, pluresque, alii: non tamen hoc minorem gratiam eruditus Auctor inivit apud omnes, qui, quid ſingulis mundi aetatibus, circa medicinam ſcriptum factumque ſit, ſcire avent; quando, quod alibi ſerie ſucceſſionum, quibus una quaevis periodus artis inchoata ac abſoluta fuit, ſcribitur, ita digeſſit, ut poſſit facile quaeſita aliqua notio inveniri ab illis, qui, vago ſtudio detenti, mox hanc mox aliam circumſtantiam ſibi cognitam reddere, evolvere, aut memoria repetere ſatagunt; quae potiſſimum Librorum, voculas ordine alphabetico digerentium, eſt commendatio. Noluit ſine dubio *Clariſſimus Auctor* minima quaevis penitus eruere, vel Auctorum Vitas ampliſſima oratione recenſere; quod facturus, volumina conſcribenda inveniſſet: vere tamen in eius laudem praedicare poſſumus, eum nihil eorum intermiſiſſe, quae ad illuſtranda ſumma hiſtoriae medicae capita ſpectant. Namque id, quod ſyſtematum conditores, continuo ſcriptionis filo, de Medicinae fatis eiusque ſtatoribus fuerunt commentati, ſub diverſis, pro indole lexicorum, quaeri poteſt inſcriptionibus, quae omnes, una ſumtae, non minus totum aliquod doctrinae aedificium conſtituunt. De artis originibus paſſim multa tradit; namque & Adamo & Abrahamo artis cognitio tribuitur. Homini certe creato coaeva medicina eſt, quam inſtinctus, exempla ex ipſis animalibus deſumta, caſus im-

Ii praeviſi,

prævisi, mox observatio iuvantium atque nocentium, deinde morborum historiæ curiosius descriptæ, magis atque magis adauxerunt. Accessit contemplatio philosopho um, penes quos ars sanandi aliquamdiu fuit, subtilior inquisitio haruspicum, exta inspicientium industria; quibus omnibus effectum est, ut in ordinem qualemcunque redigerentur artis præcepta; quam cum exercerent summi Viri, inque illa exercenda aliquam celebritatem sibi compararent, ob speciminum claritatem inter Deos, artis conditores, relati fuerunt, in quorum numero *Apollo, Chiron, Centaurus, Æsculapius, Serapis,* aliique habentur. Primus, quantum constat, *Hippocrates,* sparsim annotata collegit, digessit, philosophatus & ratiocinatus est: namque tunc doceri ars in Scholis *Coo, Cnidia,* aliisque coepit. Ast curiosior rerum ad medicinam spectantium inquisitio dissensus & sectas peperit, quarum potissimum quinque, diversis post Hippocratem temporibus, recensentur. Vetustissima sine dubio *Empirica,* quæ per analogismum & inductionem a posteriori, quid factu opus esset, ostendebat; cum, quod uni profuerat, alteri quoque saluti esse posse putabatur. Nec contemni debet illa medendi methodus, si analogismus, & parium cum paribus recta comparatio, accesserint. Sed *Dogmatici,* absconditas morborum causas ratione & subtili studio investigandas esse arbitrabantur, nec quidquam rati habendum esse docebant, quam quod acri iudicio compertum esset. *Methodici,* neque experientiæ, neque rationi soli tribuentes quidquam, certas leges in universum stabiliendas esse putabant, quæ, quod factu opus esset, ostenderent, & a quibus discedendum deinde haud esset; fueruntque clari medici, qui uni alterique Scholæ sese addicerent, *Erasistratus, Asclepiades, Themison,* quorum scripta iniuria temporis nobis subtraxit. *Eclectica* secta, cui inter alios *Celsus,* eques romanus, sese addixerat, in nullius opinionis partes abiens, quod in unaquaque præstantissimum esset, profitendum expediendumque putabat. Deinde & *pnevmaticos* fuisse legimus, qui motori alicui huius universi & corporis, quidquid sano aut ægroto homini

homini accideret, tribuebant. Rationalem medicinam mire auxit *Galenus*, sub imperio Hadriani inclarescens: hic cum praecepta philosophorum hausisset, & itineribus animum perpoliisset, Romae artem exercuit, & contra empiricos atque methodicos, speciatim Thessalum, callidum impostorem, disputavit. Hoc prior Aretaeus & Celsus, Hippocraticam medicinam docuerunt, veluti & Scribonius largus, Rufus item Ephesius. His artis, qualia apud veteres fuerunt, initia debemus. Etiamsi enim multa clarissimorum istius temporis virorum scripta subtracta nobis sint, qualia sunt *Asclepiadae*, de quo pauca apud *Aëtium* supersunt: gaudemus tamen de his, quae extant, & quae felici fato, per illum temporis barbari hiatum, qui ad eversionem Constantinopolitanam excurrit, fuerunt conservata. Etiamsi enim de dignitate Medicorum, qua illi sub regimine Gothorum per Italiam fuerunt, aliqua supersunt; cum novimus fuisse *Archiatros, Exarchiatros, Archiatrorum comites*, & *Collegia Archiatrorum:* altum tamen de medicis, aliqua eruditione claris, est silentium. Arabibus, a septimo seculo, debemus continuatam artis scientiam. Illi enim acceptos fortuito graecorum libros, vernacula sua donatos, suis superstitionibus interpolaverunt: nec tamen omnino nihil illis debemus, nam & chirurgiam efficaciorem non parum auxerunt, & experimentis materiam medicam locupletaverunt, & Chemiam leviter adumbraverunt. Cum autem post excidium Constantinopolitanum, eruditi Graeci Italiam peterent, cultior Medicina caput iterum efferre coepit. Ab illo tempore, inventa inventis fuerunt addita; Anatome, physica, mechanica, sensim magis atque magis excultae, facem ad uberiora artis incrementa praetulerunt. Unaquaevis scilicet gens, uti, pro morum diversitate, ad hanc aut illam scientiam excolendam plus propendet, *Germani* Chemiam, *Itali* Anatomen, *Galli* Chirurgiam, *Angli* & *Batavi* physicam & mechanicam in suas partes traxerunt. Per has aetatum medicinae periodos vagatur Lexicographus noster, & quotquot ad eius cognitionem pervenire potuerunt, claros Viros, claras feminas, Philosophos, Poetas, Rhetores, Chemicos, Anatomicos, Chirurgos, tam veteris, quam

recentioris seculi, adducit, & eorum vitas describit, a quibus profecerit ingenue professus. Omnibus honorem habet, neminem criminatur. Neutiquam autem vitio illi vertendum est, quod in quorundam celebrium Virorum, *Halleri, Linnaei, Heisteri*, scriptis recensendis fuerit parcior: tanta enim est eiusmodi titulorum in re litteraria luxuries, ut omnium notitiam sibi acquirere unus aliquis de exteris haud facile possit.

FRID. LUD. ABRESCH DILUCIDATIONES Thucydideae, quibus & passim cum N. T. tum aliorum scriptorum loca illustrantur, aut emendantur.

Trai. ad Rhen. apud Abr. van Paddenburg, 1755.
1 Alph. 2 plagg. (ab MM. ad Bbbb.) octonis.

Continuatum hoc opus dilucidationum parti priori, duos priores Thucydidis libros complexae, ad reliquos omnes iam pertinet. (*v. Act. Erud. 1755. mens. Iun. P. I. pag. 314. sequ.*) Ex hoc quoque, speciminis causa, quaedam propposituri, subsistemus in illustri loco, idemque e difficillimis, III, 81-84. de turbulento statu Corcyraeorum. Ibi c. 82. init. in verbis: *διαφορῶν οὐσῶν τοῖς τῶν δήμων προστάταις τοὺς Ἀθηναίους ἐπάγεσθαι, καὶ τοῖς ὀλίγοις τοὺς Λακεδαιμονίους*, defunctum se opinatur, supplendo, *ὥστε ἐπάγεσθαι*, repudiatis scholiastae supplementis. Nobis quidem nondum videtur cuncta explesse, cum dativi illi, *τοῖς προστάταις*, & *τοῖς ὀλίγοις*, aliquid praeterea supplementi requirant, quod illum difficilem infinitivum regat; qui cum haud dubie pendeat a *διαφοραῖς*, in quibus contraria studia & diversae latent voluntates, ad illas utique referendus erit. Omnino in isto obscurissimo loco, qui multas egregias observationes & capiat & requirat, haudquaquam ea diligentia, qua & loco isto & viro tali erat dignum, versatus nobis videtur. Nam dum captat excursiones, omniaque congerit, quae ex aliis scriptoribus, vel levi, vel nulla occasione accipere laborabat, ipsum Thucydidem saepius reliquisse ac transisse, lectores invenient. Neque vero placere cuiquam intelligenti poterit libido Auctoris ac licentia

centia in collocando verborum ordine, cuius insigne sese nobis exemplum offert in verbis mox illa sequentibus: πολεμουμένων δὲ, καὶ ξυμμαχίας ἅμα ἑκατέροις, τῇ τῶν ἐναντίων κακώσει, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ἐκ τοῦ ἐναντίου προσποιήσει, ῥᾳδίως αἱ ἐπαγωγαὶ τοῖς νεωτερίζειν τι βουλομένοις ἐπορίζοντο. Fore credimus neminem, quin illico videat, ξυμμαχίας esse genitivum ab ἐπαγωγαὶ pendentem, quod ne intelligi quidem absque alio possit. Quid noster? Refert ad προσποιήσει, sic ordine structo: πολεμ. δὲ, ῥᾳδ. αἱ ἐπαγ. τοῖς νεωτ. τι βουλ. ἐπορ. καὶ διὰ τὴν κάκωσιν ἅμα τῶν ἐναντ. καὶ διὰ τὴν ἐκ τοῦ αὐτοῦ σφίσιν ξυμμαχίας προσποίησιν. Dativos recte haud dubie est interpretatus: at quibus machinis illud ξυμμαχίας, ad προσποίησιν traxerit, assequi non possumus: cum & manifesto ista distinguantur, τῇ κακώσει τῶν ἐναντίων, καὶ τῇ — προσποιήσει: & illa utique, καὶ τῇ κακώσει, transilire non liceat: neque aut ἐπαγωγαὶ simpliciter intelligi, aut ista commode dici queant: *Inductiones sociorum fiebant, ad comparandos socios.* Ista tamen, quae sequuntur, πολλὰ καὶ χαλεπὰ, bene p. 358. illustrat aliis exemplis, Plat. Gorg. πολλὰ καὶ κακὰ εἴργαται, Herodot. 9, 36. πεποιθότες πολλὰ καὶ ἀνάρσια, ib. πολλὰ καὶ λυγρὰ, cet. Illud καὶ tamen abundare nonnunquam credit, etsi non in illis, ubi supplet, καὶ ταῦτα, sed apud Pausan. Messen. p. 370. ὅσαι πηγαὶ θαῦμα ἰδεῖν καὶ ἰδόντι, recte haud dubie: quem eundem locum, Kuhnio iam tentatum, feliciter refinxisse videtur. Cum enim ibi legatur: ἐπισχέντι ὀλίγον ἅτε μάκον θερμαίνει τὸ πυρεδέστατον: ipse corrigit: ἐπισχ. ὀλ. τότε μαλακὸν θερμαίνει εἶτα πυρωδέστατον. In illo autem non tam obscuro loco, quam perperam intellecto c. eod. ἀσφάλεια δὲ τὸ ἐπιβουλεύσασθαι, ἀποτροπῆς πρόφασις εὔλογος, monet, nisi hoc, ἐπιβουλεύεσθαι esse, *saepe deliberare*; quasi aut haec vis insit praepositioni ἐπὶ; aut crebra deliberatio in vitio poni queat, cum Thucyd. h. l. nonnisi vitia commemoret, virtutum nominibus vestita & excusata. Nam Cel. Reiskii supplementum, ἀσφάλεια δὲ τὸ ἐπιβουλεῦσαι, καὶ

τὸ σφάλλεσθαι, ἀποτρ. πρόφ. εὔλογος, quod ipsum affert Auctor, nulli facile probabitur: cui tamen libentissime subscribimus, in verbis sequentibus: ὁ χαλεπαίνων, πιστὸς, emendanti, ὁ πᾶν ἐπαινῶν, πιστός: cui emendationi etiam favet oppositum, ὁ ἀντιλέγων, ὕποπτος. Hoc quoque peritis vix probabit Auctor doctissimus, quod, uti in ordinandis verbis parum religiosus, ita in præpositionum emphasi pæne superstitiosus est: ut qui c. eod. v. 68. miretur, incredibileque ait fuisse, repertos esse, qui προπαθεῖν & ἀντιτιμωρήσασθαι pro simplicibus acciperent. At nobis mirari liceat, fuisse, qui istis præpositionibus vim tribueret, quæ in ipsis verbis tota inesset. Satis eum monere vel ἀντιπολέμιοι, c. 90. v. 36. poterant. C. 95. v. 53. occasione verborum, τοῖς ἠπειρώταις ξυμμάχοις, quæ pro dativis adciscit absolutis, corrigit versus Antiphanis apud Athen. L. VIII. p. 358. quos sic effinxit Casaubonus:

Ὡς ἄν τις ἄλλων ἐξενεχθέντων πότου,
Αὐτὸς διαλάβοι κραιπάλην ἑλληνικῶς.

Ipse autem ita:

Ὡς ἄν τοῖς ἄλλοις ἐξενεχθεῖσιν πότου,
Αὐτὸς διαβάλοι κραιπ. Ἑλλην.

διαβάλλειν κραιπάλην expl. *crapulam dissipare*, f. ut Plin. ait, propius ad Græcum, *discutere*. Ibid. occasione vocab. ἤδη, de loco adhibiti, opus esse putavit, ut etiam de tempore dici, aliquot locis, ut ignotum, probaret. Quem tamen ibi locum Charitonis, L. 8. p. 130. affert: πάντων, ἐπισταμένων, ἤδη σοῦ καταφρονούντων, sicque distinguendum, & recte a Cel. Reiskio versum dicit: *omnibus, ubi intellexerint, te contempturis:* tantum quod *mox, statim*, addendum fuerit: aliter longe nobis videtur, qui adduci non possumus, ut præsens, in isto contextu, præsertim addito ἤδη, pro futuro accipiamus, nec sic potius interpretandum distinguendumque censeamus: πάντων ἐπισταμένων ἤδη, σοῦ καταφρονούντων: *cum omnes, qui rem sciunt, iam te contemnant.* Nam quod præcedit, ἂν δημοσιώσῃς, non impedit, quo minus quibusdam passim nota res fuerit. Ad sextum quoque librum complura notaveramus: sed hæc interim

rim

rim ad indicandum duntaxat ac delibandum protulisse sufficiat. Ceterum tempus erit, quo *Bauerus*, V. Cl. Collega noster, cuius Exercitat. de Lectione Thucydidis, in qua Thucydidis loca plurima, & diligentius, & simplicius explicata sunt, si non consulere, at, meliora quidem prolaturus, refutare debebat, cum is ergo, quæ Vir doctissimus attulit, curiosius sumet excutienda.

LETTERA SOPRA UNA MEDAGLIA NUOVAmente scoperta di Carino Imperatore e Magnia Urbica Augusta sua Consorte, scritta dal Barone FILIPPO DE STOSCH, Accademico Etrusco, alla nobile Accademia Etrusca di Cortona.

In Firenze, nella Stamperia di Gio. Paolo Giovanelli, Stampatore della Società Columbaria, 1755. 4. con fig. 1. plag.

Quantum Historia antiquis numismatibus debeat, iam a multis haud vulgaris famæ eruditis ad nauseam fere demonstratum est; neque amplius in dubium vocatur, nisi ab iis forte, qui ignorantiam suam in his studiis, eorum contemtu obtegere satagunt. Perillustris Auctor huius epistolæ, novo exemplo, quid possint, collati ad historiam numi, lucis adfundere, comprobavit. Peritissimi historici & antiquarii, iam ultra centum annos inter se concertarunt, de marito, Magniæ Urbicæ; eius autem feminæ memoriam, ab antiquis scriptoribus fere silentio prætermissam, quidam superstites numi conservarunt. *Occo, Angeloni, Patinus*, Maxentii Imp. coniugem fuisse putarunt; alii Magnentii potius: sed hæc posterior sententia ab omni veri specie nimium quantum recedit. Nam, observante *Patino*, Magnentium, christianorum sacris addictum, cum muliere pagana matrimonium contraxisse, vix credi potest; quod autem Magnia Urbica gentilium superstitioni adhuc fuerit dedita, eius numi Venere Genetrice signati satis produnt. *Harduinus* quidem Carini imp. coniugem eam fuisse, aliquando scripserat, sed mox, pro

more

more suo, priore sententia mutata, Caro eandem tribuit, *Banduriam* secutus. *Genevrierius*, in peculiari dissertatione, (quæ est in Electis rei numariæ, a *Woltereckio* curatis, iterum typis exscripta,) eam sententiam late prosequutus est, plurimisque rationibus, a signatura numorum Magniæ Urbicæ petitis, firmare voluit: eæ tamen omnes *Spanhemio*, viro olim his litteris exercitatissimo, dubia eximere non potuerunt; ita ut, de Magnia Urbica locutus, nihil aliud scriberet, quam, feminam eam, ad tempora Claudii, Floriani, Probi, Cari, aut eius liberorum, Carini & Numeriani, pertinere. Certo cuidam marito tradere eam non est ausus. Auctori huius epistolæ, Viro eruditissimo, forte fortuna numus Carini Imperatoris obtigit, quem nos hic, quia ineditus est, æri incisum, exhibemus. In eius parte aversa Magniæ Urbicæ imago signata est, eo capitis & colli ornatu, quo in aliis numis conFig. spicitur, cum epigraphe: MAGNIA URBICA AVG. Est numus minimæ magnitudinis, ab agresti homine, cum aliis quibusdam ad eum allatus, & elegantissimæ, pro sæculi illius genio, cælaturæ, omni suspicione νοθείας carens. Ex hoc numismate illustriss. *Stoschius* colligit, Magniam Urbicam Carini Imperatoris coniugem fuisse; quod iam olim Harduinus, etsi timidiuscule, senserat: errasse igitur ceteros omnes, qui alios Magniæ Urbicæ maritos quæsiverint. Qua in re nostrum Ampliss. Viro calculum adiicere hoc minus dubitamus, quod notum est, Barbiam Orbianam, Alexandri Severi coniugem, Severinam Aureliani, &c. quarum apud scriptores veteres pariter nulla mentio facta est, suos demum veros maritos, sola numorum ope recuperasse, in quibus illarum capita cum istis Augustorum, vel in anteriore parte coniuncta, vel in aversa seorsum expressa, uti in hoc numo factum videmus, conspiciuntur. Fatendum quidem est, matrum, aut aliarum cognatarum Imperatorum effigies, in numis eorum nonnunquam pariter inveniri; ut Neronis & Agrippinæ capita in quibusdam numismatibus iuncta sunt; in aliquot Antonini Caracallæ, & Iuliæ Domnæ, & Iuliæ Mæsæ vultus conspiciuntur, quarum altera Imperatoris istius mater, altera matertera fuit;

ex

ex quo forte suspicio posset oriri, inprimis apud eos, quibus

TAB. IV. ad Nov. Act. Erud. A. 17



MEMORIE DI VARIA ERUDIZIONE DELLA SOCIEtà Colombaria Fiorentina.

more suo, priore sententia mutata, Caro eandem tribuit, *Bandurium* secutus. *Geneuterius* in ...

... ...natibus iuncta sunt; in aliquot Antonini Caracallæ, & Iuliæ Domnæ, & Iuliæ Mæsæ vultus conspiciuntur, quarum altera Imperatoris istius mater, altera matertera fuit; ex

ex quo forte ſuſpicio poſſet oriri, inprimis apud eos, quibus adhuc Genevrierii ſententia ceu vera placuit, Magniam Urbicam forte Cari uxorem, & Carini matrem fuiſſe, cui filius, vel etiam alii monetæ publicæ curatores, cum honorem habuerint, ut eius imaginem cum Carini Imperatoris effigie in aliquibus, forte paucioribus, numis coniungerent. Verum hæc obiectio tanti non eſt, ut ab Auctoris illuſtriſſ. opinione nos dimoveat. Carini enim vultus in hoc ipſo numo, ſeniorem iam ætate Cæſarem fuiſſe demonſtrat, cum contra Magnia Urbica iuventutis flore conſpicua ſit adhuc; quæ ætas Carini uxori omnino convenire videtur, neutiquam autem matri, quam tunc oportet, ſi adhuc fuit ſuperſtes, vetulam fuiſſe. Sub finem epiſtolæ, Perilluſtris Auctor, de numis quibusdam, illis, quos tertiæ magnitudinis inter æreos antiquarii vocant, minoribus adhuc, cuius etiam generis Carini hunc numum eſſe ait, ſingularem opinionem prodit. Egregii artificii utplurimum eſſe numos eos contendit, & typis minime vulgaribus inſignitos; unde coniecturam capit, eos ad vulgarem monetam neutiquam pertinuiſſe, ſed eſſe potius ad illos memoriales numos, quos Itali ſua lingua *Medaglioni* vocant, referendos. Hos ipſos deinceps, ſecundum diverſam eorum magnitudinem, in tres claſſes diſtribuit. Ad primam claſſem illos maximi moduli refert; ad alteram, quosdam prioribus longe minores, ſine litteris S. C. ſignatos tamen; tertiæ denique hos minimos, qualis hic Carini eſt, accenſet. Sed de hac Viri cel. coniectura, viderint, quibus eſt teſtata magno uſu antiquorum numiſmatum diiudicandorum ſcientia. Nobis nihil supereſt, quam ut inclutæ Cortonenſi Academiæ, quæ omnem rem litterariam, inde ab ortu ſuo, exornavit, & qui eius ornamentum eſt, Perilluſtri Stoſchio, elegantiorum litterarum ſtatori & vindici, bene precemur.

MEMORIE DI VARIA ERUDIZIONE DELLA SOCIEtà Colombaria Fiorentina.

i. e.

COMMENTARII VARIÆ ERUDITIONIS SOcietatis Columbariæ Florentinæ. Vol. I.

Florentiæ, 1. Alph. 11. plag. in 4.

Exhibentur in hoc volumine varia ingenii atque eruditionis ſpecimina, quæ orbis litteratus ſocietati Columbariæ Florentinæ debet, cui plura in poſterum bono litterarum, continuato hoc opere, debebunt Eruditi.

Præfationem cel. *Ant. Franc. Gorius* præmiſit, atque in illa de prima huius ſocietatis origine & fatis diſputavit. Fuſius vero hæc omnia in ea, quæ præfationem excipit, *Bindi Simonis Peruzzii* diſſertatione, *de origine & inſtituto huius Societatis*, commemorantur. Patet ex iſta, prima auſpicia, hanc inter litteratos quosdam amicos Florentinos inſtitutam societa-
P. XXXIII. tem, anno MDCCXXXV. habuiſſe. Obſervat ſubinde Auctor, primos illius ſocios privatim tantummodo conveniſſe, nec fuiſſe primis initiis unquam captum conſilium, exteros ſibi ſodales adiungendi, aut publicam inſtituendi ſocietatem; ſucceſſu vero temporis aliter, & exemplo quidem duarum exterarum ſocietatum, rem cecidiſſe. Refert eo Societates, alteram Pariſienſem, quam *l'adunanza del gabinetto* vocat, alteram Germanam, eamque Lipſienſem, per quam inſtitutum hoc noſtrum *Actorum Lipſienſium*, auſpiciis celeberrimorum Menckeniorum coeptum, intelligit; ſed parum adcurate Auctor hanc noſtram Lipſienſium Eruditorum ſcribendis Actis ſocietatem novit, ut ex his ipſius verbis, quæ la-
XXXIII. tine damus, ſatis ſuperque poteſt intelligi. *Societas haec*, ait, *per unum menſem congregabat ſe una vice, & circulatim quidem in ſociorum aedibus, qui eam conſtituebant; ac de quibuscunque eruditis argumentis in eiuſmodi conventibus inter ſe confabulabantur; de quo in orbem habito conventu, appellata ſocietas eſt* Krentzleine, *quod Italice ſignificat*, picciola corona.

Ipſius Societatis columbariæ primus ſtator, *Io. Hieronymus*
L. de *Pazzi*, ex nobiliſſima gente ortus fuit, cuius vitam resque

que præclare gestas fuse Auctor noster persequitur. Ex illa discimus, nobilissimum hunc virum, singularem litterarum amatorem & fautorem exstitisse, eamque ob caussam nonnullos eruditos Florentinos, sibi familiarissimos delegisse, qui convenirent quotidie stato tempore in illius aedibus, in quibus locum altissimum, ad quem scala maxime angusta ducebat, conventui huic destinaverat. Hinc factum est, ut, cum die quodam aliqui Socii eo se conferrent, alterque eorum per iocum diceret, viam ad *columbarium* esse, ceteri inde Societatis huius appellationem petere inciperent, eamque ob locum, propter altitudinem columbario fere similem, *columbariam* dicerent. Socii hi, quemadmodum eum in finem conveniebant, ut antiquis potissimum historiæ & litterarum monumentis lucem accenderent, maximo tum ardore incensi sunt, cum prope monasterium a *sancta Felicitate* dictum, quod tum reficiendum proceres curabant, multæ, eæque præstantes inscriptiones; maximam partem Christianæ, effoderentur. Hunc inventum thesaurum, felicissimum augurium, de insigni societatis futuro incremento, interpretabantur sodales, qui in dies magis magisque coepto suo proposito inhæserunt, inprimis cum & in aliis urbis locis, ex terræ cavernis, velut ex sepulcro, prodirent elegantissima picturarum & numismatum monumenta, quæ ipsis uberrimum proventum, largissimamque messem, promitterent. Quo maior autem hac in re ipsis affulgebat spes, eo acriore conatu id curare incipiebant unice, ut positis fundamentis, societas quoque, quæ tum inter privatos parietes quasi latuerat, ad formam rite perduceretur, atque in publicam mutaretur. Decerat patrona, sive Iuno quædam tutelaris: se igitur sodales præsidio *heroicae*, uti loquuntur, *virginis Florentinae, S. Mariae Magdalenae de Pazzi,* commendarunt, simulque lege sanxerunt, ut societas erga demortuos sodales se piam, devotam, gratamque exhibeat. Decernebatur porro, ut socii, stato tempore, & quidem quovis die Mercurii, convenirent. Omnes tunc in eo operam collocabant, ut symbolam quisque suam adferret, & eruditionis specimina elaboraret. Qui

Pag. LIV. LV. LVII. LIX.

 princi-

principes censebantur, curabant, ut, qui exclusi essent a
sodalibus, ingeniorum foetus, in publicam prodirent lucem.
Conventum & de sigillo, in quo duæ ad se invicem conversæ
columbæ conspiciuntur, additis verbis supra scriptis: MU-
TUIS OFFICIIS, siglis vero infra positis S. C. societatem co-
Pag. LXII. lumbariam designantibus. Uni ex sociorum numero negotium
commissum, in tabulas referendi omnia ea, quæ præstan-
tissima societas septem annorum spatio collegisset, inscriptio-
num adhæc, numorum, gemmarum, librorum cet. in-
dices accuratissimos conficiendi. Ipsi conventus primum
in supra laudatis ædibus Pazzii instituti, postea vero ad
alium locum, quem suis sumtibus societas conduxit, sedes eius
LXXV. translata est. Hæc de initiis huius utilissimi instituti suffi-
ciant. Ea, quæ de ipsa societate a Peruzzio disputata sunt,
excipiunt variæ dissertationes, adnotationes, ac litteræ, quas
ordine suo percensebimus.

Dissertatio prima, a *Io. Bapt. Passerio* conscripta, *de non-*
5. *nullis Etruscis monimentis, prope Cortonam nuper effossis; ex*
museo Coratii, exponit. Describuntur in ista quatuor monu-
menta ex metallo, quorum *primum* statuam feminæ stolatæ, &
torquibus ornatæ, refert; *alterum* puerum nudum, avi-
culam manu sinistra tenentem, bullis ad collum, amuleto
ad brachium, adpensis. A femore ad imum fere pedem
decurrit inscriptio Etrusca, his vocibus:

VELIAM. FANACNAL. THUPHTLTHAM
ALPAN. AENALIE. CLEN. VELIA. TUTHINEM.
TLENALIEIM.

Tertium monumentum est ara leoninis pedibus innixa, in co-
lumnæ modum exsurgens, & litteris Etruscis ornata. Supe-
rior eius pars læsa & fracta sine dubio, ut ex picturis Etrus-
cis adparet, crateris formam habuit, in quo ignem alere sacro-
rum caussa solebant. *Quartum* denique monumentum est ba-
tillum æneum, scite fabrefactum, quo antiqui, cum aræ
carbones imponere vellent, utebantur. His propositis, Au-
7. ctor recte monet, caute secernenda esse monumenta Etrusca
ab aliis; peritissimum quemvis facile posse falli, nisi ex
certis

certis quibusdam ſignis, ad quæ materiam potiſſimum, terram
videlicet Etruſcam, refert, iudicium feratur. Quatuor hæc per-
cenſita monumenta ad Etruſcorum numerum pertinere, variis
argumentis A. probat, additque, ea neutiquam votorum claſſi Pag. 10.
eſſe adſcribenda. Sententiæ ſuæ argumentum ex eo petit,
quoniam nunquam figuræ humanæ votorum inſtar diis fuerint
oblatæ, nec pro votis haberi unquam debeant imperatorum
ſimulacra in templis poſita, aliæve figuræ humanæ, in locis
olim ſacris collocatæ. Obſervat porro, imagunculas deorum 12.
oblatas tanquam vota fuiſſe, exiſtimatque, eas ſtatuas, de
quibus ipſe diſputat, ſine dubio ad eorum cenſum pertinuiſſe;
niſi quis dicere velit, deſtinatas larariis in ædibus privatorum
fuiſſe. Quod nomen referant ipſæ ſtatuæ, de eo adhuc du-
bius eſſe A. videtur. Obſervat, Etruſcos veteres coniun-
xiſſe utplurimum duas ſtatuas, alteram quæ marem, alte- 15.
ram quæ feminam, unius eiusdemque ceteroquin officii,
referret. Inde coniicit, alteram pro genio, alteram vero
pro *genia*, uti ait, haberi poſſe; etſi non disſimulat, ma- 16.
iori aliqua probabilitate, ſtatuam pueri ad Tagetem, aut 18.
ad Iovem puerum, referri. Quomodocunque vero res
ea ſe habet, ipſe omnium tutisſimum eſſe arbitratur, ſi
pueri ſtatuam, omnesque reliquas huic ſimiles, lares domeſti-
cos exprimere dicatur, ita ut illa, quæ feminæ ſpeciem ha- 29.
beat, eadem ſit, cum ea, quæ ad pueri formam effiƈta eſt, obſer-
vato tantummodo ſexus diſcrimine. Quæ ſequuntur, de Etruſ- 32.
corum conſuetudine, in ſtatuarum femora ac pedes litteras in-
cidendi, ac diſcrimine Romanæ atque Etruſcæ, in ſtatuas in-
ferendi litteras, rationis, exponunt. Ipſas inſcriptiones Etruſ-
cas, tam in pueri ſtatua, quam in ara expreſſas, nihil niſi
nomina earum feminarum, quæ dona hæc obtulerint, conti-
nere arbitratur, ac utrumque donatum eſſe forte a quibusdam 35.
ex familia Velia.

Diſſertatio II. eiusdem Auƈtoris eſt. Diſputatur in 41.
illa *de oſſilegio veterum.* In primis vaſorum fiƈtilium in ſe-
pulcris ratio oſtenditur, ac de eorum diverſis ſpeciebus, 50.
deque illis, quæ *lacrimatoria* vulgus adpellare ſolet, exponitur.
Multa præclara in hac diſputatione argumenta in medium ad-

Pag. 54. feruntur, quæ non ſolum uſum horum vaſorum, ſed etiam totam rem funerariam veterem, maxime oſſilegii ritum, egregie illuſtrant. In primis coniecturam, quod vaſa eiusmodi ad oſſicula crematorum cadaverum in illis reponenda nonnunquam adhibita fuerint, omni modo probabilem reddere Auctor conatur. Oſtendit etiam, formulam illam: *homini mor-*
56. *tuo oſſa legere*, diverſam fuiſſe ab alia: *hominis mortui oſſa legere*.

Diſſertationem III, *de ſervis & libertis antiquorum Lud. Ant.*
64. *Muratorius* exaravit. Celeberrimus Auctor vocem *Schiavo, Sklave*, ab antiquis Sclavoniæ incolis, vel bello captis, vel exſulibus, & ab aliis nationibus ad ſervilia miniſteria coactis, deducendam eſſe arbitratur. *Pignorium* vero inprimis reprehendit, quod ſuo de ſervis commentario, ſervos & libertos, aut
67. potius eorum officia propria, inter ſe male confuderit. Docte id exemplis multis demonſtrat, in probandi ſubſidium vo-
72. catis variis antiquis inſcriptionibus; multaque dein libertorum miniſteria atque officia, maxime in Cæſarum aula, ex
74. monumentis priſcis percenſet.
75. *Diſſertatione* IV, *Marius Guarnaccius* de *legibus* XII. *tabularum* diſputat, & legum Romanarum hiſtoriam, a prima origine, uſque ad totalem illarum propagationem percenſet. Diſputat Auctor de prima legum origine, earumque
75. per omnes fere nationes antiquiſſimas dimanatione; quo fa-
81. cto ad Romanos orationem refert, ac de legibus regiis, de le-
84. gibus decemviralibus, iure Flaviano, Æliano; de prætoribus, legum apud Romanos earumque ſanctitatis cuſtodibus ac vin-
86. dicibus; de ſenatusconſulto, populiſcito, plebiſcito, de veterum Romanorum iureconſultis, ac legum apud eos interpretibus; de eorum inter ſe controverſiis, ad legum ſententiam
88. demonſtrandam ſpectantibus; de ſtatu iuriſprudentiæ, eiusque fatis tempore imperatorum, cæſarum; de horum legibus; de edicto perpetuo; de Iuſtiniani inſignibus, quoad legum con-
92. ſervationem & diſpoſitionem, meritis; tandem de fatis earum
96. ſequentibus temporibus loquitur, ita tamen, ut plurima rerum diſputatarum pars, longe curatius ac ſolidius in antiquitatum Romanarum noſtratibus compendiis pertractata videatur.

Diſſer-

Dissertatione V, socius columbarius anonymus Livium doctissime defendit, propter varias prodigiorum narrationes, quas ille historiæ suæ intexuit, & quarum caussa non solum a *Possevino, Casaubono*, aliis, in superstitionis, & anilium ineptiarum patrocinii suspicionem vocatus; sed ipsi quoque eius libri, a Summo Pontifice Gregorio magno, concremati sunt. Ipsam Livii caussam mascule agit Auctor. Primo ostendit, etiam apud alios auctores eiusmodi prodigia, nominatim apud Dionem, Appianum, Pausaniam, Plutarchum, Lucanum, litteris consignata reperiri. Observat deinde, scriptorem, interspersis per seria lepidis narrationibus, lectoris tædium antevertere voluisse. Populi quoque Romani genium, ad superstitionem maxime proclivem, historicum ad eas res commemorandas adduxisse putat; ne odium ipsius gentis, cuius scriberet historiam, in se concitaret. Addit, partes boni historici efflagitare, ut characterem populi, de cuius rebus gestis agat, sollicite exprimat, quod non melius fieri posse sibi persuadet, quum superstitiosissima gens fuerit, quam facta horum prodigiorum, quæ illa sibi finxerit, commemoratione. Recte denique adnotat, a Livio quidem prodigia esse memorata; sed neutiquam quæ ipse pro veris habuerit, sed quæ superstitiosa plebs facta esse sibi persuaderit: quam in rem haud immerito ad frequentes in Livio loquendi formulas: *temere credita sunt, nuntiatum est, fertur, dicitur*, quum de prodigiis sermo est, provocat. Adhæc multa apud Livium in portentis habentur, quæ naturæ ordine & vi facta sunt; nullo scriptoris errore, sed quod vulgo prodigia putarentur. Negari quidem non potest, esse in Livio, quæ ultra naturæ vires adsurgere videantur, ut lapidum pluvia, sudor statuarum sanguineus, animalium loquela: sed neutiquam illorum commemorationem historico vitio vertendam esse A. putat, quum quæ contigisse dicerentur, ille solum referat; nec certo constet, numne illa, si qua fuerint, aut nebulonum astutia populo persuasa, aut mali genii artibus producta fuerint.

Pag. 100. 102. 106. 107. 109.

Disser-

Pag. 111. *Dissertatione* VI, idem Auctor argumentum, quod tractandum suscepit, ulterius persequitur, ac de nonnullis miraculis speciatim, a Livio memoratis, disputat. Refert eo lapidum pluviam, *libr.* XXI. *cap.* 61. *libr.* XXVII. *c.* 37. *libr.* XXX. *c.* 38. *libr.* XXXVI. *c.* 37. *libr.* XLIII. *c.* 13. simul locum scri-
113. pturæ sacræ *Jos.* X, 11. ubi similis pluvia commemoratur, illustrat. Etiam grandinis rationem exponit, ac monstrat tandem, eiusmodi pluviam ex naturalibus caussis provenire posse. Eas inprimis in ventis, quando hi æquali vi e diametro quasi sibi invicem occurrunt, ponit, atque ex eorum concursu alia miraculosarum pluviarum genera, quæ passim in antiquis scriptoribus commemorentur, illustrari posse sibi non male persuadet. Eodem modo etiam de animalium loquela apud
122. Livium disputat, ac putat, eam nihil aliud, quam insolentem aliquem mugitum, aut sonum fuisse, quem postea augures, ut superstitiosam plebem fallerent, interpretari, atque ex eo verba quædam extorquere, agressi sint.

127. *Dissertationis* VII. Auctor est *Io. Dominic. Bertolius.* Ea antiquum Christianum monumentum æreum illustratur. Figuram habet rotundam. In medio visitur notissimum illud
129. monogramma Christi. Ab altero istius latere manifeste apparet more consueto littera A; ab altero vero Ω. Additus est tam in superiori, quam inferiori parte, anulus. Monogramma circumdat corona, ex foliis composita. In medio monogrammatis est foramen, ad ovi figuram accedens, cuiusmodi & alia in ipso monogrammate cernuntur. Auctor noster monumentum hoc pro insigni quodam militari veterum Christianorum habet: multa ceteroquin satis vulgaria, de di-
135. cto illo monogrammate, ac vexillo, labaro, insignibusque veterum, eorumque apud hos ratione ac sanctitate, differit. Existimat, insigne hoc militare labaro adfixum, foraminibus vero gemmas pretiosas inditas fuisse. Addit nonnulla, quæ ad Constantinum Imperatorem pertinent, simulque varias inscriptiones, in ipsius honorem positas, illustrat. Ipsum monogram-
151. ma ornat corona, quod & alibi sæpe numero factum esse, ex aliis monumentis Christianis, Auctor demonstrat. Vitis folia sunt, ex

ex quibus ipsa corona est conflata, cuius rei caussam ex eo deducit, quod Servator noster sese cum vite comparaverit. Ad- Pag. 152.
dit denique, si monogramma non ad vexillum pertinuerit, adfixum id esse potuisse arcae aut urnae cuidam, in qua reliquiae olim repositae fuerint; nisi alii dicere velint, columnae forsitan id adorationis caussa impositum, & in altum erectum fuisse.

Dissertatio VIII. complectitur *compendium methodi analyticae, qua vir generosissimus Ioannes de Baillou usus est, in conficiendo de lapidibus pretiosis, metallis, mineralibus, aliisque fossilibus, opere.* Praemissis litteris cel. Gorii ad modo dictum au-
ctorem, additaque huius responsione, sequitur illius commen- 155.
tatio, qua de edita in lucem publicam Ioannonis de S. Lauren- 165.
tio brevi descriptione sui musei exponit, ac *parte prima* de 173.
mediis analyticis singularibus, quae in componenda sua historia
naturali sequutus est, *parte* vero *altera* de ipsa divisione huius 204.
operis universalis, commentatur. Hanc excipiunt litterae Io-
annonis de S. Laurentio, ad virum generosissimum Ioann. 231.
de Baillou scriptae, quum modo memoratam musei descriptionem ipsi offerret.

Dissertatio IX. brevem summam eorum, quae a. d. XII. 235.
mens. Martii a. MDCCXLVI. in societate Columbaria gesta sunt, complectitur. Hanc excipit

Dissertatio X. inscripta: *novum consilium, pertinens ad rem*
diplomaticam, amplificandae rempublicae litterariae, Au- 243.
ctore *Dominico Maria Manni.* In docta hac commentatione monstratur primum, multos libros variis auctoribus per fraudem attributos esse; nec sine damno, aetatem & patriam,
nomina, praenomina, cet. multorum scriptorum ignorari: osten- 248.
ditur dein, quam luctuosus sit tot praestantissimorum priscorum ingenii monumentorum interitus, cuius caussam & illis quodammodo tribuendam esse censet, qui magnae molis opera in brevem summam olim contraxerint. Additur
porro, artem typographicam, utilissimam ceteroquin, iactu- 259.
ram hanc nullo modo omni ex parte resarcire posse. Acce-
dit Auctor deinceps ad eos, qui vetustos scriptores in aliam tradu- 262.
xerunt linguam, eosque saepe pro ipsis auctoribus habitos esse

memorat. Uti vero utiliſſima veterum ſcripta nonnunquam perierunt, ſic alia, quæ nobis benignior indulſit fortuna, multis ſcatent vitiis, quorum magnam partem librariis & typographis tribuendam eſſe, monet. Malo huic ſubveniendum ita eſſe, cenſet, ut ſpecimina variarum ſcriptionum, litterarumque ductus, ex autographis doctiſſimorum virorum, pro diverſis ſeculis, quæ undique in bibliothecis laterent, æri incidantur. Huius rei ope, optime codices manuſcriptos legi
Pag. 269. ab omnibus, multosque errores tam evitari, quam aboleri poſſe, auctor noſter autumat, quod exemplis illuſtribus oſtenditur.

Finem primi huius exercitationum ſocietatis Columbariæ to-
279. mi, facit collectio antiquarum aliquot inſcriptionum, recens in regno Neapolitano effoſſarum. Harum ſecunda incipit: D. M. & exit verbis Chriſtianorum marmorum propriis: IN PACE. Quæ inter ſe diverſa ita conciliari poſſunt, ut priores ſiglæ aut ita explicentur: *deo magno*; aut dicatur, chriſtianum hominem uſum eſſe marmore pagano. In quinto marmore hæc non ubivis obvia loquendi ratio occurrit: *cum qua vixi an. XXII. ſine ullo ſtomacho*. Inprimis undecima inſcriptio Græca memoratu digna eſt, quippe in qua, præter varia ibi memorata certamina, *fratriarum* & *Eumclidarum* mentio fit, ac T. Flavio gratiæ aguntur, quod Dioſcurorum ſtatuas in *fratria* dedicaverit. Lapis decimus tertius T. Aelii Amintæ, Aug.
284. lib. *medici auricularii*, memoriam ſervat. De altero elegantiſſimi inſtituti Tomo, qui nuper ad manus noſtras pervenit, propediem dicemus, agemusque iterum *Gorio*, V. Cel. gratias, quod pergat ornare rempublicam litterariam, edendis ſocietatis Columbariorum litterariæ diſſertationibus.

AGGEI HAITSMA, ECCLESIASTAE IN PAGO Wiek, Curae philologico-exegeticae in Geneſin, ſive explicationes difficiliorum per omnia fere capita locorum, quibus nova, aut uberior ex ditione orientali, Hebraeae linguae affini; nec non ope vocum ex compoſitis ad ſimplices deductarum, ſuisque originibus reſtitutarum, lux adfunditur. Accedentibus locorum, vocabulorum, rerum,

quae

quae vel ex professo, vel in transitu illustrantur, tanguntur, necessariis indicibus.

Franequeræ, excudit Iacobus Brouwer, bibliopola & typographus. 1753.
Alph. 11. plag. 18.

Auctor operis huius, quod Serenissimæ *Annae*, principi Arausionensi, Belgii foederati gubernatrici, nuncupavit, primas iamdum lineas duxerat in Academia Franequerana, in qua tum temporis litteris operabatur. In præfatione utilitatem linguarum orientalium, potissimum Arabicæ, in sacrarum litterarum scrutinio, ostendit, & quod pretium versionibus sit statuendum, demonstrat. Ipsam illam viam, quam Cel. *Schultensius* calcavit, ingreditur, radices ac significatus, apud Ebræos non amplius superstites, ex idiomate Arabico repetens. Hanc nequaquam aspernandam esse viri eruditi dudum iudicaverunt; sed vero & certos hic limites figendos esse prudenter monuerunt, ne ad linguam Arabicam confugiamus ante, quam ob defectum radicis, vel significatus, necessitas id efflagitet. Omnino inter linguas orientales, adfinitas quædam & coniunctio intercedit: sed ubi vox ex una in aliam demigrat, alienum sæpe significatum accipit. Linguæ in perpetuo sunt fluxu, voces aliæ obsolescunt, novæ subinde finguntur, in alios degenerant significatus: prudentiæ igitur est circumspicere, ne quem in interpretatione scripturæ, speciatim prisci foederis, admittamus sensum, qui non scopo scriptoris; rei, de qua sermo; & toti orationis nexui conveniat, cumque aliis veritatibus, per divinas litteras sparsis, in concordiam mitti queat: qua in re versiones antiquæ, iis temporibus confectæ, quibus lingua Ebræa adhuc in usu erat, vel quæ non longe inde absuerunt, multo usui esse possunt. Ad has leges num Cl. Auctor interpretationes suas exegerit, unusquisque ex libri huius lectione, vel etiam ex iis, quæ enotabimus, facile iudicabit. Interpretationes quidem fere omnes sunt novæ; sed num in universum sint solidæ, & certæ, speciminibus adducendis cui-

que clarum faciemus. Multas, præter necessitatem, nostro quidem iudicio, voces compositas format, & illas aliquando ex pluribus una lingua conflatas; radices vocum sæpius ex Arabica arcessuntur, quarum tamen ratio ex Ebræa dari potest. In interpretationibus suis a versionibus antiquissimis crebro discedit, & quas ipse dat, per omnes dialectorum formas ducit, ut adeo difficiles non solum, verum etiam coactæ videantur. Per singula ire institutum nostrum non patitur; ex iis autem, quæ in medium adducemus, iudicium nos nostrum haud præcipitasse patebit. Hoc tamen laudi cedit viro eruditissimo, ipsum in his curis insignem linguarum orientalium, ac rei grammaticæ notitiam prodere, proindeque si, quo coepit, pede perrexerit, egregia olim daturum, magisque ingenio perfecta, confidimus. Sed tempus est, ut ad opus hoc ipsum nos convertamus.

Primus locus, quem illustrandum sumsit, est Gen. II. 4. Viam explicationi straturus, observat, dari apud Ebræos, ut & in aliis linguis, voces compositas, in quarum censum etiam refert vocem תולדוה, qua de sua sententia, tanta cum confidentia pronuntiat, *id neminem, nisi qui cum ratione insanire cupiat, negaturum esse.* Hoc posito, vocem compositam esse vult ex לֵדָה *partus*, quod in numero multitudinis faciat לֵדוֹת, in statu constructo לְדוֹת, & תוֹ, quod sit ex תוֹ *signum*, vel ex תָּוֶה, ad formam nominum תָּוֶךְ, מָוֶת, quæ in regimine cholem accipiunt, vel ex תוֹא quiescente א in fine. Hinc vocem תוֹלְדוֹת explicat per *signum*, vel *descriptionem partuum;* quo pacto notio *historiae* voci huic inest, sed quæ primario scopo de partubus, sive generationibus agit, & per consequens pro *signis*, vestigiis, descriptionibus originum humanarum, & rerum aliarum, accipi potest. Conferri vult locum Gen. XXXVII. 2. Sed enim cum negari nequeat, voci huic radicem ילד ortum præbere, תו certe a לדות divelli nequit, & si tandem hæc viri doct. derivatio in eundem sensum, qui voci alias datur, tendit, quæ ratio erat, eundem per tot gyros & ambitus, tandem invenire? In numerum vocum compositarum coniicit, & illud בְּרֵאשִׁית Gen. I. 1. quod compositum vult esse ex בָּרָא *creatio,* & שִׁית *fundamentum, id,*

quod

quod poſitum eſt, unde plurale שִׁתוֹת ex שִׁיָתוֹת contractum,
ut hinc titulum referat, qui *fundamenti creationem*, Batavis, de
Grondſcheppinge, directe inſinuet. Verum datur apud Ebræos
vox ראשית, *initium* denotans, cui præmiſſa eſt littera ב,
quod dageſch lene impreſſum indicat, quapropter verſiones
omnes reddunt *in initio*. Contra ſi tituli vicem præſtaret, per ac-
centum diſtinctivum a ſequentibus vocibus disiuncta eſſe debe-
ret, & tum illæ eundem, quem hæc, ſenſum funderent. Oc- Pag. 1-15.
caſione data illuſtrat locum Hoſ. XIV. 3. ubi פָּרִים ex ſingul.
פְּרִי, ad formam דְּלִי *ſitula*, *fructus*, ſeu *apertiones* ſignifi-
cant. Vocem שִׁילֹה ex arab. سل *tranquillo*, *contentoque
animo fuit*, *expeditum reddidit*, *liberavit*, *pacavit*, *deducit*. Vo- 16-18.
cem אד, quod ad v. 6. c. II. notat, ex rad. arabica, *circum-
ſtandi*, *gravandi*, *premendi*, ſignificatum habente, ortam vult,
indeque recte converti poſſe colligit, per *aera*, vel *congeriem
vaporum*, & *terrae exhalationem*, qui in nubem coaleſcant &
compingantur, ut viſibiles evadant, conf. Iob. XXXVI. 27.
Hi vapores adſcenderunt ex terra. Creatis luminaribus, &
functiones ſuas incipientibus, aer ille gravis, qui atmoſphæ-
ram circumſtabat, per columnas quaſi in altum adſcendit, un-
de nubes ſunt foecundatæ. Verbum שָׁקָה non de levi roris
irrigatione, ſed de pluvia, proprie ſic dicta, quæ in penetra-
lia terræ ſe inſinuat, & imas arborum radices ferit, eſt intelli-
gendum. Vox האדמה ſenſu ſtrictiori denotat plagam quan-
dam, ad ſolis ortum vergentem, in qua poſt paradiſus
plantatus eſt conſpectus. Verba v. 7. ויצר את האדם עפר, 21-26.
præmiſſis quibusdam de vi ac poteſtate ו converſivi, vertit: *et
formavit Iehovah Deus hominem pulvereum*, ut עפר adiective
ſumatur, ad formam nominis חָכָם, prouti Paullus
1 Cor. XV. 47. explicat: ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς
χοϊκός. מן האדמה, *ex quadam regione*, vel *terrae dioeceſi*, a
deo ſeparata. Per נשמת חיים *vitam* tantum *animalem* in- 26-31.
digitari, arbitratur, ſimul tamen fatetur, ſe ab illorum ſen-
tentia, qui hominem mere animalem eſſe, contendunt, toto
animo abhorrere, a ſtatu vero ſpirituali hominem deſcribi c. I.
26. 27. Vocem הַבְּדֹלַח, quæ adhibetur c. II. 12. com- 31-34.

 poſi-

positam vult ex ה demonstrativo, & ברו, ex ברר, vel ברי ex ברה, inserto ל ex חל, vel arabico אל, item לח. vel לח, a rad. לוח, quæ apud Ebræos deest, superest autem apud Arabes, significans, *micuit*, *splenduit*, *manifesto adparuit*, quod cum virescendi notione facile componi potest. Ex his conficit, vocem בדלח reddi posse per *primam micationem*, sive *singularem splendorem*, atque id ad *uniones*, vel *margari-*
Pag. 40-44. *tas*, ex sententia *Bocharti*, adplicat. Ad v. 20. demonstrat, nomina non singulis animantibus ab Adamo esse imposita, sed illis nomina generalia fuisse data, se quidem adpellasse האדם, animantibus mutis nomen בהמה, feris חיה, volucribus עוף, impertiisse. Ea vero de caussa Deum Adamo adduxisse animantia, ut ab omnium animalium generibus certo nomine se distingueret, & inde, experimento capto, cognosceret, in illorum consortio locum sibi esse nullum. Vocem תרדמה
57-63. v. 21. conflatam esse putat, ex תר & דמה, quod est a דום *siluit, obmutuit, quievit*, תר vero est a יתר, quod ortum ducit ex יתר, *reliquum, residuum esse, superesse, abundare, lucrari*: hinc exponit per *supervenientem quietem*, vel *radicem quietis*, quo sensu veniat vox 1 Sam. XXVI. 12. Prov. XIX. 15. Iob. IV. 13. Ies. XXIX. 10. Gen. XV. 12. Inde quæritur, num somnus hic fuerit *ecstaticus*, quod negat. Per *somni* autem *radicem* non intelligit somnum profundum, sed proclivitatem in somnum, per quam non omnis sensus fuerit ablatus, ita tamen ut non videret, quid ageretur. צלע ipsi non est *costa carne vestita*, nec *latus*, sed costa carne vacua, quod probat ex ויקח, quod est a נקח, apud Arabes superante, sensum *decorticandi*, *cortice nudandi*, & sic porro, habente. Igitur ubi dicitur: ויקח אחת מצלעתיו explicat, *& evacuavit unam e costis eius*, per nudam costæ ablationem, locum autem illum סגר *obstruxit* car-
63-75. ne, vel *obstruxit* carnem loco eius. Occasione v. 22. deflectit ad vocem ינין Ps. LXXII. 17. cuius plenam lectionem vult esse יבנין, ut sit formæ hiphilicæ, & dagesch forte in נ sit indicium litteræ deficientis. Hinc verba לפני שמש יבנין שמו vertit, *ad plagas solis commorabitur nomen eius*, vel potius, *stare facit* instar signi alicuius nomen suum, Messias.

ſias. Inde pariter rationem nominum כין & כנן, abiecta prima littera ב, dari poſſe, arbitratur. Eo quoque refert vocem מנון *filius*, ortum ducentem ab obſoleto מנן, quod apud Arabes adhuc ſupereſt, & inde verba Prov. XXIX. 21. ואחריתו יהיה מנון convertit, *& poſteritas eius ditata erit.* Ad c. III. 17. quare dageſch forte ſit impreſſum voci עֵירֻמִּים Pag. 77-79.
diſputat, rationem hanc dans, quoniam ſit ex radice tertia geminata: poſitum igitur eſſe pro עֵירְמְמִים, inſerto י ex ſpeciali coniugationis apud Arabes forma. Inde inquirit, qui ſignificare poſſit & *nuditatem & calliditatem.* Cl. *Clericus* vocem חגרת non per *ſubligacula, velamenta*, ſed *tabernaculum, ſcenam*, interpretatus erat, quem ſolide & nervoſe refutat, accurate demonſtrans, vocem hanc proprie denotare *tegumenta*, quibus pudendorum adſpectus prohibeatur. No- 87-94
men חַוָּה, quo v. 20. prima mater ab Adamo eſt inſignita, fluxiſſe videtur ipſi ex חַבָּוָה. denotante *indecoram, obſcenam, impuram, ad lapſum proclivem, & perdentem fortunam.* Verba כי הוא היתה אם כל־חי explicat, *quia fuit mater*, ſive *origo omnis pudoris*, interpretationis ſuæ rationem ex arabiſmo arceſſens. Sed enim quæ neceſſitas cogit, ut aliunde 96-102.
opem petamus, ubi domeſtica eademque ſufficientia adſunt ſubſidia & adminicula? ex Ebræa quippe lingua nominis huius rationem expediri poſſe, a viris eruditis abunde eſt demonſtratum, eorumque interpretatio antiquiſſimorum interpretum auctoritate fulcitur. Num probabile eſt, voluiſſe Adamum, poſtquam in foedus gratiæ recepti erant, peccatum admiſſum coniugi opprobrare? Et an ita uxorem conviciando, ſatis integrum ſe præſtitiſſet? nonne ita propriam culpam palliaſſet? Certe non ſola Heva cauſſa & origo peccati omnis atque infortunii inde ſecuti fuit, ſed conſenſus in idem peccatum, quem, blanditiis Hevæ motus, dedit Adamus: quare etiam peccatum, & quæ cum illo coniuncta erat mors, in divinioribus litteris non ab Heva, ſed Adamo arceſſitur Rom. V. 18. 19. In verſu 1. c. IV. illuſtrando ubi verſatur, prolixe ſatis demonſtrat, quæ ſit poteſtas verbi ידע, quo conſuetudo coniugalis per ευφημισμον circumſcribitur,

cuius

cuius primigenia notio, ipso iudice, ex arabismo est, *posuit*, & quidem *ad adversandum* aliquid *deposuit*. Quare verba והאדם ידע חוה ita exponit, *& Adamus posuit* in Hhavva,
Pag. 117- (ut ב ante חוה elliptice sit omissum) *& concepit*. Vocem
124. איש reddit per *dominatorem, dominum*, ut sic in primam promissionem digitus intendatur, את יהוה pro מֵאֵת *a*, vel *cum Iehova*, adiuvante sc. illo, hinc nomen Iehova non con-
124-129. iungitur cum איש, nec de semine nato dicitur. Adnotationes in v. 11. potissimum destinatae sunt investigationi nominum Caini & Habelis. Prius, reiectis aliorum interpretationibus, descendisse vult ex rad. קון, vel קין, quae superest in قان vel قَيْن, quod, *Golio* interprete, significat *cudit ferrum, collegit in unum, recteque composuit, rem concinnavit*, & sic porro. His constitutis, adfirmat, vocem קין referre antiquam participiorum formam, quae apud Arabes in verbis medii waw & je concavis deprehendatur. Hinc significatum nominis huius hunc esse contendit, *qui manibus operatur & concinnat*. Ita vero a vitae sequentis conditione adpellatus esset, contra quam p. 132. adversus illos, qui rad. קין constituunt, notaverat, *ante hoc tempus, vel nullum, vel aliud*
129-140. *nomen habuit*, sed *neutrum illi probabile est*. Ab opere pariter, cui postea vacavit Habel, nomen illius derivat, conflatis invicem rad. הבל & אבל, ratione habita significatuum apud Arabes, ut sic denotet *praefectum pecoris*, vel *rei pecuariae*
140-143. *gnarum*. Ad v. 7. observat, vocem חטאת positam esse in statu absoluto, רבץ participium positum esse pro imperativo, vel futuro, & illi vim quiescendi inesse, hinc sensus emergit, *ad peccati victoriam cuba*, i. e. quietem quaere in vincendo peccato. *Si bene egeris*, שאת *elatio* est, ut sic adludatur *ad*
146-149. *delapsas hominis in confusione pudoris, timorisque facies*. De signo Caini ad v. 15. hanc profert coniecturam, vel verba illa כל הרג קין שבעתים יקם, Deum per Adamum, vel alium quendam glasto, vel alio stigmate, sive manibus, sive alii corporis parti impressisse, vel, quod magis Nostro placet, Deum per Adamum, vel alium, in pertica, vel palo, *effigiem istius sententiae* erigi curasse, in Caini gratiam & animi tranquilli-

quillitatem. Verbis, quæ leguntur v. 23. Lamechus quere- Pag. 164.
las effundit ob mala & ærumnas, quæ ipſi tum iuveni, tum 170.
viro, cauſſa polygamiæ obvenerint. Ad v. 25. commentatur, 181-187.
nomen שת filio Adami forſitan demum impoſitum fuiſſe, ubi
Heva cum tempore tum ex ſignis veræ fidei ac pietatis, tum
benevolentiæ divinæ indiciis animadverterit, eum Meſſiam
typice repræſentare, & ad ſemen mulieris ſpectare. Nomen
שת deducit ex rad. arabica, quæ ſignificat *diſperſus, ſeparatus,
diſtinctus fuit*, quoniam deus mature admodum gratiæ ſuæ
donis, in hunc collatis, a ſemine eum ſerpentis alienum eſſe,
demonſtravit. *Semen* אחר reddit *ſemen inimicum*, imo *inimi-
ciſſimum*, utpote quod ſerpenti ac ipſius ſemini prorſus ſit ad-
verſum & contrarium, actionibus in laudem veri dei directis,
& veram in Meſſiam fidem teſtantibus. Verbi הוחל v. 26. 187-193.
radicem conſtituit חלל, cuius poteſtas primigenia in *ſolvendo*
ſita ſit, inter ſecundarias notiones eſt *quieſcere, alicubi ſubſi-
ſtere, morari.* Hinc verba ita interpretatur, tunc ceſſaſſe
publicum religionis exercitium, & veram religionem certæ
familiæ (Sethinæ) incluſam fuiſſe, ſeque a perverſis Cainita-
rum erroribus intaminatam ſervaſſe: unde ſequebatur, ut &
hi ſe non amplius a deo nominarent. צהר v. 16. c. VI. ex 194-198.
צ pro צו, vel צוה & הר conſtare, & *receptaculum lucis* de-
notare, contendit. מלמעלה pariter vocem compoſitam
eſſe vult, quam reddit *ab extrema ſuperioritate.* Verborum
תחתים שנים ושלשים תעשה hunc ſenſum eſſe, cenſet:
Noachum feciſſe ſubordinatas contignationes, quarum inferior
continuerit duas diſtantias, ſeu intervalla, ſuperior tres, quarum
una e tribus ſuperioribus in uſum Noachi cum ſuis ceſſerit,
quatuor reliquis inſervientibus beſtiarum commorationi, ea-
rumque pabulis. מבול c. VII. 6. cuius radix יבל apud Arabes 216-224.
ſuperſtes, notat *imbrem effudit copioſe & vehementer pluit coelum*,
ſignificat *magnum aquarum fluxum*, ſeu *fluxum copioſum & ve-
hementem.* In verbis והמבול היה habetur antecedens, *&
fluxus vehemens imbrium fuit*, conſequens מים *& aquae* fue-
runt *ſupra terram*, ut adeo היו deficiat. טרף c. VIII. 11. iun- 229-231.
ctum זית adiective ſumitur, ut ſic denotetur *folium olivae recentis*,

 vel

vel *generosae in ore eius*, quod quoniam succo plenum erat,
Pag. 231. intelligebat inde Noachus, aquas iam levatas esse. ערירי
235. c. XV. 2. ipsi est spe vana lactatus, eo quod impletionem
255-259. promissionis de semine dando nondum viderat. מֶשֶׁק est
ex rad. arabica, quæ *curam* innuit, hinc בן־משק designat
curatorem domus. Illustrat hac occasione locos Zeph. II. 9.
Ies. XXXIII. 4. Eliezerem Abrahamus adpellat filium, qui ornamento familiæ Abrahami erat, non solum quod curam rerum domesticarum illius, totiusque familiæ sustinebat, verum etiam quod procreatione liberorum Abrahami, sic proprie dictam familiam exstruebat, quemque proinde adoptare decreverat. דַּמֶּשֶׂק non est nomen proprium loci, sed
261-271. nomen adpellativum. וְנֹכַחַת c. XX. 16. est ex rad. arabica
نكح *matrimonio sibi iunxit feminam, uxorem duxit*, ut sic sit participium præsens kal, feminini generis, hinc explicat, *&
nubens esto*, vel *nupta eris*, כסות עינים est *velamen ocellatum*,
unde, ipsam nuptam esse, cognosci poterat, quali velamine
280-284. etiam se texit Rebecca, Gen. XXIV. 65. אחזת c. XXVI. 26.
est nomen proprium hominis, מֵרֵעֵהוּ est compositum ex
מ & רֵעַ quod aliquando notionem pastoris habere, ex Genes. XXXVIII. 12. probat, & adfixo הוּ, reddit igitur, &
Achuzatus ex pastoribus eius, i. e. qui præerat pastoribus eius.
294-296. בגד c. XXX. 11. explicat de *turma hostili*, sermocinabatur
sc. vel ratiocinabatur de turma hostili, & inde occasionem
302-305. capiebat Lea, filium, ex Silpa natum, adpellandi *Gad*.
Verba ויגנב יעקב את לב transfert, *& abstulit Iacobus
paucum pabulum Labani.* לב c. XXXI. 20. non vertit, uti
alias, per *cor*, sed ex usu apud Arabes, *exiguum pabulum*, quo
sensu etiam usurpetur Gen. XLII. 28. ארמי quoniam τὸ מ
impressum habet dagesch forte, indicium litteræ alicuius deficientis esse, iudicat, adeoque ponit radicem arabicam رمل,
quæ defectus & inopiæ notionem involuit, unde ארמלא &
ארמלתא *viduam*, marito destitutam, Chaldæis significat.
Reddit igitur הארמי *commeatu valde carentem*. Sequentia, על בלי הגיד לו כי בורח הוא, ita explicat,
propterea

propterea nequaquam manifestavit ei, quod fugiens ille. Quæ verba quidem relationem habent ad totam Iacobi fugam, præcipue vero ad ablationem pabuli: Labani, peregre profecto, nil indicavit, vel indicari curavit Iacobus, כי בורח הוא, quod fugeret. Ad eundem modum explicat verba satis vexata Deut. XXVI. 5. Sed ubi quæritur, num vox ארמי ubique locorum sensum istum obtineat? observat, quoties Syrum notat, absque dagesch forti venire. De cetero non intercedit, quo minus idem sensus Gen. XXV. 20. locum ha- Pag. 329-
beat. Vocem הרפים, quæ occurrit c. XXXI. 34. deducit 340.
ex rad. arabica صرف, cuius notio primaria consistit in *mutando, vertendo*, ut sic denotentur *penates*, qui vicissitudinum & rerum domesticarum directores quodammodo habeantur. סר הגמל est ipsi, quod cel. *Schultensius* iam observaverat, *sella camelina.* Φάτνη Luc. II. 7. forte est arab. فتان, *phitanon*, notans *operimentum sellae camelinae ex corio.* Ad v. 47. investigationem verborum יגר שהדותא in- 344-348.
stituit, quæ non serioribus temporibus, uti b. *Vitringa* censuit, sunt inserta, sed ab ipso Labane profecta, eaque per *latibulum obtestationis* reddit. איש c. XXXIX. 14. reddit *domi-* 353-358.
num, & ita uxor refert ad maritum suum, לצחק בנו, ut *fricaret nobiscum*, ad explendam sc. libidinem, qua occasione in vim verbi צחק inquirit, & cum adfinibus verbis componit, simulque locos Exod. XXXII. 6. Ief. XXVII. 2. Iud. XVI. 25. Gen. XXVI. 8. XLI. 2. illustrat. אתך c. XLI. 41. conver- 388-396.
tit per *signum*, ut sit ex אות. Censet igitur, Iosephi imaginem per multa Aegypti loca, vel in saxis excisam, vel in tabulis depictam, conspiciendam fuisse. צפנת פענח, v. 45. 400-401.
prius est ex צפן *abscondidit*, ח est servile, dictus autem Iosephus inde, quia *horrea* vel *urbes*, instar pastoris, qui in culeo suum reponit commeatum, *commeatu replevit*; posterius ipsi compositum ex פע & נח videtur, prius est ex נְפַע, rad. נפע Ebræis ignota, Arabibus significat *profuit, usui fuit*, נח est ex rad. נחה, quæ gaudet significatu *servitutis, mancipii*, hinc ex ipsius mente illum innuit, *qui disponit frumenta, & utilitatem praestat* subditis regni. און non est nomen urbis vel re-

Mm 2 gionis,

gionis, sed denotat *praetorium, palatium,* hinc כהן אן vertit
Pag. 402. *sacerdotem palatii.* Vocem המליץ c. XLII. 23. non reddit
404. *interpretem*, sed verba כי המליץ בינתם convertit, *quia lusus sermonis erat inter ipsos*, tacite quippe innuebant factum
406.408. in Iosephum admissum, v. 21. 22. Quod c. XLVII. 21. legitur העביר אתו לערים, transfert, *transire fecit eum in censum,* ut illud ערים non sit in numero multitudinis ex singulari עיר, sed potius singularis, formans pluralem עריתים, ex rad. arab. غرم, quæ *census* & *tributi* significationem ha-
431.436. bet. In verbis c. XLIX. 4. אז חללת יצועי עלה, illud עָלֶה ipsi est nomen substantivum, ex usu apud Arabes significans *celsitudinem, nobilitatem.* Hinc sensus est, quando conscenderit stratum suum, quod sit res magni pretii, id non leve quid esse: excellentiam idcirco suam tanquam primoge-
436.441. niti perdidisse. Verba c. XLIX. 14. יששכר חמר גרם convertit, *Isaschar asinus validus,* Arabibus quippe جريم est *corpore validus & robustus,* porro verbo huic apud Arabes sensus *portandi* inest, ut sic notet *asinum oneris,* sive *onerarium* רבץ בין המשפתים *cubans inter duas strues,* sarcinas, sc. quæ ab utraque parte dorsi pendent. מנחה v. 15. ex rad. מנח *donavit,* deducit, ut sit partic. pahul coniug. kal feminini gen. & reddi possit per *donatum, donum.* ויהי למס־עבד, *& erit ad liquefactionem colens, quatenus* ipse vires fregit in
444.449. *dissolutione, liquefactione terrae, quam colebat.* משם רעה אבן ישראל v. 24. in hunc modum explicat, *ex dominio pastoris, lapidis Israelis.* שֵׁם ex arabismo habet significatum *dominii,*
454.455. *principatus,* רֹעֶה refert ad spiritum sanctum, אבן ad Messiam. Sed vero hæc promulsidis loco sufficiant, ex quibus B. L. de hoc opere facile iudicare poterit. Rev. Auctor iis, quæ a trita interpretandi via discedunt, non ita pertinaciter inhæret, ut non rectiora monentibus cedere sit paratus, eruditorum iudicio & examini sua submittens. Indices liber egregios, eosque sex adiunctos habet, charta & typis satis nitidus, nimis tamen mendis typographicis deformatus, illis etiam, quæ subinde sensum turbant, quarum indicium aliquod in fine est factum. Nec, quod animo facile prospicere possumus, deerunt, qui sermonis habitum sint reprehensuri, ut minus com-

comtum, & a linguæ latinæ, elegantia atque caſtimonia paſſim diſcedentem. Sed his reſpondet: *carptores, qui ſtilo, litterarum apicibus, & neſcio cuicumque tricarum generi inhaerent, haut metuo. Criticos reales ſuſpicio, eorumque caſtigationes neutiquam reiiciam.* Recte & ad modum ominis dictum. Contigit Auct. Doctiſſimo, quem optaverat, *Criticus realis*, omnino *ſuſpiciendus*. Nam novas de interpretatione trium priorum Geneſeos Capitum, Haitsmæ noſtri ſententias, ſcriptis aliquot Academicis graviter examinavit Vir S. Ven. *Io. Chriſt. Hebenſtreit*, Theologus Academiæ noſtræ primarius, quem honoris cauſſa nominamus.

Das neue gelehrte Europa, ꝛc.

i. e.

EUROPA ERUDITA NOSTRÆ ÆTATIS, tanquam continuatio trium operum, quae ſub tit. Erudita Europa, Res geſtae Eruditorum, & Symbolae ad hiſtoriam eruditionis, luci publicae expoſita ſunt. Auctore IO. CHRISTOPH. STRODTMANNO, Rectore Gymnaſii Osnabrugenſis.

Partes IV.

Wolfenbütelæ, apud Io. Chriſtoph. Meiſnerum, 1752. 1753. 1754. 8.

Alph. 3. plagg. 3.

Inter ſcriptores ævi noſtri biographicos palmam præ reliquis deferendam eſſe trigæ virorum doctiſſimorum, Ven. *Gabrieli Guilielmo Goettenio*, aulæ Regio-Electoralis Hanoveranæ hodie concionatori, Rev. *Erneſto Ludovico Rathlef*, dioeceſeos Nienburgenſis in Electoratu Hanoverano Superintendenti, & Cl. *Io. Chriſtoph. Strodtmanno*, Gymnaſii Oſnabrugenſis Rectori, nemo rerum intelligens negaverit. Debetur his tribus viris optimis triplex opus, in titulo præſentis *novae eruditae Europae* laudatum. Viam aperuit *Goettenius*, qui dum Hildeſienſis eccleſiæ eſſet paſtor, bono conſilio coepit cum orbe docto communicare *viventem* (ſive *ſuperſtitem* dixeris) *eruditam Europam*, per ipſum ſatis

ſatis amplum rubrum, ſelectum ſibi ab auctore vaſtum campum, quem percurrere tunc animus ipſi erat, prodentem. Neque tamen abſolutum dabat id opus inchoatum, *Rathlefio* ad continuandum tertium eiusdem volumen accedere iuſſo. Sed novum hic *Rathlefius* ſimilis argumenti opus concinnandum ſuſcipiebat, *res geſtas Eruditorum* inſcriptum, cuius ipſe octo partes priores, ſequentes poſteriores vero quatuor *Strodtmannus*, prelo ſubiiciendas curavit. Tertium tandem eiusdem tenoris opus, *Strodtmannus* hic, ſub titulo *ſymbolarum ad hiſtoriam eruditionis*, foras dedit, in fronte priorum quatuor partium nomen ſuum ſilentio tegens, quod in rubro quintæ eiusque ultimæ partis latere lectorem noluit. Denuo nunc ornando foro biographico ſe dicavit vir hic doctiſſimus, *novam eruditam Europam* publicando; cuius Tomus primus complectitur eiusdem partes quatuor priores, a nobis iam indicandas, porroque pari zelo continuandas. Conqueritur in præfatione, primæ parti præmiſſa, de fatis adverſis, quæ expertæ ſupra dictæ *ſymbolae* fuerint, rebus bibliopolæ Hamburgenſis, qui iſtarum typis excudendarum ſumtus ferebat, ad anguſtias redactis, & hoc ipſo vario apparatu, ad continuandas *ſymbolas* transmiſſo, pereunte. Ad novum prorſus opus adornandum accingere ſe neceſſe habuit *Strodtmannus*, quod iam feliciſſimo ſucceſſu ab eodem publicatum eſt. Complectitur id vitas virorum doctiſſimorum, qui de re eruditorum publica apprime ſunt promeriti, de ſcriptis eorundem ſimul curatiore grataque addita notitia, quæ non parum facit ad deſiderium operis eiusmodi continuandi, per longam ſequentium voluminum ſeriem, excitandum alendumque.

Pars prima de ſequentibus viris doctis tradit nobis relationes lectu dignas: de *Io. Friderico Reitz*, artis ſalutaris doctore, eloquentiæ, hiſtoriarum, oratoriæ, & poeſeos profeſſore in Academia Trajectina; de *Henrico Cannegieter*, iuris utriusque Doctore, hiſtoriarum itemque eloquentiæ Profeſſore, & ſcholæ oppidanæ Rectore Arnheimenſi; de *Leonhardo Offerhaus*, hiſtoriarum & eloquentiæ Profeſſore publico ordinario, & Bibliothecario in academia Gro-

Groningensi; de *Ioanne Iens*, graecae linguae Professore in Gymnasio academico, & Collegii Erasmiani Rectore Roterodamensi; de *Wilhelmo van Einhorn*, verbi divini ministro Arnheimensi; de *Ferdinando Storch*, orientalium linguarum & antiquitatum Professore extraordinario in Gymnasio Lingensi, scholae Rectore; de *Philippo Doddridge*, sanctae Theologiae Doctore, & publico Professore Northamptonensi; de *Carolo Gottlob Hofmanno*, S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordinario in academia Wittebergensi, dioeceseos Electoralis Saxonicae Superintendente Generali; de *Godofredo Schwartzio*, S. Theologiae Doctore, & Professore primario in academia Rintelensi, comitatusque Schaumburgensis Superintendente. Sequuntur has biographias additamenta ad *Samuelis Crellii* vitam, in *Europae eruditae vol. III. pag. 277. seqq.* descriptam, quae *Crellius* ipse ad *Rathlefium* transmisit. Posthac breviores quasdam symbolas cl. *Strodtmannus* exhibet, ad vitas *Petri Sabatier*, *Abrahami de Haan*, *Io. Iac. Schillingii* & *Petri Laan*, Belgii literati membrorum, pertinentes. Ampliores sunt, quae sequuntur, vitae descriptae *Cornelii Valerii Vonk*, Iurisconsulti & civitatis Noviomagensis Secretarii, ac *Laurentii Reinhardi*, S. Theol. Doctoris, & Dioeceseos Buttstadiensis Superintendentis, qui posterior ipse fuit meritorum suorum praeco. Finem partis primae faciunt additamenta ad vitas *Christiani Sigismundi Georgii*, S. Theologiae Doctoris, eiusdemque in academia Wittebergensi Professoris publici ordinarii, & *Conradi Fried. Ern. Bierlingii*, Doctoris & Professoris Theologi Rintelensis.

Pars secunda vitas exhibet enarratas virorum pari laudis gloria conspicuorum: *Nicolai Engelhardi*, artium magistri & philosophiae Doctoris, ac Professoris ordinarii in academia Groningensi; *Io. Casimiri Mieg*, Theologiae & linguarum Professoris ordinarii, atque coetus reformati sacerdotis Lingensis; *Theodori Christophori Lilienthalii*, S. Theologiae Doctoris, eiusdemque Professoris ordinarii in academia Regiomontana, verbique divini ibidem ministri; *Iacobi Philippi d'Orville*, Iurium Doctoris, historiarum, eloquentiae, & lingua-

rum

rum Professoris in Gymnasio Amstelædamensi; *Wilhelmi Schortinghuis*, verbi divini ministri MittWaldensis in provincia Groningensi; *Gerhardi Meermann*, Iurium Doctoris, Consiliarii & Syndici Roterodamensis; *Iacobi Carpovii*, artium magistri, mathematum Professoris in Gymnasio Vinariensi, eiusdemque Rectoris; tandemque *Io. Michaelis de Loen*, magni huius ætatis pacificatoris.

. *Pars tertia* prioribus dignitate nullo modo cedit, viros sistens laudatos & descriptos, qui de orbe erudito optime sunt pariter meriti, & in dies merentur. Continet vero sub initium quædam, ad supplendas *symbolas* Auctoris sæpe memoratas spectantia: α) *indicem* alphabeticum & geographicum in quinque *symbolarum* partes, quem tamen si ita excudi *Strodtmannus* curasset, ut bibliopegus eundem adsuere ultimæ *symbolarum* parti posset, nostra ex sententia prudentius rem suam egisset. Sequuntur *Additamenta* ad variorum eruditorum olim iam exhibitas biographias, inprimis *Petri Francisci le Courayer*, *Ludovici Holbergii*, *Io. Mich. Heusingeri*, optimo consilio hic exhibita, quo suppleantur relationes de istis, in operibus, quorum hoc opus continuationem suppeditat, obvias. Legitur porro brevis narratio de *Ieremia Bunsen*, Consule Arolsensi, in comitatu Waldeccensi, viro in re monetaria, nec non scientia naturali, probe versato. Sequitur *brevis notitia* quorundam sive adhuc viventium, sive haud ita pridem demortuorum eruditorum, scilicet *Io. Iacobi Burlamaqui*, Genevensis, *Io. Danielis Mann*, Clivensis, & *Io. Havighorsti*, medici Bisterfeldensis. Locum deinde occupant biographiæ ampliores virorum eruditorum hodie viventium scriptisque clarorum, videlicet *Gerhardi ten Cate*, Theologiæ Doctoris & Professoris publici ordinarii in academia Harderovicensi; *Leonardi Beels*, ecclesiæ reformatæ Antistitis Amstelædamensis; *Friderici Muzelii*, Professoris & Conrectoris in Gymnasio Berolinensi regio, eiusque Bibliothecarii, (at iste ante annos fere duos, magnus natu, e vivis excessit); *Friderici Ludovici Abresch*, Professoris & Rectoris Gymnasii Zwollensis; *Io. Hildebrandi Withofii*, historiarum, eloquentiæ, & linguæ Græcæ Professoris ordinarii in academia Duisburgensi; *Christiani Ulrici*

Ulrici a Kettelholdt, Procancellarii & Consistorii Propræsidis Rudolstadiensis; *Ioachimi Ehrenfried Pfeifferi*, Theologiæ Doctoris eiusdemque Professoris ordinarii ac Superintendentis Erlangensis; *Ioannis Augustini Dietelmaier*, Theologiæ Doctoris & Professoris ordinarii in academia Altorfina, verbique divini ministri; *Philippi Wasmuthi*, Iurium Doctoris & Professoris in Gymnasio Lingensi; *Iodoci Hermanni Nunnings*, Iurium Doctoris, Serenissimo Electori Coloniensi a consiliis ecclesiasticis, Protonotarii Apostolici, & Canonici Vredensis; *Ioan. Dieterici Winkleri*, Theologiæ Doctoris, & ecclesiarum Hildesiensium Superintendentis; *Wilhelmi Ottonis Reitz*, Iurium Doctoris & Lectoris in Gymnasio, nec non Scholæ Rectoris Middelburgensis; & *Ioan. Danielis Heydenii*, artium Magistri, & Gymnasii Gerani Conrectoris.

Pars quarta, quæ est Tomi primi ultima, Lectorum desiderio aeque bene respondebit, de viris agens, quos doctos colit orbis eruditus, meritissimosque. Vitæ exhibentur *Petri Wesselingi*, Iuris Romano-Germanici ac naturalis, nec non eloquentiæ, historiarum, & Græcæ Linguæ Professoris ordinarii in academia Traiectina; *Ioan. Casparis Hagenbuchii*, Canonici, græcæ & latinæ linguæ Professoris Tigurini; & *Iacobi Eck*, Iurium Doctoris, Iuris Germanici & Belgici Professoris ordinarii in Academia Groningana. Excipit has vitas *mantissa* breviorum quarundam biographiarum, scilicet *Casparis Theodori Summermanni*, Iurium Doctoris & Professoris primarii in academia Duisburgensi; *Io. Iacobi Kesleri*, Theologiæ Doctoris, & ecclesiæ Reformatæ Pastoris Amstelædamensis; *Ioannis Ianzonii*, Ecclesiastæ Moordrechtensis; *Weiher Wilhelmi Muys*, Medicinæ Professoris in Academia Franequerana; *Dionysii van de Wynpersse*, Philosophiæ Professoris & Theologiæ Doctoris in academia Groningana; & *Georgii Marothi*, Eloq. histor. & Matheseos Professoris in Gymnasio Debrecinensi Hungariæ. Succedunt largiores vitæ narrationes, *Ioachimi Christophori Nemeiz*, serenissimo Principi Waldeccensi a consiliis aulicis; *Gabrielis Crameri*, Matheseos & Philosophiæ Professoris ordinarii Genevensis; *Gerhardi*

Nn *Kulen-*

Kulenkamp, ecclesiæ reformatæ Pastoris Amstelædamensis; *Wilhelmi Pfeifferi*, eiusdem coetus reformati Amstelædamensis Ecclesiastæ; *Iosephi Aurelii de Ianuario*, Iudicis in tribunali regio magnæ Vicariæ, Neapolitani; *Ioannis Antonii Sergii*, Iurisconsulti & causarum patroni Neapolitani, *Io. Chrysostomi Scarfo*, Doctoris, & Theologiæ Magistri Pontificii, ordinis S. Blasii monachi Neapolitani; & *Io. Danielis van Hoven*, potentissimo Borussiæ Regi a consiliis consistorii, historiarum & eloquentiæ Professoris ordinarii Lingensis. Duplex, agmen, iterum *mantissa* claudit, quarum prior supplementa complectitur ad *Hanovii*, Gedanensis Gymnasii Professoris, vitam, quintæ *Symbolarum* parti insertam; altera nomina exhibet Professorum in academia Argentoratensi & Gymnasio Bipontano, nec non doctorum Scholæ S. Galli in Helvetia.

Vel ipsa nomina tot virorum undiquaque celeberrimorum recensita, Lectores nostros de pretio huic operi statuendo satis superque convincere possunt. Innotescunt nempe, opera *Strodtmanni* nostri, varii viri laudatissimi magis, quam quidem adhuc nosse eorundem merita datum fuerat. Neque macilentas ille biographias in manus nobis tradidit, verum ob stili quoque elegantiam, inprimis vero ob rerum memorabilium copiam, commendabiles. Illustris e. gr. *Loenii* dum nobis enarravit vitam, controversiarum, per ipsius *unicam veram religionem* ortarum, plena sufficiensque, lectorem & delectat & instruit delineatio. Eadem ratione in ceterorum virorum doctissimorum fatis, controversiis, scriptis enarrandis, & fidum & ingenuum se præbuit historicum. Hac autem opera, memoriæ doctorum virorum conservandæ destinata, suum ipse nomen posteris commendavit Auctor Clarissimus, qui, hæc adeo nobis scribentibus, rebus humanis functus est, non incelebris ille inter nos, variorum doctrinæ monumentorum utilitate, & fama diligentiæ.

LES AGRÉMENS DE LA CAMPAGNE &c.
h. e.
DELICIÆ RURIS, SIVE MONITA SINGULARIA, de aedificiorum campestrium magis vel minus magnificorum

eorum constructione, de hortis, voluptatis & usus gratia consitis, ornamentisque eo spectantibus, commodissima illorum struendorum ratione, solo praeparando, corrigendisque huius vitiis, arborum fructiferarum, aliarumque ornatui tantum servientium satu, item aquarum receptaculis, canalibus, & piscinis perficiendis. Accessit Tractatus de arborum fructiferarum & reliquarum cultura, exactaque descriptio eorum, quae facienda sunt, ut quotannis uvae, magna copia, in aere libero, aut praecoces in hypocaustis, igne, aut alio modo artificiose calefactis, habeantur. Docetur itidem, quomodo in frigidis his regionibus, Ananas, Mela, Citrina, Limonia, Aurantia, aliaeque calidiorum climatum herbae colantur & multiplicentur; thermometrorum eam in rem necessariorum constructio explicatur, & de frugum atque leguminum cultura plurima observantur. Omnia tabulis necessariis ornata, & observationibus quinquaginta annorum, sollicite institutis, innixa.

Lugduni Bat. 1750. 4.

2. Alph. 6. pl. 15. Tab. æn. quarum plurimæ integras plagulas maiores occupant.

Recensionem libri fere titulus prolixior exhibet, quem ea de caussa totum dedimus. Est vero opus, si fides titulo & præfationi habenda, neque cur illis fides deneganda sit ratio patet ulla, a Batavo, post tot annorum experimenta scriptum, & multum omnino plerisque de re hortensi sermone batavo editis libris præstat, qui nil nisi operum Dom. de la Quintinie versiones exhibent. Ordo operis hic est. Primæ Partis Liber I. decem capitibus, de ædificiis campestribus exstruendis, de hortulani virtutibus, de instrumentis ad horticulturam necessariis, de fossis & aquarum receptaculis excavandis, de soli differentiis, præparatione, & emendatione agit.

Altero libro, quæ ad arbores spectant exponuntur, de vita & incrementis illarum, de differentiis, de modis illas satu, ablactatione, per surculos, &c. multiplicandi, & similia.

Tertius liber arbores, quarum fructibus vescimur, recenset, culturamque illarum speciatim edocet. Quartus totus pampinis destinatur, vitisque culturam explicat. Quintum arbores, quas non frugum edulium gratia, sed ornatus aut utilitatis caussa colimus, occupant. Alteri parti monitum præmittitur, de plantis extra consuetum tempus colendis, nec non de exoticis aliquibus, & similibus. Deinde Capita numero octo, de hypocaustis ad plantas hieme sæviente servandas constructis, thermometris, aeris vi in plantas, terra, aqua, calore ignis & fimi, tractat. Secundus liber a laboribus, qui singulis mensibus peragendi in horto sunt, sumto initio, arbores & arbusta utilitatis gratia colenda pertractat: tertius autem de plantarum exoticarum cultura agit, ubi etiam de cultura vitis, & modo uvas in locis arte calefactis maturandi, tractatur.

Difficile fuerit, e tanta rerum egregiarum copia delectum facere: deinde plura solo Batavo propria sunt, quæ vero temere apud nos imitemur; quo spectat, nisi fallimur, illa de uvis operosius in hypocaustis maturandis tractatio, etsi Auctor sollicite etiam, & ita ut solent rariora & difficiliora tentamina recenseri, quoties uvas maturas in libero aere acceperit, enumeret. Similiter fossarum excavandarum necessitatem maiorem quam alibi in Batavia agnoscit, ubi solum natura depressius est, quam ut arbores plantari in eo possint. Solum planum & horizontale, ei quod in vallibus situm est, aut montium partem occupat, præfert: tum, quod in montis superficie non maior plantarum quantitas crescere possit, quam in basi eius; tum, quod pluviæ fertilem terram montibus auferunt, valles autem inundent. Medium tamen soli ut tantillum altius sit circumiacentibus partibus, probat. Arboribus ferendis destinatum solum profundius esse debet, ut altius radices penetrare possint, quo & a solis æstu tegantur, & arboribus firmius retinendis melius sufficiant. Oleribus & floribus sufficit, si solum illorum plus duobus pedibus supra aquæ superficiem emineat; tunc enim, siccis etiam æstatibus, humidum attrahendo nutriri possunt. Sed tantæ elevationis solum in Hollandia raro satis pingue exsistit, unde humilius adhibendum est, aggeribusque circum-

cumductis contra vim aquæ defendendum. Præterea in pluribus locis pinguis & arenosa terra reperitur, in qua arbores radices profundius agunt, quia superior eius soli pars bona est; sed mox ubi ad certam aliquam profunditatem pervenerunt, obicem illis ponit stratum durum bituminosum & arenosum. Id si non nimis altum sit, rumpendum est, ut via radicibus per illud aperiatur. Solum optimum Auctori est, pingue, subrubens, arenosum, terræ strato argilloso ei simili, unde fictiles lapides conficiuntur, tectum. Argillosi strati crassitudo digitos X, pinguis terræ XI vel XIII. efficit: sub huius strato sæpius argilla, interdum adhuc terra macrior, semper tamen ita pinguis, ut penetrare illam radices possint, reperitur. Tale solum, antequam semen illi immittatur, fossione similibusque laboribus rite motum, fimo, ut pinguescat, opus non habet; foliis, quæ quotannis decidunt, arborum nutrimento abunde sufficientibus. Pinguis albidæ terræ malam naturam in Hollandia A. accusat, & pessimam inprimis subcæruleam pronuntiat. Paludosum solum (fonds marecageux), terræ pinguis & arenæ mixtura est, a natura ipsa facta, & pluviæ ope coagmentata; cum alias humano labore pinguem terram sabulo misceri oporteat, ut illa melioretur, fertiliorque fiat, & ab hac quidem pluvia sabulum separet, efficiatque, ut illud paulatim inferiora occupans, stratum sabulosum infra terram pinguem formet. Sed hæc de soli differentiis sufficiant. Pauca de emendandis illis addemus. Est autem solum vel natura sua macrum & sterile; vel fructuum iam productorum multitudine exhaustum; vel illis plantis nutriendis, quas nutrire debet, minus idoneum. Primum genus nonnisi uberiore stercoratione emendatur: nam consuetam stercorationem terra macrior consumit. Alteri quies medetur, pluvia & nive novas particulas, nutriendis plantis idoneas, adferentibus. Trahit huc auctor Dei iussum, ut septimo anno Israelitarum fundi quiescerent. Hinc ad stercorationem delabitur, eique idonea esse pronuntiat tum omnia quæ putrescunt, tum animalium omnium excrementa, leporibus & avibus aquaticis exceptis, quorum excrementa antiquitus iam nocere plantis com-

pertum eſt. Stercorationis vim unice ſali in fimo contento adſcribi debere negat, exemplum adhibens pinguedinis ceti, quam fertiles terras reddere, ſi uratur, & putrefiat, paucis inde ab annis fortuito compertum eſt: deinde notat etiam, veteres, olei fæces cum nitro miſcuiſſe; Columellam vero urinam ſemeſtrem, olei fæcibus permixtam, ſtercorandis agris, adhibere, in quibus omnibus, ipſo quidem iudice, ſalis nihil reperiatur. Deinde pro ſoli & fructuum, qui naſcentur, differentiis, diverſam ſtercorationem eſſe oportet, amareſcentesque plantæ, ut braſſicæ, cichoreum, cet. particulas magis ſalinas, quam rapæ & cepæ, poſtulant.

Exiſtimat igitur Auctor, neceſſe eſſe, ut ſal in fimo vel terra reperiundus, ſat oleoſarum particuarum contineat, quo ſapo conveniens efficiatur, cuius humores, pluvia diſſoluti, incrementum plantis & fertilitatem terræ conferant: cum ergo ſtercoratio, ut vulgaris ſapo comparata eſſe debeat, ſolo pingui & natura ſua oleoſo, fimus plures ſalinas particulas continens adhibendus eſt; illi vero qui parum olei habet, putreſcentia corpora, pauxillum ſalis, & plurimum olei continentia, conveniunt. Nunquam vero oblivisci decet, ſtercorationem, remedii loco, vitiis emendandis eſſe adhibendam; nam nimia quantitas maxime plantis nocet. Deinde ſoli ſtercorandi regulas accuratius A. tradit: aquam vero nitro impraegnatam ſeminibus in ea maceratis ſingularem vim conferre, in ſolo bene ſtercorato non eſt expertus; etſi frumenti granum 24 horis in hoc liquore, excrementis equi & herbis mixto, maceratum, 62 ariſtas ſibi tuliſſe narret. Varia vero ſtercorationum genera A. perſequitur, ſic quidem, ut non experimenta ſolum exhibeat, ſed in rationes etiam inquirat. Ita porci ſtercus, veteres ob calorem nimium damnarunt, recentiores eidem refrigerandi vim adſcribunt, quod, auctore iudice, nemo mirabitur, qui porcos in Hollandia, non glandibus, ut apud veteres, ſed cereviſiæ fæcibus, aut lactis parte aquoſa, nutriri ſciverit. Simili accuratione Auctor reliqua omnia perſequitur, neque hortulanum ſaltim, ſed & phyſicum agit; ita ut non poſſit non apud cives ſuos maximam gratiam inire, quibus præcipue monita

nita eius destinavit. Sed & exteri opus cum voluptate & fructu evolvent, cum alia quidem solo etiam a Batavo diverso conveniant, alia curiosis, etsi non proficua forte, grata tamen sint futura. Figuræ, varia, quæ ad ædificia spectant, exhibent; præterea etiam fructus aliquot rariores, nec non monstrosos, auctori natos.

VIE DE MÉCÉNAS, &c.

i. e.

DE VITA MAECENATIS COMMENTARIUS, adiunctis notis historico-criticis, Auctore RICHERO.

Parisiis. 1746. apud Chaubertum, 12. mai. p. 199.

Magnum est inter eruditos C. *Cilnii Maecenatis* nomen, multis insignibusque & meritis erga litteras, & virtutibus in administranda republica, partum. Quod ut satis omnibus notum sit, tamen res gestas eius, Auctor putat, domi militiæque quondam claras, multorum adhuc fugere scientiam. Quamobrem, ut revocaret virtutes & merita tanti hominis in memoriam omnium, de vita illius exponendum putavit: notus iam & aliis ingenii eruditionisque documentis, ut v. c. Gallica eclogarum Virgilii translatione. Sed fundum hic quasi substravit IO. HEINRICI MEIBOMII *Maecenas*, (Lugd. MDCLIII. in 4. forma foras datus), quem, quia latino sermone scripsit, nunc ex eo in patrium transtulisse, nunc ordinem diligentius observasse, nunc crebros neque ineruditos illos excursus, sed delicato sæculi sui fastidio minime convenientes, præcidisse profitetur, atque ex vita etiam *Augusti* addidisse, quæcunque viderentur ad heroem suum pertinere. Galli cuiusdam, (est ille *Io. Bapt. Souchay,*) commentationem de *Maecenate*, in memoriis, quas vocant, academiæ Inscriptionum, (*T. 19.* a *p. 125-149.*) opere suo iam ad umbilicum deducto, in manus demum sibi incidisse, ait: sed aliud prorsus illius consilium, a suoque diversum esse, ostendit. Prodiit etiam Lipsiæ 1744. in 8. vita quædam Mæcenatis, germanice scripta, (*Versuch einer Lebensbeschreibung an der Weltberufenen Person des Maecenas, des ehemahligen grösten Freundes des Kaysers Augusti*): sed non est quod suspicemur, hanc ei vel lectam, vel visam adeo esse.

Iam

Iam ipſe liber in duas deſcriptus eſt partes, quarum prior ipſam *Maecenatis* vitam, (ad p. 112.) poſterior obſervationes criticas, & ſcriptorum loca, quæ citantur ad teſtimonium, complectitur. Atque illius quidem, ſecundum annorum ſeriem traditæ, argumentum enarrare neceſſe hic non eſt, nec fieri facile poſſet, niſi integrum libellum ex Cl. *Richerii* chartis in noſtras transſcribere animus eſſet: harum autem ſpecimina quædam ſubiiciemus, ut ex iis coniectura fieri ad reliquas poſſit. Prima obſervatio de nomine Mæcenatis exponit, qua *Varronis*, agnomen *Maecenas* a loco quodam ducentis, ſententiam probat. Poterant in eam rem quoque laudari *Caeſenatia vina & Maecenatia* (*Plin. XIV. 6.*). Tertia obſervatio de illuſtribus Mæcenatis natalibus agit, & contra *Dacierium* probat, *reges Od. 1. Horat. L. 1.* non eſſe viros principes ac civitatis ditiſſimos; ſed eos, quos proprie reges dicamus, propterea, quod Mæcenas fuit *Aretinus*, e *Cilniorum* familia, (*Macrob. II. Saturn. c. 4.*) & *Silius X. 40, eius*, dicit, *ſceptris olim celebratum nomen Etruſcis*. Quæ annotamento quinto de duplici legionum genere, maioribus, quæ ſex millium peditum eſſent, & DCCXXVI. equitum, & minoribus, quæ vix duo militum millia complecterentur, traduntur, veremur ut accurate ſatis dicta ſint. Legio enim, diverſis quidem temporibus, diverſo ex numero fiebat; atque eo ipſo tempore, quo maxima erat, ita interdum attenuabatur, ut in ea vix mille homines eſſent: (*Caeſ. B. ciu. III. 106. Hirt. de B. Alex. 69.*) ſed alienum agere videntur, qui, duplices natura & genere ſuo legiones fuiſſe, inde colligunt. Neque vero illa, quæ de duplice *Tigellio*, altero *Hermogene*, Siculo altero, *p. 153.* poſt *Dacierium*, obſervat, quorum illius *L. I. Serm. Hor. Sat. 2. & 3;* huius autem *Sat. 4. & 10,* mentionem *Horatius* faciat, ſatis explorata nobis videntur; ſed cauſſas hic diſputare, longum eſt. Quod fuerint, qui ſuſpicarentur, *Maecenatem Ovidio* cauſſam exilii extitiſſe, neque umquam propterea ab hoc, tamquam rivali ſuo, laudari, (*p. 174.*) omnino miramur: quia mors *Maecenatis* in annum XXXIV. *Naſonis* incidit; exilii autem tempus in quinquageſimum, amplius, ætatis conferendum videtur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLVI.

Pars I.

IOSEPHI AURELII DE IANUARIO REG. Consil. Feriæ Autumnales post reditum a Republica I.Ctorum.

Neapoli, typis Stephani Abbatis, 1752. 2. Alph. 1. plag. quaternis.

Qui iam ante hos viginti, & quod excurrit, annos, edita *ICtorum Republica* *) magnam nominis celebritatem consequutus est, *Ios. Aurel.* de *Ianuario*, Vir exquisitissimæ doctrinæ, haud minorem sane gloriam hoc, quem nunc recensendum habemus, feriarum Autumnalium libro, ad pristinam illam laudem adiecit; adeo, ut nec inutilius, quam laboriosissimus atque occupatissimus ille in otio Tullius, nec minus honorifice feriis suis usus fuisse iure dici possit. Continuatus hic liber atque coniunctus superiori, ad extremum tantum Digestorum, sed longe gravissimum *de Regulis Iuris* Titulum, compositus est, cum ille ad universam potius Iurisprudentiæ rationem pertineat. Nudæ autem disputationis tædia atque tenuitatem, non elegantia tantum scribendi, quam summam in eo admiramur, abstergit, verum etiam narrationum descriptionumque, atque imaginum inper-

Oo

*) Eam quidem indicavimus in his Eruditorum Actis Ao. 1734. mens. Ian. p. 21. ad 27.

ſperſarum amoeniſſima feſtivitate exhilarat, carminum quoque nitidiſſimorum veluti gemmis diſtinguit ac variat. Fingit autem eosdem ICtos, *I. Ienutium*, *C. Nautium*, *T. Numicium*, *& L. Pinarium*, quos in ICtorum rempublicam peregrinatos ante fecerat, inde reduces, faſtidio urbanæ percontationis ac moleſtæ concurſationis, qua ab obviis fatigarentur, in iſtam, Tiberii quondam ſeceſſu adeo celebratam ac infamatam inſulam, Capreas, confugiſſe, ibique a *Vitellio* quodam hoſpitaliter exceptos, in ipſo otio minime otioſos, omne tempus, quod a conviviis ac deambulationibus reliquum eſſet, ad ſermonem de Iurisprudentiæ ſtudiis, contuliſſe. Atque ibi quidem, poſteaquam duo carmina, pulcherrime elaborata, alterum: de Iuriſperito, vaſtis ineptorum voluminum molibus obruto, & cultiores litteras aſpernante; alterum: de diverſi ingenii fatuo, ex ſuo penu omnia, neglectis doctrinæ aliorumque ſubſidiis, proferente, *I. Ienutius* recitaſſet, a *Nautio* doctiſſima diſputatio ad Titulum ff. *de diverſis regulis iuris* inſtituitur. Quarum quidem compilatori Triboniano, ille haud ſatis æquus, ne ipſum quidem Tituli indicem ſine nota dimittit. Nam primum *regulas* prave appellari, quæ non viam in diſcendo iure demonſtrent ac dirigant, ſed ipſius diſciplinæ compendium & ſummam adumbrent: tum *diverſas*, ſive *repugnantes* ac *contrarias* intellexeris, ſtulte; ſive *plures* ac *varias*, inepte atque otioſe dici: *antiqui* autem *iuris*, præterquam quod inexplicabilem ambiguitatem habeat, alienum plane videri. Etenim, ſi, cum iſtæ regulæ colligerentur, Novum Ius nondum erat concinnatum, antiqui ne mentio quidem facienda; ſin erat, Novi Iuris axiomata ſive definitiones, ut A. Cl. rectius vocari cenſet, proponendæ utique fuiſſent. Ipſa quoque *Regulae* definitio, quæ eſt L. I. ff. h. t. non modo omnino illi ſuperflua, iam conſtitutis regulis, verum etiam male concepta videtur, quaſi ſit, quæ *rem breviter narret*. Nam nec, qui rem narret, regulis eam comprehendere, nec, ut breviter narretur, propter obſcuritatis periculum ſufficere; *perſpicue* potius dicendum aut certe addendum fuiſſe. Magis itaque *Sabini* definitionem

nitionem, in commemorata lege a *Paullo* relatam, probat, quasi *caussae coniectionem* i. e. accuratam delineationem, Atheniensibus προβολὴν adpellatam, *regulam* esse dicentis. Movit porro stomachum clausula illa definitioni adiecta: *regulam, simul cum in aliquo vitiata sit, officium suum perdere.* Id enim, quamvis aliqua ex parte verissime dictum, vulnera tamen regularum misere aperire, omnesque uno quasi ictu evertere, cum earum nulla facile sit, quin exceptione aliqua eludatur, vel saltem contaminetur. Verum, quod pace tanti Viri contradictum sit, totum istud opprobrium pendere nobis videtur ἀπὸ τοῦ *vitiari,* quo recte & ex *Hotomanni* ad h. l. sententia explicato, verba bene sese habebunt.

Ad ipsos iam huius tituli interpretes atque commentatores, post obiter institutam super Glossatoribus, de quorum ineptiis satis constat, valde probabilem disputationem, progressus, *Cuiacium,* uti par erat, omnium principem, nullo vitio insignem; *P. Fabrum* iusto uberiorem, ac nimio apparatu molestum, adeoque Magistro suo maxime dissimilem; *I. Gothofredum* autem paullo fidentiorem sui, iniquiorem aliis, nec satis sibi ipsi constantem, iudicat. Itaque cum hoc in primis strenuo *Triboniani* propugnatore, quasi certamine inito, quae ille huius Tituli vitia aut agnoscere noluit, aut minuere ac defendere laboravit, ea & manifesta, & ab ipso *Gothofredo* saepe ultro agnita, demonstrat. Inesse autem vitia ista docet partim in *omittendis,* partim in *repetendis,* tum in *confusis* ac *turbatis,* ac denique in *obscuris* & *ambiguis regulis.*

Praeteritis annumerantur sequentes. Regula *Ulpiani* l. 7. §. 5. π *de pactis: ex pacto actionem non nasci,* qua praetoris auctoritate cottidianis privatorum negotiis norma praescribebatur. Est enim desumta ex L. IV. *ad Edict.* Ex eiusdem L. I. *ad Sabin.* l. 1. π *de auctor. & consf. tutor: in rem suam tutorem auctorem fieri non posse; Paulli* regula l. 9. π *de iur. & facti ignorant. Iuris ignorantiam nocere, facti non nocere: Pomponii* l. 12. π *de legat. prim. quibus ipsis legare possumus, eorum quoque servis legari posse;* aliasque quamplures, quas pp. 70. 71. recensitas exscribere non oportet. Afferuntur

 etiam

etiam, quæ ſemper novam regulam conſtituunt *exceptiones* quarundam, ut Catonianæ de legato inutili l. 1. π̄ *de Reg. Caton.* quam *Papinianus* l. 3. π̄ *eod.* pertinere negat ad eas hereditates legataque, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam cedat hereditatem, ut reliqua taceamus. Multum autem huius generis negligentia ingraveſcit eo, quod Iuris civilis auctores frequenter hac formula utuntur: *Regula Iuris civilis eſt*; quo & facilius obſervarentur, & inexcuſabilius omitterentur.

Repetitarum & fruſtra recoctarum exempla ſane quam multa congeſſit, p. 76. ſeqq. quarum redundantiam ipſe *Gothofredus* diffiteri non potuerit. Sic de poſſeſſorum favoribus conveniunt ſex huius Tituli regulæ: l. 25. l. 33. l. 126. §. 2. l. 128. pr. l. 154. l. 204. & de obſcuræ ſtipulationis interpretatione decem & octo: l. 9. l. 20. l. 34. l. 41. §. 1. l. 56. l. 67. l. 73. §. 3. l. 85. l. 96. l. 114. l. 155. §. 2. l. 168. pr. & §. 1. l. 172. l. 179. l. 191. l. 192. §. 1. l. 200. quarum pleraſque collegit uno capite *Harmenopulus* περὶ ἀσαφοῦς καὶ ἀμφιβολίας, l. 1. c. 15. Præ reliquis autem huc pertinent l. 129. §. 1. & l. 178. quarum non modo ſententia, verum etiam ipſa verba eadem ſunt, eodemque ordine conſtructa, excepto uno adverbio *plerumque*, quod in prima abeſt, in altera intruſum reperitur.

Ordinem turbatum atque confuſum, idem ille *Triboniani* vindex, *Gothofredus*, evidenter in oculos incurrentem excuſare aliter non potuit, quam ut ICtorum eorumque librorum, non rerum, ordinem *Triboniano* obſervatum diceret; qui ordo, præterquam quod alieniſſimus eſt a docendi & breviter inſtituendi conſilio, ita crebris locis & ipſum turbatum luxatumque *Gothofredus* agnovit. Aliud defenſionis argumentum, repetitum ab exemplo veterum Poetarum & Philoſophorum, quorum miſcellæ ſententiæ, nullo fere, niſi fortuito ordine, & indigeſtæ occurrant, quoſque adeo, ſi id peccatum ſit, hic noſter auctores & ſocios criminis habeat: primum valde lubricum eſt, atque ignominioſum; deinde etiam huic loco minime aptum, cum, quæ his permiſſa ſint

atque

atque concessa, Iurisperito non aeque liceant. Omnino itaque satis mirari non possumus, quantum sui dissimilem, diligentissimus iste Institutionum Iustinianearum concinnator, in hoc Regularum Titulo digerendo sese praebuerit, quamque varias figuras, Proteum fere imitatus, haud raro assumserit.

Obscuritatem quoque & *ambiguitatem* plerarumque, vel innumerabiles istae atque incredibiles summorum interpretum controversiae, coniecturae, ignorantiaeque confessiones, sole clarius produnt. Exemplo sit l. 23. h. t. ubi agitur de *dolo culpa, diligentia & casu praestandis in contractu, quo res aliena apud alium est;* quam quidem, praeter veterum ICtorum in hac re dissensum, legesque inter se pugnantes, praesertim hoc difficilem intricatamque reddit, quod *Ulpianus* solam hic contractuum & praestationum divisionem exhibere contentus fuit, nulla Iuris ratione aut regula supposita, cum tamen illa ipsa distinctio, cui vires rationis olim tribuebantur, fallax omnino sit & incerta. Augent etiam huius difficultatis molestiam ambiguae & diversae *culpae; diligentiae, custodiae,* & *periculi* significationes; variae graduum culpae distinctiones, & diversae verborum istorum, *in his quidem & diligentiam,* tum lectio, tum interpretatio.

His elegantissime disputatis, vere, & cum aliis doctis hominibus, contra *Gothofredum* quidem iudicat, idque refutandis eius argumentis ostendit, non ab hoc titulo tam obscuro, tam impedito, tam summis quoque Viris ad intelligendum difficili ac controverso, sed ab Institutionibus discendis, Iurisprudentiae studiosis incipiendum, atque alterum potius de *Verborum significatione* Titulum huic praemittendum esse. Sed, quod praecipue indicatum lectoribus Nostris ibamus, ingenio obsecutus Auctor elegantissimus, totum istum de Regulis Iuris Titulum latina Elegorum periphrasi complexus est. Qua in re, ut, quam felicius, ac maiori festivitate, quam eiusdem instituti Auctor, *Hieronymus Elenus Balensis,* versatus fuerit, videatur, ea apponemus, quae ipse V. C. ex *Eleno* suis conferenda attulit.

L. 43. *Nemo ex his.* Elenus:

Se debere negans, defendendi ratione

Uti non una poterit; verum actio ad unam
Unica rem, quoties concurrunt, instituenda est.
Noster:
Ni lex obstabit, qui se debere negavit
Ius aliunde suum sustinuisse valet.
L. 47. §. 1. *Consilii.* Elenus:
Non meus es socius, quamvis socii socius sis.
Noster:
Olli, cui socior, socius si adiungitur alter;
Non novus hic socius dicitur esse meus.
L. 50. *Culpa caret;* Elenus:
Scire extra culpam est, cum non possis prohibere.
Noster:
Impedienda quidem mala sunt; sed quisque carebit
Culpa, si mala scit, nec prohibere potest.
L. 73. §. 3. *Quo tutela.* Elenus:
In testamento sic scriptum, intelligi ut inde
Nil possit, pro non scripto debet reputari.
Noster:
Quae testamento non intellecta leguntur,
Lex pro non scriptis accipienda iubet.
L. 78. *Generaliter.* Elenus:
Cum de fraude agitur, generaliter inspiciendum est,
Quidnam non potuit fraude adversarii haberi.
Noster:
Si quando quaeri debet de fraude, sciendum est,
Quod non sufficiat nosse, quid actor habet:
Sed quod non habuit, facile quod posset habere,
Ni contradictor necteret arte dolos.
L. 103. *Nemo.* Elenus:
Nemo domo propria est educendus violenter.
Noster:
Tuta cuique domus: summa est iniuria, si quis
Extrahitur nolens eiiciturque domo.

Sed & alia quædam apponemus:

L. 22.

L. 22. Qui in alterius locum,
Est successorum iusta ignorantia, an illud
Revera explendum, quod putat alter, erit.
Et iusta ignorant de causa sponsor & heres:
Esse ignota illis facta aliena solent.
Non tamen heredem iuvat hoc, si forte sit Actor:
Sed si persona fungitur ille Rei.
Actor cum fuerit, sibi consulat, an sit agendum:
Rem prius exploret, deinde paratus agat.
L. 120. Nemo plus commodi.
Nemo decedens Heredi plura relinquit
Commoda, quam potuit vivus & ipse frui.
L. 136. Bona fides.
Quantum pro veri norma possessor haberet,
Huic bona tantundem praestat amica fides.
Excipias, ni lex obstet; tunc aequior omnis
Coniectura animi, lege loquente, silet.
L. 1. Regula est.
Regula rem breviter narrat: non nascitur ex hac
Ius, e iam nato regula iure venit.
Haec quaedam est causae coniectio, teste Sabino:
Irrita, parte aliqua si vitietur, erit.
L. 14. In omnibus oblig.
Implendis si nulla dies contractibus insit,
Praesenti res est expedienda die.
L. 17. Cum tempus.
In tabulis adiecta dies, heredibus ipsis,
Ni sit defuncti mens aliena, favet.
Sic quoque promissos, cum sit stipulatio, tempus
Recte, ait, adiectum commoditate sui.

Nos quidem iudicia lectoribus, quæ diversa admodum fore prævidemus, de hoc omni instituto libera relinquimus. Plerique fieri posse minime putabunt, ut salvo atque integro contexto ac sensu, metrorum leges istæ Regulæ, quamvis eleganter deducto carmine, subeant. Ceterum tanto proniores reliquorum, quæ & inserta Libro, & subiecta separatim sunt, car-

carminum ſuavitatem admirabuntur. Appendicis ſ. Coronidis loco acceſſere, præter Opuſcula ac Carmina eius minora, multorum Virorum doctorum, *Menckenii* olim noſtri, *Facciolati, Lamii, Muratorii,* honorificentisſima de Auctore Clar. teſtimonia, ipſius quoque Pontificis, *Benedicti XIV.* ad ipſum ſcripta Epiſtola, adiectæ etiam *Reipublicae ICtorum recenſiones,* tum in his noſtris Actis, tum in Commentariis Pariſienſibus exhibitæ. Sicut autem ea dudum viguit fama viri Præſtantisſimi, ut nihil iſtis teſtimoniis verius omnes boni lubentes agnoſcant: ita hoc Feriarum Opere, novam iis fidem pignusque additum nobis videri, æquo & vero animo prædicamus; inque ea, quam niſi Ipſe talis eſſet, effingere non potuiſſet, præſtantiſſimorum ICtorum civitate, inter principes locum obtinere, certo exiſtimamus. Quare etiam ſatis mirari, & vel exquiſitiſſimis laudibus extollere non poſſumus, Regis Neapolitani Auguſtisſimi prudentisſimum conſilium, cuius auctoritate ante aliquod tempus factum eſt, ut ſplendido & ambitioſo Iuris Feudalis publice docendi muneri, in illuſtri illius Metropoleos Academia, V. Cl. præponeretur, cum per omnem Italiam, in tanta ceteroquin doctorum hominum frequentia, nemo repertus fuiſſet, cui maiori fiducia, & certiori felicisſimi eventus ſpe deferri iſte honor poſſet. Cuius quidem Regiæ munificentiæ in nos quoque haud exigua particula redundavit, oratione illa, quam, boni ominis, & novi muneris auſpicandi cauſſa, Vir doctisſimus recitavit, hic Lipſiæ typis Langenhemianis recuſa, & ab omnibus Iuris prudentiæ elegantioris ſtudioſis avidisſime excepta. Alius Eiusdem V. Cl. Libri, *de pravis artibus, quibus in defendendis cauſis plebs patronorum utatur,* Etruſco ſermone conſcripti, & quamquam diu impreſſi, tamen nunc demum ad nos perlati, quo ſane nihil ſupra in iſto genere vidimus, elegantiam rationemque lectoribus noſtris mox declarabimus, quos nobiſcum, Viro tam egregie de litteris promerito, crudam viridemque ſenectam, & ſua, & vel maxime rei publicæ cauſſa, exoptaturos eſſe, non tam ſperamus, quam confidimus.

LONGI

LONGI PASTORALIUM DE DAPHNIDE ET Chloe Libri quatuor. Graece & Latine. Editio nova, una cum emendationibus uncis inclusis, distincta viginti novem figuris aeri incisis a B. Audran, iuxta delineationes Celsiss. Ducis Aurelian. Philippi, & Tabula ab A. Coypel delineata. Accedunt alia ornamenta ab A. Cochin, partim a C. Eisen adornata, & a Sim. Fokke in aes eleganter incisa.

Lutetiæ Parisiorum in gratiam Curiosorum 1754. quaternis. Alph. uno, tabulis lin. ex ære nitidissimis num. XXIX.

Sunt ingeniorum monumenta quædam, non illa magnitudine voluminis conspicienda, neque gravitate argumenti severa & utilitate præcipua, sed gratia rerum iucunda, & scitamentis munditiisque quibusdam, & facundia narrationis longe nobilissima, & haud scio, annon illis primis, propter lenocinia artium dulcissima, & propter studia hominum in hæc dedita, usu in commune certiore. In his erunt, nostra quidem sententia, Longi ποιμενικῶν libri, opus diserti scriptoris parvum, sed simplicitate candida dictionis, & eventorum varietate amoena, & vitæ rusticæ innocentis gratia, & picturæ in tabulis adiungendæ ad stilum narratoris, inprimis placiturum hominibus doctis. Nam sine tabellis picturæ linearis tam erat nunquam proponendus describendo in publicum Longus, quam nunquam est danda sine tabula picta Cebetis tabula; nunquam sine his picturæ honoribus Philostratus: neque unquam de architectura Vitruvii Pollionis commentarius. Deducitur enim e tabula picta, ut Præfatione memorat, omnis Longi fabula, revocanda ad picturam sine dubio, nisi detractis ornamentis suis, nudatam omni Venere & gratia, poposceris. Quare non erant audiendi illi, qui hanc simplicissimam vitæ pastoritiæ inter ephebos haud male animatos imaginem, ad leges Gotthicas inepti fabularum generis, quas Romanenses vocant, tanquam carminis maioris & velut Aeneidos imitatas spiritum, censebant. In medias itaque res vocari eorum iudicio pastorum pueri, &, ut ma-

 gnum

gnum, *Romanam condere gentem*, aut procari multis annis unam Helenam, ingenioso & plurimo artis amatoriæ anfractu, debuerunt. Non est idcirco detrahendum nitidæ Longi ποιμενικῶν fabulæ, unde illa quidem nata proditur, picturæ artis ingenium. Quam ob caussam recte atque ordine facit Nealmus noster, (*Neaulme*) bibliopola clarus, dum hoc opus Græce & Latine nitide curatum, ad longe nitidissimas picturæ linearis tabulas, num. XXIX, quibus tabulis omne illius argumentum eximie simul exornaretur atque illustraretur, novæ relectionis exemplis, ob raritatem ingeniumque operum picturæ, paucis revocaret. Nam semel, quod sciam, Longus prodiit ante picturatus, sed conversus litteris vulgaribus, ac tabellis adornatus tam paucis, tam perfunctiora artificis non optimi cura adumbratis, ut nulla earum ratio sit habenda ad harum nostri non summam nobilitatem modo, verum etiam ad elegantiam, quamcunque præstare pictura in lamna ahenea linearis potest. Nam quod ad claritatem operis, certantes cum Fabio Pictore Romanarum gentium, cum Renato Andegavense Neapoleos Rege, cum Rodolpho Cæsare Austrio, regias hic quoque Principis tanti videas manus. Sed ille eleganti adeo studio ducendas fabre ad lineas adspexerat, ut hæ species nonnihil spirent nobilissimæ simplicitatis illius, quæ imitari ac reddere quodammodo æterna Raphaelis Sanctii opera videatur. Porro vir princeps ille, Philippus Dux Aurelianensis, quæ coloribus aptis in ebore aut in membranis expresserat, stilo artifici lamnis inscripsit Alderanus, (*Audran*) quæ Lutetiæ eo tempore familia, artificio singulari picturæ graphio in ære exercendæ linearis, diu claruit. Itaque sunt hæ tabellæ eiusmodi, ut vix aliquid prodire posset mundius. Non ista Persiis, longeque acutissimis picturæ artis magnæ subtiliter videndæ viris, quam nos animorum esse, non corporum, dicere solemus, prædicare instituimus. Sunt enim, quæ vel nostri oculi, multa neglegentius opera, plurimaque & honesta cum indulgentia, censentium, in illis desiderant. Sed hanc nos benigniorem, eamque minime rusticam, artis intellegentiam, quæ est hodie fere bellorum hominum plerorumque,

que, his munditiis abunde ac vel unice contentam fore ſperamus. Horum ut accenderet ſtudia paucis exemplis, ut rem infrequentem, prodire hac opima veſte iuſſit Nealmus. Fuit autem ratio, quam nos vehementer probamus, cur his tabellis tam nitidis non adiungeret Francogallice olim ab Amioto præclare verſum Longum, qui & ipſe ante annos ſex volumine parvo prodierat. (*Amours de Daphnis & Chloé, avec figures par un Eléve de Piccart, à Amſterdam* 1750, *duodenis*). Picturæ linearis tabellæ inſunt non amplius num. VII, & diſcipulus ille, quiſquis eſt, Bernardi Piccart, longiuſcule abeſt ab omni magiſtri ſui ducendis in aere lineis elegantia induſtriaque, ut ille quoque ipſe magiſter aliquanto clarior fama, operumque plurimorum nitida ac munda ſcriptura, fuit, quam doctior uberiorque reddenda ſecundum naturæ copias immenſas multiplici ac varia corporum pulcrorum ſpecie. Nuſquam vero levius eſt probanda Bernardi manus, quam ubi numos veterum & anulorum emblemata gemmas, reddere lineis ſuis conata fuerat. Iſta vero opus erat moneri, ne quis credat, ullo pacto luminibus huius a Noſtro procurati Longi offici poſſe per illum Francogallice relatum cum tabellis picturæ linearis quibusdam. Nam hoc quoque laudandum eſt in Noſtro, quod maluit coniungere cum tabellis Græca ipſa Scriptoris diſerti verba, nitide, formulis probis, in chartis optimis, atramento bono repræſentata, quam ullius interpretis commentaria. Tales enim rhetoras, ac ſophiſtarum deducta arte ſcripta, quicunque vel Latine, nedum vulgaribus litteris everſa, tractare inſtituit, non cenſendus eſt ipſos legiſſe, ſed fabulas quasdam ambiguas & obſcuras, claris ipſorum nominibus inſcriptas. Tamen, ut ſæculi conſuleret ingenio, e regione Græce editorum, exſcribi itidem nitide fecit Petri Mulli (*Moll*) Longum Latine verſum: rectius fortaſſe Iungermani ſincera omnia, velut mundiora, daturus. At nos contenti iſtis, ut valde nitidis, & hactenus probandis, ſuperiore tempore de omni eo opere ſententiam uberiore diſſertatione expromſimus, ad quam nunc amplius quidquam addere non eſt opus. CHR.

THE RUINS OF PALMYRA OTHERWISE TEDMOR in the Desart. London 1753.

i. e.

PALMYRENAE URBIS AEDIFICIORUM, quantum eorum hodie superest, Ruinæ. quæ urbs alias Tedmor in desertis Syrorum.

Londini, a. 1753. Paginis litteratis singulis, nec diptychis, chartæ ingentis, litteratis quidem num. 28. picturatis lineari ex aere pictura num. 57.

Magnum, spectandumque inprimis opus, ingenti volumine codicis speciosi, picturæ linearis beneficio, nitidissime curatis adumbranda rerum specie picturæ linearis ex aere tabulis, quæ commentario illustravit longæ, ac difficilimæ, discriminisque plenæ peregrinationis comes, Rupertus Gevoldus nomine, (*Mr. Wood*) læti studiis monumentorum veterum lubentesque videmus. Vix illud tale ac tantum fidem erat inventurum, nisi olim affirmatum aliorum peregrinantium diversis testimoniis, nunc magno requisitum, exploratum, excussumque animo, sic minutim descriptum summa industria, proponeretur, ut iam amplius dubitandi de summo ac pæne incredibili Palmyræ vel excisæ splendore nullus sit locus futurus. Nam quamquam pro certo & explorato neutiquam accipiendum est, sed festinato cuidam animi decreto propius sit, aut consuetudini hodie prædicantium sibi dilecta, quod aiunt, (*Operis commentario pag. 1.*) Operum antiquorum maxima, ac præ reliquis fortasse omnibus unice admiranda, extare Heliopoleos Syriæ & Palmyræ hodie rudera & ruinas operum, quo vocabulo parietinas tectorum, situm passas, & pendentes vetustate columnas appellare vulgo solent: (*that Balbeck and Palmyra perhaps the two most surprising remains of antient magnificence which are now left* ac pag. 21. *That the ruins are the greatest and most entire of any we know:*) tamen hæc abunde, quæ his in tabulis contemplanda exhibentur, magna sunt. Constat autem satis, Romæ amplius tribus millibus

millibus columnarum operis antiqui, & in his plurimas cum epiſtyliis ornamentisque ſuis, ac templa quædam propemodum integra, ne ſigna tot illuſtria & marmorum ectypa memoremus, hodie ſupereſſe: tanta quidem architectonicæ rationis pulcritudine, tanta ac tam ubere ac docta temporum optimorum & manuum varietate, ut ad eam copiam, & ad has operum virtutes, adſpirare iſta felicis quondam Syriæ miracula non poſſint. Similia ſunt eorum, ac ſæculo & moribus noſtrorum permittenda, qua conquiſitos ſibi ac paratos lectosque hoc brevi tempore inter turbam ſtrepitumque peregrinationis aiunt poetas & hiſtoricos Græcos omnes, quoſcunque reliquos e naufragio litterarum & artium vetuſtatis in bibliothecis habemus. (*Praefat. pag. a. all the Greek hiſtorians and poets*) Sed laudandum omnino inſtitutum eſt, & nobilis bene animatorum neque indoctorum iuvenum impetus. Quorum in partem diſcriminis ac laboris tanti qui venerunt, quo magis in partem laudis promeritæ veniant, nomina ponemus. Boverius quidem, (*Mr. Bouverie*) non *Broverius*, quod editum nuper legere me memini in Actis diurnis (Gelehrten Zeitungen,) rei litterariæ urbis noſtræ. Ubi quæ egregie probeque memorantur hoc de libro, nos in præſens conſulto, ne bis unam rem, dicere omiſimus. Eius Boverii valde virtutes, & intellegens vetuſtatis eruditæ ingenium, & ſtudia prædicant, medio in curſu profectionis fato interceptus eſt. Alter Dalequinus nomine, (*Mr. Dawkins*) qui ſupereſt profectionis laboribus, non modo peregrinationis ſuſceptæ ac peractæ animo magno, ſed munificentia quoque claruit, poſtquam omnem editionis fructum ex his commentariis adeo memorandis, & e tabulis linearum adeo pulcris rediturum, Gevoldo, quem laudavimus, uni liberaliter permiſit. Menſor ædificiorum adſcitus, ſive Architectum dixeris, qui tabulas adeo ſcienter curioſeque delineatas præſtitit, profectionis item comes, natione Italus, non erat ille ſic tralatitia mentione deſignandus. *Borra* nomine eſt, hoc unum enim edit, omiſſo prænomine, qui, niſi aliis operibus ante celebratus innotuit, hoc ſatis codice clarus futurus eſt. *Boream* nos quidem,

 emo-

emolliendo, neque consuetudine, sed necessitate reddendæ utcunque Latialis per syllabas & per elementa singula, facundiæ, nomen illius rescriptum ederemus, si per eos liceret, quibus, abhorrentibus ab omni litterarum doctrinæque elegantia, ab omni antiquitatis sinceræ figura, barbara quævis permixta Latinis multo magis arrident & probantur vocabula, quam casta & munda, qualia tritavorum nostrorum ætate Germania cultior frequentabat. Ad eam legem ausi sumus Anglosaxonicum nomen *Wood*, quod fluxit e nostro Wald, *silva, nemus*, reddere modo, non *Voldum* aut *Validum*, quæ figura semibarbarum quiddam referret, sed, ut oportuit, Gevoldum. Ista in transitu, ne quis fortasse parum ab se per imperitiam intellecta, reprehendere atque emendare velit. Post mensorem ædificiorum nihilo digniores erant, quorum nomina silentio per commentarios premerentur, artifices picturæ linearis in aheneis lamnis subtiliter scribendæ. Tam enim docte illi, accurateque & præclare, quamquam comites peregrinationis fuisse non videntur, radio executi propositas ac stilo formas, quum sibi sumsissent peregrinationis susceptæ auctores, imitari velle præsertim mirum ædificiis veterum ad mensuras exigendis, post Labacum ac Dosium, aliosque paucos iis minores, Antonii Acyathis, seu Degodetum scribere mauelis (*Desgodetz*), opus, laudando eo, sed difficillimo instituto, adeo bene huius ipsius tabulas subtilissimasque lineas ut adsequerentur, ut vel certasse artificio videantur cum clarissimis tum Galliarum picturæ linearis in aere fabris, quos mensor ille imperio ac iussu Ludovici XIV. Regis adhibuerat. Sunt autem illi, *Thomas Maior, P. Fourdrinier* suis sibi litteris, atque *I. S.* cum *T. M. Muller:* quorum iste quidem, & ille primus, nostri natione per nominum indicia videntur. Quod sibi imitandam diligentiam summam mensoris clari inter Gallos illius, quem laudavi modo, proposuerant auctores huius operis, si adsecuti sunt, magnum est, neque quidquam potuit fieri rectius: sin brevitate temporis, & cæli gravis iniuria & æstu illis in locis, & reliquis peregrinantium incommodis, exclusi, facere non potuerunt, quin levius incurio-

curiosiusque ad amussim exigerent mensuras ædificiorum omnes, consilium saltem laudandum est, magnitudine coeptorum, ac difficultate destitutum. Nam ultra dies XV. non licuisse eis commorari illis in locis, ubi olim Palmyra fuit, ipsi profitentur. Hui, tam arcto moræ spatio, in hoc articulo, tot ac tanta, sic subtiliter ac deducte! Tempore certe adeo brevi minime expeditum fuit, tot columnarum scapos atque epistylia, & capitula reliquis cum ornamentis, & intercolumnia, & lumina, & parietinas, & reliqua metiri sic minutim, ut illi fecisse tabulis probantur, nedum ut scenas tot Ruinarum adeo late patentium, tam bellas, tanta copia, tam singulares, accurate delineando, pictura lineari & monochromate adumbrarent. Non est enim dissimulandum, aliquos intellegentes artium, ac domesticos eorum testes, non addubitare modo, si fieri potuerit, sed negare factum, ut exactis mensuris formæ tot ædificiorum veræ redderentur. Sed non modo vestigia tot operum dissitorum patentibus in campis, simul omnium ac sigillatim uniuscuiusque templi, porticus, basilicæ: sed & orthographias, quas dicunt a fronte formas, integrorum, & scenas, quæ scenographiæ vulgo audiunt, multorum perbellas, tanquam prospectus dissitorum ad mensuras operum, & partium quoque ornamentorumque & lacunarium lineas, subtilissime deductas, ediderunt. In eo nobis difficultatis nonnihil situm esse propterea visum fuit, quod neutro commentario, sed utrumque legimus, qui primum obvenit Francogallice conceptus, & mox item Anglosaxonice, publicavisse videntur, rationes quas proprie tenuerunt, & caput mensurarum: Parisiorumne pedem Regium, quod multi hodie solent, adhibuerint, an suum Britannicum recentem. Tamen nunc denique invenio, una in pagina, verbum de eo, quo sunt usi, pede: (*pag. 42. All the scales in this work are of English feet and inches*). Debuerunt autem, in omni opere, sequi potius & applicare veteris Romæ pedem. Quod si e lege talis instituti fecissent, in plerisque respondentia ad numeros rotundos pedum & pollicum, & sextularum, ornamenta operum reperturi fuerant, iucundo simul atque utili festi-

festinantibus compendio. Nam certe qua referre illius, quem laudabamus, Galli diligentiam curant, sæpe in sextulas, & in partes sextularum, mensuris sigillatim præstandis eundum fuit. Conveniebat autem, mensuris veterum usos, verbis quoque eorum exponere de argumento tali. Vulgaribus enim litteris qua tractamus antiqua, abesse ab omni barbaria dictionis, obscura multa & ambigua, neque congruentia proprietate cum illis rebus, vocabula necessitate frequentantes, non possumus. At illi videlicet errori abhorrentis a litteris veris sæculi præsentis nonnihil cedendo comiter permiserunt: quod nos quoque semel aut bis facere coacti sumus. Eam vero litterarum vulgarium barbariem hodie augent prava consuetudine, qua vulgo, ut invento egregio, rumpunt perscribendæ orationis, qui continuus esse debebat, in versus enormes absurdosque, tenorem atque contextum. Quod meminimus etiam præcipi nobis olim pueris, ut novum quiddam & egregium, a grammatista vulgarium, qui nos Francogallice scribendas epistolas miscendosque sermones doceret. Erat item in commentario quorundam certa & luculenta verbis ratio edenda, in quibus hærere dubia mens eruditi operum spectatoris potest. Namque est mira ac difficilis explicatu ista inter se plurimum conspirans tot architecturæ veteris residuorum operum similitudo: tanquam si omnia uno tempore brevi, unius e fabri commentariis & formis præscriptis, eiusque minime uberi ad variandum ingenio, instituta ac perfecta essent. Quanquam enim facile demus, fieri posse, ut ædificiorum eorum omnium natales, quæ Palmyræ hodie iacentis quoddam cadaver ostentant, intra Cn. Pompeii & Iustiniani imperantium tempora constiterint: tamen istud quingentorum & ultra annorum tempus cum longum est, tum artium ingenio, & institutis, & consuetudine, valde varium, ut non sit verisimile, uno propemodum exemplo tot operum adeo magnorum formas constitutas fuisse. Quid, quod ne templi quidem Solis, & illius immensæ admirandæque porticus, formæ ac rationes, absint satis ab illo uno formarum & ornamentorum ingenio. Quum templum Solis tamen

vel

vel antiquius esse ætate PompeI credatur, neque exscindi flammis hæc solida marmora, deleta urbe, possent. Senserunt sane hi præclari operum inter peregrinandum spectatores, ut homines docti, fatenturque se animadvertisse nonnulla tectonicæ rationis tot ædificiorum peccata. Non tamen ediderunt verbis, quod vellemus, illa ab se animadversa. Sunt in his quædam, ædificia dicimus, (nam de titulis marmorum litteratorum, qui multi sunt hic editi, ac memorandi, edisserere in præsens omittemus,) unde dubiam valde mentem eorum, qui artium intellegentiores has tabulas inspiciunt, suspensum iri putandum est. Ut vel in templo Solis, columnæ intra omnem operis πυκνοστύλου modum coniunctæ ac maritæ (*des colonnes coupleés*). Quorum exemplum nos olim sinceræ vetustatis in operibus meminimus requirere, neque invenire. Absurdum est enim, & rationi contrarium, atque ideo ferme Gotthicum, maritare columnas velle. Una si columna ferendo oneri suppeditare non videtur exilior: at tu Doricas pro Corinthiis, opusque πυκνόστυλον, altioresve substructiones maioribus columnarum scapis molitor. Sed suppeditat. Quid igitur detrahis columnæ gratiam suam, pulcritudinisque sitam in ratione & in modo altitudinis, respondentis eius amplitudini, speciem? Maritæ certe duæ, & in unum velut corpus confusæ, ut unum spectabuntur, neque iam oculis octonam aut novenam mensuræ rationem cum venustate contemplandam dabunt, sed prorsus barbare quadruplam. Intercidet operis per columnas explicandi omnis, sive εὔστυλον illud sit, seu ἀραιόστυλον, seu πυκνόστυλον, concentus ille elegans mensurarum, quem εὐρυθμίαν appellare insuevimus. Tam enim solvit modum & gratiam spatii intercolumniorum densitas corporum, quæ statuis, quam eam intervertit raritas. Accedet corrumpens rationem operis totius, quæ ratio modorum una esse continuarique debuit, inepta quædam varietas, ut mox verbi caussa ἀραιοστύλου ratio intra πυκνόστυλον se colligat, mox abnormi iunctura densæ & maritæ columnæ, aliis immane hiantibus, adsint. Ista quidem de maritandis, recente operum vitio, columnis ac pilis. Sed istis tamen cunctis

animadverſis noſtra opera, ſi qua eorum ſunt monumentum vindice dignum habitura, facile medebitur copiis ingenii, quæ ei adſunt, & ampliore diſſertatione, Rupertus, quem laudavimus, Gevoldus, ubi reliqua peregrinationis tam bene ſuſceptæ memoranda, per commentarios, aptasque illis picturæ linearis per tabulas, tot urbium Archipelagi & Aſiæ formas ruinarum tectonicas reddituras, ordine publicabit. Quod ut maturetur opus, & ut contingat propediem ſtudiis noſtris videndum, cupimus. Nam iſta Palmyræ veteris imago eſt quædam pars nobiliſſima & ſpecimen pulcrum operum ſimilium, quæ edenda reſtant, aliorum. Quod ubi fiet, duplici beneficio nos obſtringet, ſimul optime conſulturus eſt crumenis noſtris, & lacertis, & oculis, male legentium vel principes paginarum verſus, e conſpectu longius altitudine codicis magni remotos, qui Antonii Degodeti induſtriam mirificam præclaro conſilio imitari ſe ait, eius item in regio codicis opere prodendo ſi modeſtiam æmuletur. Nam Antonius quidem attemperatum tabulis & mediocrem libri & chartarum modum ſervavit, qualem quoque Claudius Peraltus in Vitruvio Francogallice publicando: noſter e diverſo, Rupertus, pulcherrimas quidem & niveas, ſed quas potuit maximas deligendo chartas, quales Atlanticas vulgo appellant, & quales aliqui item alii architecti operibus ſuis adhibuerant, ut Carolus Fontana verbi cauſſa Amphitheatro Flavio deſcribendo, ponderi codicis, quæ moleſta eſſe quibusdam poſſint, adiecit quidem, non item dignitati & pretio, quæ utilia & bona. Nam in rebus omnibus teneri aliquem certum modum ac finem, verius eſt.

Ceterum, quod aiunt, iſto Commentario neque Seleucidarum Regum, neque Romanorum Imperii quidquam eorum tantorum operum videri eſſe, ſed eſſe civium Palmyræ urbis opera, quorum ipſi lineas in tabulis pictura lineari redditas edunt: non antiquiora illa Cn. PompeI vel Syllanis temporibus, neque recentiora Diocletiani ætate: de eo, quoniam veriſimile eſt, Solis templum longe antiquiſſimum eſſe, neque conflagrare bellorum caſibus diverſis omne potuiſſe, vanum autem

autem non videri Procopium, qua inſtauratam utcunque, vel munitam, a Iuſtiniano, Palmyram ait, amplius deinde, noſtra quidem ſententia, videndum fuerit. Neque erat, cur minus cognitam eam Syriæ regionem Procopio fuiſſe cenſeret noſter, eo, quod Sarracenorum incurſionibus recte ſitu locorum oppoſitam eſſe traderet. Bis autem Palmyram ille in litteras mentione facta retulit, ſemel (*cap. XI. libri II. p. 50. edit. Regiae, de Aedificiis Iuſtin.*) qua deſertam ante munitam a Iuſtiniano ait. Iterum (*cap. primo libri V. p. 94. 95.*) qua ſitam in Phoenicia ſub Libano monte dicit ille Palmyram.

Deſideramus item ſuper marmorum, quibus conſtant quæque eorum operum, expoſitionem perſpicuam atque accuratam. Candido e marmore eſſe aiunt, nihil ultra. Parium ne iſtud, an aliud, putemus? peregrinum, an in Syria natum? Non eſt veriſimile, ut ſcapos ſemper unius coloris e ſaxo, ita quoque capitula columnarum, & epiſtylia, & limina tot ianuarum, & lacunaria, nihil uſquam variando, fuiſſe. Semel ſcapos aliquos e porphyrite, qui & leucoſtictos lapis, viſos a ſe ibi fatentur, ſolidos ac totos una marmoris gleba poſitos. Talem adnotandi diligentiam, etiam in reliquis aliquis poſcat. In iudiciis eorum requirimus, quod ſepulcrum non templum edunt, qua ingens illa porticus ducit, faſtigio & reliqua ſpecie templis veterum ſimillimum, niſi quod poſſis putare, ſimul & uſu templi, & ſepulcri in ſacro nobiliſſimi, apertum quidem & adeundum, olim iſtud opus fuiſſe. Hæc ſuperiora nos optimo quidem conſilio, quatenus eorum aliqua ſuſpenſos attinere ſtudioſorum hominum animos, in opere magno & ad ſummam probando, poſſe putabamus, in litteras referenda habuimus. Reliqua omnia, noſtro certe animo, præclara ibi, ut memoravimus, ac merita laude celebranda ſunt. CHR.

ALBERTI HALLERI PRAESID. REG. SOC. Goetting. Opuſcula Pathologica, partim recuſa, partim inedita: quibus ſectiones cadaverum morboſorum potiſſimum

mum continentur. Accedunt experimenta de Respiratione, quarta parte aucta.

Lausannæ, sumptibus Marci Mic. Bousquet & Soc. 1755. 8. pl. 19. c. Tab. aen. 3.

Dissectis ultra ducenta Cadaveribus, novas & prorsus singulares mortis causas Illustris Auctor detexit in quamplurimis, vel novi quid offendit, quo aliquod physiologiæ argumentum declarari potest. Scirrhus Cerebelli hominem diu superesse passus fuit, nec animalia, ex inflicto cerebelli vulnere statim occisa sunt. Hinc dubia, istius visceris solius erga vitam relatio. In falce Cerebri hemisphæria Cerebri dissepiente, lacertuli magis distantes & foramina ampliora conspiciebantur. Capsula lentis obscurata, ipso nucleo pellucido, iris convexa, visa, secus ac beato Gunzio: Carotidis truncus ad divisionem usque distentus in anevrisma fuit; Scirrhus musculi mastoidei torticollem fecerat: Strumæ, quales in glandula thyroidea sunt, deprehensæ etiam fuerunt ad oesophagum in illis glandulis, quas Vercellonius vermium suorum nidos fecerat: Inter pleuram & costas colluvies serosa orta & in hydropem saccatum intumescens, pulmonem istius lateris elisit & fere absumpsit: Pleuritidis & peripneumoniæ indoles lex utriusque effectibus intellecta describitur, cumque pleuritici sanguinem sputo eiiciunt, in sola pleura morbum non subsistere, sed pulmonem una affectum esse, de cuius vasis sanguis tunc trassudat, asseritur. Anevrisma aortæ describitur, cuius parietes squamis osseis subtensi, valvulæ autem callo induratæ, fuerunt: Carotidem, ad foramen usque petrosum, polypus replevit, & eius cavitatem delevit, qua de caussa vena quoque iugularis illius lateris coeca visa est. In alio exemplo vena cava, post hepar, sanguinem ducere desiit, ast vena renalis, pro ratione consueta longe amplior, sanguinem ex inferioribus locis in se receptum in altum provexit. Colon, vesica fellea, duodenum, ventriculus, coaluerunt & ex colo in ventriculum ulcus patuit: Tympanitidis ratio in eo posita est, quod flatus

tus inteſtinales per cellulosas inteſtinorum tunicas, iuxta experimentum in cadaveribus inſtitutum, ad peritonæi telam abire poſſint. Herniæ connaſcuntur pueris, namque teſticuli illis in abdomine, prope renes, latent, ſuo tempore deſcenſuri, quibus annulus interea patet, ut inteſtina, certe peritonæi pars, deſcendere poſſint. Calculi nullibi frequentius, quam in cyſtide fellea, reperiuntur, omnes de inflammabili materia compacti: uterus ex abortu ruptus, & eius oſtium, qua parte illud, interveniente peritonæo, cum vagina iungitur, a ſinu muliebri avulſum, oſtendit varia viſu digna: Rugas vix mutatas, fibras omnis generis, ſub fornice matricis, quas muſculum dici, nihil impedit. Corpus luteum non niſi in gravidis & puerperis viſum eſt. Omentum matrici adhærescere, veluti Hippocrati, ita & noſtro, viſum, aſt ſteatomate induratum. Conſtitutio epidemica variolosa deſcribitur: Damnantur calida, laudatur camphora ad decem grana per diem, ſub velo emulſionis, tunc maxime, cum variolæ mali moris ſubſident, quas, ſub uſu camphoræ, elevatas de novo vidit. Submerſi in aqua admittunt liquidum, & illud pulmonibus & ventriculo excipiunt. Falſi autem non ſunt Beckerus & Dethardíng, qui, fieri hoc poſſe, negant, namque, qui, recenter delapſi, mox extrahuntur, in ultimo vitæ puncto ſtrinxerunt fauces, quibus deinde laxatis poteſt vis aquæ irruere. Plerique ſunt irrevocabiles. Oſſa in cerebro nata; Scyphus humoris vitrei in oculo lapideus; Lapis in corde; deprehenſa fuerunt.

Duplex contra Beatum Hambergerum movetur quæſtio, altera, an pulmones pleuræ ita accumbant, ut aer intercedere non poſſit; altera actiones muſculorum intercoſtalium attinet: HALLERVS aerem ex thorace penitus abigit, HAMBERGERVS eundem admittit; Ille canes ſub aqua diſſecuit, nec bullulas aëreas, quod a LIBERKVHNIO Berolinenſi, gravi viro, ita quoque viſum eſt, emergere deprehendit: HAMBERGERVS tamen vidit bullam tumidam. Sub mediaſtino poſtico, hanc & HALLERVS, ſed ex pulmone oppoſiti lateris eſſe, contendit, cum ille inflatur: quod muſculorum intercoſtalium actionem attinet, exiſtimat HAMBERGERVS, internos detrahere

trahere costam quamvis superiorem, externos inferiorem elevare; HALLERVS, utrosque ad inferiorem costam elevandam facere, demonstrat exinde, quod spatia costarum intermedia sub inspiratione fere delentur, quæ HAMBERGERVS augeri dixerat. Laudanda est Illustris Viri modestia, qua ductus, sua defendere, sine aliorum calumnia, voluit. Bene nobis porro eveniant istæ feriationes helveticæ.

CORNELII NEPOTIS VITAE EXCELLENTIUM Imperatorum, quorundam iconibus ornatæ, & nonnullis animadversionibus, partim criticis, partim historicis, illustratae ab AUGUSTINO van STAVEREN.

Lugd. Batavor. apud Sam. Luchtmans & filios, 1755. 12. 1. Alph.

Anno huius seculi quarto & trigesimo, Augustinus van Staveren Cornelium Nepotem, in octava, quam typographi vocant, forma, variorum, suisque illustratum observationibus, ediderat: non tamen eo consilio, ut, quod nec alii summi viri in antiquis auctoribus restituendis consecutisunt, Nepotem se ab omnibus nævis, ab inscitia librariorum profectis, purgaturum speraret; eo cautius hic versatus, quo magis abhorreret a recepta nostris temporibus, perversaque consuetudine, tota loca, paulo insuetiora, emendandi & mutilandi, contentus potius aliorum, & suis paucis, emendationibus, quibus pleraque loca ita sunt curata, ut non nisi igni ferroque secari queant, aut indigeant, cum aliorum, tum inprimis I. M. Heusingeri Isenacensis curatura, qui ante hos undecim annos emisit *spicilegium emendationum & observationum ad Cornelii Nepotis excellentium imperatorum vitas XVIII. priores, quarum plura menda, V. Cl. Augustini a Stavern nova opera nondum sublata, corriguntur, loca obscuriora explicantur, alia a sinistris interpretationibus vindicantur*. Sed cum V. Cl. Staverius, huius Heusingeri opus titulo non respondere videret, in quo haud exiguæ chartæ parti parci potuisset, si modo Heusingerus sola ea quæ ab aliis

aliis intacta relicta fuerant, illustrare voluisset; & nisi multa ab aliis iam observata tanquam nova protulisset, multa aliena & ridicula excogitasset, multas lectiones insulsas Staverio perperam tribuisset: Vir Cl. Aug. van Staveren, ut hunc suum adversarium refutaret, novam hanc editionem Nepotis in minori forma adornavit. Praeterea & novas quasdam observationes, nullis fere ex priori editione repetitis, addidit, inprimis ex eo genere, quod pertineret ad facta imperatorum, ex Scriptoribus graecis, illustranda. Sed ut, quid V. Cl. in hac editione spectarit, clarius appareat, quibusdam exemplis subiectis, brevem quasi totius operis adumbrationem exhibebimus.

Primum itaque, etsi saepe in adversarium suum, vita iam functum, vehementius invehitur, meritas tamen ei quoque laudes saepe tribuit, eumque ad C. Nepotem, si nondum ab aliis iam illustratus fuisset, edendum, quasi natum profitetur; utpote qui Nepotis elegantiam, & verborum sententiarumque collocationes optime haberet perspectas. Adeoque Heusingerum, ubi bene versatus est, laudat, & sequitur; ut Milt. II. 5. ubi *dictum* Boeclerus in Indice per captiosam orationem explicat, sed Heusingerus per pactum, cf. Cic. Off. I. 7. III. 13. Virg. Æn. 433. quibus addit Staverius Eum. II, 2. *data Eumeni est Capadocia, sive potius dicta: it.* Dion, *VII. 2.* cum Stav. ante legisset: *Neque, quo manus porrigeret, suppetebat, nisi amicorum possessiones,* sine praepositione; nunc cum Heusingero, auctoritate quorundam codicum, scripsit: *in amicorum possessiones,* quam & Burm. ad Quinctil. XIII. c. 6. pag. 279. lectionem probat.

Sed tamen obtrectatorem suum, multa notissima, tanquam sua & nova attulisse notat; ut in Cim. IV, 2. ubi typothetarum errore in priore Staverii editione editum erat, *pedissequi,* at in Attico XIII. bene *pedisequi,* adeo ut non opus haberet Heusingerus prolixe docere, hanc vocem uno sibilo scribendam esse, quod dudum iam factum erat a Cl. Burm. ad Phaedr. Lib. IV. fab. 4. vs. 36. Sic in Dione II, 5. cum, quid sit sopor, describat, omnia debere videtur cum aliorum, tum

tum ipsius Staverii notis; aut Timoth. III, 4. ubi Stav. cum Lambino ex Codd. suis, *ut si in sua navi esset fortuna* ediderat, *ut si* pro *ut*, c. Dat. III. 2. hæc secure descripsit Heusingerus, tribus aliis locis, ubi Nepos sic loquitur, additis.

Deinde multa ridicula in Heusingero animadvertit, ut præf. 5. puerilem errorem, quo in verbis *victorem Olympiae citari* ad vocem Olympiæ subintelligat commissionis vel concitationis, cum tamen Olympia semper sit nomen urbis; Nepos enim hic imitatur Ciceronem lib. I. Tusc. Qu. c. 46. *uno die suos filios Olympiae victores vidisset.* Eundemque delirare vel insanire dicit in Eum. I. 5. in his: *apud nos revera, sicut sunt mercenarii scribae existimantur,* quod probet quidem hanc interpunctionem, sed malit tamen verba, *sicut sunt,* post *existimantur* locare, ne ab interpretibus τὸ *revera* cum *sicut sunt* iungatur; reprehendens Staverium, qui eiusmodi pleonasmi exempla collegerit. Sed manere ait Stav. pleonasmum, quacunque ea verba loces. Huc & pertinere videtur cum Staverius Dat. VI. 1. oblivionis se ab eodem accusatum putat, quod non monuerit, in thesauro Fabriano legi *animi delibarentur militum,* pro *debilitarentur.* Sed inepta est lectio, adeo V. Cl. etiamsi non soleat hunc thesaurum evolvere, tamen, si in hoc verbum forte incidisset, nunquam lectorem de eo monuisset.

In aliis locis ægre fert, multa sibi ab Heusingero fuisse adscripta, quæ nunquam ex suo calamo profluxerint, ut Lysandr. III. 2. accusationem, qua insimulatur, pro *Delphos* maluisse *Delphis,* quod tamen secus esse facile appareat, cum ex notis suis, tum ex littera typothetarum vitio non bene expressa: it. Iphicr. II. 3. Heusingerus dicit: legendum est *moram Lacedaemoniorum intercepit,* non ut quidam recentiores, *interfecit;* putares hæc pertinere ad Nepotis menda, Staverii opera nova nondum sublata, qui tamen ediderat *intercepit,* eamque lectionem in notis defenderat. Con. III. verba: *quod* προσκυνεῖν *illi vocant,* miratur Heusingerus nec a reliquis, nec a Staverio parenthesi esse inclusa, quo melius intelligatur, verba esse non Tithraustis, sed Nepotis, & τὸ *illi* referatur

ratur ad Græcos. Ad quæ Staverius respondet adversario suo Germano, acuto, ut eum nominat, ingenio, nec tam stupido ut Batavi cum Boeotiis in crasso aere natis: se etiam perspexisse, non esse verba Tithraustis, neque tamen se credere esse Nepotis, sed librarii; cum, si quid voluisset Nepos dicere, potius Persarum voce usus fuisset, ut Cim. III. de Atheniensibus locutus: *testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant*, & Milt. IV. de Græcis, *genus cursorum hemerodromi*. Itaque Staverius hæc verba parenthesi nunc inclusit, non quia Nepotis, sed quia interpolatoris esse credidit.

Sæpe etiam Heusingerum oblatrandi tantum studio sibi contradicere queritur. Nam Timoth. III, 4. Stav. cum Bosio ediderat, *ut si in sua navi esset fortuna*, sed legit Heusingerus cum aliis, *manu* pro *navi:* at retinendum est τὸ *navi*, cum sine dubio respiciatur illud Cæsaris, ut habet Plutarchus, ad gubernatorem: καίσαρα φέρεις καὶ τὴν καίσαρος τύχην: præterea enim & ethnici crediderunt, Deos nonnunquam cum ducibus navigare, v. Plut. in Timol. hinc & dii navium tutelares. Sic Iphic. II, 5. *retardaret inceptus* non fert Heusingerus, cum inceptus impediantur non retardentur, & cum consilium Epaminondæ fuerit, expugnare & delere Spartam, id ab Iphicrate non retardatum, sed ut plane ad irritum caderet effectum esse. Sed hæc V. C. Stav. non cohærere dicit. Adhæc, secundum Xenophontem Lib. VI. H. Gr. p. 479. nusquam, quam hic, Iphicrates peius & imprudentius rem gessit: itaque non debebat Heusingerus pro *inceptus* legere *impetus*, nec τὸ *inceptus* ex civitate latina eiicere, quum habeamus raptu & rapto, acta & actus, quod dudum monuerunt viri docti. In Agesil. VIII. 1. Staverius se defendit ab iniuria sibi ab Heusingero facta, quod hic, & aliis in locis, non monuerit, in suis Codd. suppleantur, nec ne, quæ in aliis desint; cum tamen si quid defuisset, sine dubio notasset. Præterea Heusingerus dicit Staverium imitatum esse non Burmannum & Drakenburgium, sed Lambinum & Lambini similes, quorum Codices omnes denuo sint excutiendi. Sed noluit Staverius, ut fatetur, facere corpus varietatum lectionis

nullius momenti, quæ sæpe ad scriptores emendandos nihil conducant. Nec Burmannus multitudine variantium lectionum obruit, aut deterret lectorem, qui imitatus potius summum Gronovium, Livio plus lucis attulit, quam Drakenburgius, qui undique conquisitorum codicum lectionibus coacervandis, huius historici editionem, ob auctum inde pretium, tironum manibus exemit. Lambini autem incuria, etsi non laudanda, cum hoc tamen viro comparari non erubescendum, utpote qui Heusingero sit eruditior, & in historia græca longe versatior.

Adeo V. Cl. sæpe reprehendit Heusingerum, qui nimis sæpe anxie curet grammaticorum nugas interpunctionum & parenthesium, historica autem plane non tangat, nec dissensus ideo ortos componat: ut Timoth. IV, 2. utrum legendum sit *Iason tyrannus*, an, ut semper ab aliis nominatur, *Iason Thessaliae tyrannus*: Dat. VI, 1. utrum *Arsidaeum*, nomine non facile obvio, an *Aridaeum*, familiari Persis & Macedonibus: an Iphicrates fuerit Timothei filius, ut Pausanias ait lib. IX. c. 14. p. 739, an sutoris, secundum Suidam. Quæ cum Heusingerus omittit, plane etiam tacet de verbis, ut si in quibusdam Codd. legitur: *Non tam genere, quam rerum gestarum magnitudine nobilitatus*, in aliis autem, *non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus.*

Neque tamen solum in adversario suo refutando occupatus est, sed etiam novis quibusdam atque elegantissimis observationibus verba Cornelii illustrat; in quo nos sæpe ablegat, cum ad alios, tum ad observationes miscellaneas novas Tom. VI. p. 516. seq., in quibus ipse multa Nepotis loca explicavit, item ad emendationes & explicationes in Nepote factas a Viris clarissimis, inprimis Oudendorpio ad Iul. Cæs., & a Gronovio & Drakenburgio ad Livium, quibus & alias suas addidit.

Tales sunt primum ex genere critico, ubi quidem nullis novis Codicibus usus, sed tamen in deligenda & corroboranda vera lectione, raro etiam in Nepote emendando, occupatus est. Ita Chabr. III. 3 *τὸ eminere altius*, præfert *τῷ emergere*

gere altius, quod olim vulgo legebatur, cum locutio desumta videatur ab antiquo more, quo reges creati in altum tollerentur; vid. Pithoeum lib. II. adverf. c. 6. in Face critica T. II. p. 783, 784. In Epam. VI, 1. Mſ. Boecleri legit: *Callistratus Atheniensium ductor legatus*, in reliquis deest *ductor*; illam lectionem probat Bosius, sed Stav. dicit, ductorem hic non significare ducem legationis, ut vult Bosius, sed, si sit a Nepote, quod tamen vix credendum, notare δημαγωγὸν, ut nominatur a Diod. Sic. lib. XV. c. 38. quæ vox per ductorem versa sit, principes vero legationis ἀφηγέμενοι πρεσβείας nominantur a Strabone lib. II. p. 81. Eum. V, 1. ubi Perdiccas interfectus dicitur a Seleuco & Antigono, quod tamen nullibi factum legimus, potius Antigenes dux Argyraspidum primus in Perdiccam fecit impetum, v. Arrian. apud Photium p. 224; itaque legi vult pro *Antigono*, *Antigene*, & forte pro *Seleuco*, *Teutamo*, qui una cum Antigene dux fuit Argyraspidum, nec librariis tam notus, quam Seleucus. Sed tamen nemini hanc coniecturam obtrudit.

Nec inutile aut iniucundum erit latinæ linguæ studiosis, cum V. Cl. lectores sæpe de locutionibus propriis admonet, ut Pauf. IV, 1. *si epistolam pertulisset*, v. Oudend. ad Iul. Cæs. IV. B. G. 27; Sic Agef. II, 1. *emittere exercitum*, ut sæpe Liv. *emittere equitem in hostem*, cf. Gronov. & Drakenb. ad X. 5. it. in Attico XIV, 2. *pecuniae accessio*, ut Terent. Hecyr. A. 3. sc. 5. vs. 56. *paulum accessit pecuniae*, Iustin. lib. VI. c. 1. dicit *accessio opum*.

Porro V. Cl. alia eleganter ex græcis explicavit, ut Themist. II. *miserunt Delphos consultum*, ubi *miserunt* absolute, a Nepote τὸ *legatos* non additum esse coniicit, quia sit vox generalior, nam qui Delphos mittebantur, non vocabantur πρέσβεις vel πρεσβευταί, sed θεωροί. Pauf. IV. 4. Nepos verba Thucydidis ἀνήρ τις Ἀργίλιος vertit per *Argilius quidam*, & τὸ Argilius videtur accepisse pro nomine proprio; quod cum Heusingerus etiam exinde reiiceret, quia vox ἀνὴρ non præponatur nominibus propriis: hanc rationem nihili esse ostendit Staverius, cum Herodotus lib. II. c. 119. scri-

pſerit, ἀνὴρ Μενέλεως. Timol. IV. ult. *Timoleon domi ſuae ſacellum αὐτοματίας conſtituiſſe* dicitur, quod nonnulli interpretantur per fortuitum caſum, eoque argumento Timoleontem atheum fuiſſe putant, quod repugnat antecedentibus: itaque melius omnino exponit Staverius per divinam providentiam, ſive beneficium ſibi immerenti ab ipſo Deo oblatum, quo ducem Dii ſe potiſſimum eſſe voluiſſent. Laudat V. Cl. Ælian. V. H. lib. III. c. 1. ubi ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔργα, opponuntur φύσει αὐτομάτῳ: it. Schol. Pind. c. Pyth. IV. vſ. 107. ſacerdotis delphicæ reſponſum vocatur αὐτόματος κέλαδος, quia ſponte reddidit illa vates ſibi ab Apolline ipſo editum, non rogata a Batto; præterea & Timoleon ædes ſuas ἀγαθῷ δαίμονι conſecravit, ut dicit Plutarchus.

Sed inprimis in hiſtoricis V. Cl. magnam lectionis copiam oſtendit, & multa a Lambino aliiſque omiſſa, aut obſcurius tractata, clariori luce colluſtrat: ubi primum genus patris & originem imperatorum, & aliorum clarorum virorum, a Cornelio commemoratorum, oſtendit, aliosque eiusdem nominis commemorat, e. c. ubi Phoc. II. Nicanoris præfecti Caſſandri a Nepote fit mentio, V. Cl. dicit: diſtinguendus eſt a Nicanore fratre Caſſandri, ab Olympiade necato; fuit & Nicanor Parmenionis præfectus pedeſtris agminis Argyraſpidum ſub Alexandro; erat hoc nomen quoque multis Macedonum commune, fuerunt & alii huius nominis, hic non commemorandi. Porro græcorum ſcriptorum fontes, ex quibus Nepos hauſerit, errores item & diſſenſus eiusdem a reliquis ſcriptoribus, indicat, bellorum progreſſus, eventus, & cauſas aperit: ut Cim. II. quærit cur Athenienſes Scyriis bellum intulerint; reſpondet ex Pauſania I, 17. & ex Plutarcho in Theſeo, quia ſcilicet in hac inſula Theſeus interfectus erat, quare & Theſei oſſa Athenas Cimon reportavit.

Interdum etiam alia iucunda adſpergit, & amoenis quibusdam quaſi diverticulis lectorem retinet, ut in Epam. II. de Lyſi Tarentino, Epaminondæ præceptore, Pythagorico, commentatus, oſtendit, quo fato is Tarento Thebas venerit, quia nempe poſt mortem Pythagoræ, Pythagorei, Tarenti, a con-

contraria Cyloniorum factione infeftabantur, v. Periz. ad Æl. V. H. lib. III. c. 17: porro Epaminondam doctum esse ἐγκύκλιον παιδείαν, χωροῦσαν διὰ πάσης παιδεύσεως, καὶ ῥυθμοῦ παντὸς, καὶ κινήματος, Scholiaſt. Ariſtoph. in Equ. vſ. 189. eandemque παιδείαν ἐγκύκλιον hauſiſſe Tarſenſes, non igitur eſſe mirum, ſi Apoſtolus Paulus fuerit eruditus. Dein & alia nonnulla de Pythagoreorum diſciplina, qua Epaminondas fuit imbutus, addit. Tum Epam. III, 3. cum *Epaminondas ne ioco quidem mentitus eſſe* dicitur, contrariam ſententiam cuiusdam Menonis ex Suida refert, qui breviſſimam viam ad votum conſequendum eſſe dixit, pejerare, mentiri, fallere; eademque occaſione quærit, quis fuerit hic Menon, alioſque huius nominis commemorat; addit, Perſas a quinto uſque ad vigeſimum annum, filios ſuos vera loqui docuiſſe, ex Herodoto & Strabone. Ad III. cap. de Reg. iucundum erat nobis, cum legebamus præter alia, quæ V. C. de Demetrio Poliorcete commentatus eſſet, hiſtoriam, quam e Plutarcho de Demetrio retulit, quamque eandem putat eſſe cum ea, quæ eſt a Servatore propoſita Lucæ XVIII. 2. ſeq.

Tandem & repetiit V. Cl. e priori editione Chronologiam imperatorum Græciæ per Olympiades, item Chronologiam annorum Catonis a Schotto, & Chronologiam hiſtoriæ T. Pomponii Attici, ab Henrico Ernſtio factam. His dein addidit novum brevem indicem, ſelectiorum verborum & rerum.

TWO DISSERTATIONS. I. CONTAINING AN Enquiry into the Meaning of the Word Keſitah. II. On the ſignification of the Word Hermes.

i. e.

DUO DISSERTATIONES, QUARUM PRIOR agit de ſignificatione vocis Keſitab, quae Iobi Cap. XLII. v. 11. legitur, & demonſtrat, vocem illam numi quidem genus aliquod deſignare, non autem ſignati, multo minus agno ſignati; poſterior indicat origines & ſignificationem cum vocis Hermes, tum moris Graeci, lapides in viis coa-

 cer-

cervandi, aliaque gentilis theologiae mysteria panduntur.

Oxonii, 1752.

Hic est integer titulus libelli huius, e quo eius destinatio & argumentum statim agnoscitur. Edendi hæc occasio fuit. Auctor eius, Costardus, vir elegantiorum literarum & orientalium linguarum haud rudis, in opusculis illis, de quibus alio loco in his Actis exposuimus, de Astronomia Iobi peculiari tractatione disputaverat, & ex iis ætatem sedesque Iobi definire studuerat. Prætermiserat tum temporis argumentum, quod a voce קשיטה desumi potuerat, quæ in illo libro, ut dictum est, legitur, sed interpretum sententias vehementer in diversa trahit. Quæ Costardus autem de hac voce sancit, & hoc libello tradit atque tuetur, hæc ferme sunt. Vocem *Kesitah* neque *agnum ovemque* significare, neque aliud animal; LXX. Interpretes, qui vocem sic reddiderunt, aut corruptos esse a librariis, aut errasse, ignorantia veri, aut vitiosum codicem Hebraicum sequendo; aut denique mera coniectura vocem קשיטה per *agnum* reddidisse, quod scirent, in mundi initiis commercia per rerum commutationem fuisse exercita. Vocem illam potius numum significare, non tamen signatum; neque demonstrari posse numum illum Iudæis familiarem fuisse; potius Cananiticum videri fuisse, ideoque Iobum inter Iudæos non vixisse, sed ibi locorum, ubi Cananæi hæserint, & quidem tempore captivitatis Babylonicæ.

Hæc summa est libelli huius; argumentorum autem ut vis appareat, necesse est nos cum aliquanto pressius persequi. Post præfationem aliquam de origine numi aurei & argentei signati, quam in tempora Cyri primi reiicit, accedit ad præsens argumentum, & loca considerat Veteris Testamenti, in quibus vox קשיטה occurrit. Tria sunt, aut potius duo, Genes. XXXIII. 19. & Iobi XLII. 11. Nam locus Iosuæ XXIV. 32. est mera loci citati ex Genesi repetitio, quo Iacob dicitur centum קשיטה agrum emisse. Chaldæus, Syrus, Arabs, &

& LXX. interpretes, & ad eorum exemplum recentes quidam, centum ovibus redemtum fuiſſe agrum tradunt. In libro Iobi autem dicuntur ipſi amici ſinguli ſingulas Keſithas obtuliſſe, *ἀμνάδα μίαν*, ut exponunt LXX. interpretes, כבשה קטנה *agnum*, ut habet AbenEſra, شاة *ovem*, ut Arabs. Verum LXX. interpretes illi ſuperiori interpretationi addunt *καὶ τετράδραχμον χρυσοῦ καὶ ἀσήμου*. In Alexandrino codice eſt *χρυσοῦν ἄσημον*, quæ nequeunt ſequentium ואיש נזם זהב interpretatio eſſe. Alii putarunt numum ea voce deſignari, imagine ovis ſignatum. Sed negat evinci poſſe, Cananæos, quorum numus Keſitah fuit, oves in ſuis numis expreſſiſſe, aliave animalia. Facile potuiſſe LXX. interpretes a vitioſo codice Hebræo, quo uſi fuerint, ad pravam interpretationem traduci; videri eos in ſuo exemplari, in loco Geneſeos, habuiſſe בק׳ קשיטה. Fieri iam facile potuiſſe, ut eadem litera, quæ geminanda fuerat, ſemel tantum ab ipſis obſervaretur, ſic ut legerent בק שיטה ex quo deinceps בק׳ שיתה *centum ovibus* fecerint. Sane nimis quam arguta hæc ſunt. In Talmude legitur traditio, קשיטה æquivalere *τῷ* מעה, & מעה æquivalere *τῷ* גרה. Id ſi verum eſt, æquivaleret Keſitah 5 *farthingis* Anglicis & $\frac{3}{5}$. Ea vero ſumma nimis minuta eſt, quam ut inter dona, qualia Iobo, viro principi, allata fuerunt, reponi, & cum inauri aureo in cenſum venire queat. Ex eo conficit Auctor קשיטה & מעה idem non valuiſſe. Forte id impoſuiſſe R. Akibæ, traditionis Talmudicæ auctori, quod in urbe quadam maritima commerciis florente, viderit מעה numi genus, & audiens eam קשיטה, id eſt probam & boni commatis eſſe, crediderit Keſitam Moſi & Iobo memoratam eandem valore eſſe cum Meah. Concludit igitur Coſtardus ex eo, quod קשט *verum* & *rectum* tam hebraice quam arabice notat, קשיטה idem atque Siclum veri & probi ponderis eſſe: fortaſſe tamen Siclum aliquanto plus pependiſſe, quapropter apud Iudæos in oblivionem iverit illud nomen, & ſolum Sicli obtinuerit, apud Cananæos autem facile potuiſſe, ait, conſervari, & cum Cananæis, quos Iudæi ſedibus ſuis expellebant, illuc migrare,

migrare, quo Cananæi confugiebant, & ſedes ſuas transferebant. In Libyam iverunt aliqui eorum, alii ad Euphratem, in Babylonia & Arabia conſederunt, & ab his putat Anglus Iobum vocis Keſitæ uſum accepiſſe. Tandem ait, ſi evinci poſſet Keſitam fuiſſe numum aureum, recteque reddidiſſe Græcos interpretes *τετράδραχμον χρυσοῦν ἄσημον*: poſſe illinc argumentum ſumi, Iobum diu poſt Moſen, & quidem circa tempora Babylonicæ captivitatis, vixiſſe, quandoquidem auri uſus in numis demum a Crœſo Lydiæ rege cœperit.

Noſtrum non eſt, horum argumentorum pondus examinare: neque id agimus. Facile apparet opuſculum hoc inſpicienti, in eo ingenioſa magis & ſubtilius excogitata, quam vera & probabilia tradi. Quod idem de altero quoque opuſculo ſtatui debet. Notæ, quibus ambo adornata fuerunt, de auctoris eruditione ſatis teſtantur, quamvis quædam aliena inſint, bonamque de Auctore ſpem faciunt, ſi maturior ætas luxuriem abſtulerit. Unam ex iſtis notis obſervationem ſilentio præterire non poſſumus. Pag. 33. exhibet ligno eleganter & accurate inciſum numum Arabicum, Cufico ſic dicto charactere ſignatum, quo non facile reperietur alius antiquior. Cuſus enim eſt Waſethæ anno fugæ 88. ſeu Chriſti 706. adeoque decimo fere anno poſtquam cœperunt Arabes numos ipſi cudere. A quo cuſus fuerit numus, neque inſcriptio eius, neque Anglus noſter docet. Dubio autem caret, quum Waſethæ cuſus fuerit, eum profectum eſſe ab illo Haggjagjo, tyranno, quem Theophanes toties ſub *χαγάνου* ſeu potius *χαγιάγου* nomine memorat.

Tranſibimus nunc ad alterum opuſculum, poſtquam breviſſimis novam interpretandi loci Iobæi rationem propoſuerimus. Vox قسط קשט apud Arabes *menſuram vini* notat. Quid ſi ergo Iobi amicorum unusquiſque lagenam aut utrem vini ſecum attulerit? ſed de hoc viderint acutiores. In ſecunda itaque diſputatione totus in eo eſt Anglus, ut numinum Græcorum nomina, totamque theologiam gentilium, ex oriente & lingua Hebraica arceſſat. Ἑρμῆς, quatenus *acervum lapidum in trivio* notat, ipſi derivandum videtur ab ערמה

acer-

acervus. Et quia eloquens verborum dives eſt, & verba coacervat, Mercuriusque deus eloquentiæ habebatur, dictum eum ait fuiſſe Ἑρμῆν, a *coacervando*, verba nempe. Atlantis filium eum ideo dictum, quia orientalis fuerit, reſpectu Græcorum, & ex oriente ad eos venerit, apud Arabes autem أطلع *auroram*, ſeu orientem, notare. Majam appellari eius matrem, quia vocabulum, quod Coſtardus fingit, & obſoletum ait eſſe, مايه ex eius hypotheſi *os* aliquando notavit, item *deſiderium*, adeoque Mercurium أبن مايه *filium deſiderii*, non autem *Majae* debuiſſe dici. Vocem, Mercurius, derivat a Syriaco מאר חור *dominus intelligentiae*, & alio adſpectu a מאר גר *dominus peregrini*, ſeu *viatoris*. Poſſe quoque a מרכל *negotiator*, *mercator*, repeti, *l*, ut fit, in *r* mutato. Ab eadem radice רכל *negotiari* derivat nomen Herculis, eiusdem cum Mercurio numinis: Ἡρακλῆς aliud ait nihil eſſe, quam הרכל. Teſte Servio, pergit, Mercurius transformatus tandem fuit in capram. Animal illud libidinis ſymbolum. Libido venerea Arabice حرمه *Hermah* dicitur. *Hoc ſi tenes*, ait, *totum metamorphoſeos illius myſterium tenes. Fuit enim Mercurius amorum praeſes. Haec ſunt vera fundamenta veteris mythologiae & hiſtoriae; quibus ſi adhaereſcamus, ſpes eſt fore, ut brevi tempore veterem terrarum orbem melius, quam nunc quidem, cognoſcamus. Abſque illis autem, audeo, mea harum rerum experientia fretus, pronuntiare, omnia perplexa & obſcura fore. Qui aliam inſtituit viam, non poteſt a vero non aberrare.* Noſtrum ſi requiratur hac de re iudicium, audemus, pro noſtro harum rerum nonnullo uſu, omnes has Bochartianas, Coſtardianas, ſimilesque argutias, ad ſomnia proſcribere, quæ vix recenſeri, nedum refutari merentur.

S. IUSTINI MARTYRIS APOLOGIAE, E RE-cenſione Grabiana, Var. lect. & coniecturas V. V. D. D. & ſuas addidit CHRISTIANUS GUIL. THA-LEMANNUS, A. M. & S. Theol. Baccal.

Lipſiæ, apud I. Chriſt. Langenhemium, 1755. plag. 8. in 8.

Iustini Martyris Apologias duas edendi occasionem dedit Viro Clar. Thalemanno, consuetudo a maioribus in academia hac recepta, ut, qui primos in Theologia honores essent adepti, per dies quos vocant caniculares, publicas prælectiones haberent. Id muneris cum & Viro Cl. vener. ordo Theologorum iniunxisset, non melius se facturum existimavit, quam si brevem patris ecclesiastici libellum explicare instituerct, ut theologiæ studiosi, qui ultra compendiorum doctrinæ tenuitatem, & concionandi popularitatem, sapere auderent, præpararentur hoc quasi præludio & progymnasmate lectioni patrum. Cui consilio cum aptissima videretur prior Apologia Iustini Martyris ad Antoninum pium; Iustini editiones autem tantæ essent molis, tantique pretii, ut nec his prælectionibus inservire, nec in manibus commilitonum esse possent: eam denuo edendam curavit, addita & altera Apologia ad Senatum, quæ in plerisque antiquioribus editionibus male priori loco ponitur. In exscribendo textu autem secutus est editionem Grabii, Oxon. 1700. & 1703. curatam, exceptis locis paucissimis. Exemplar Grabianum ideo Thalemanno nostro eligere placuit, quod erat in minores sectiones divisum, atque adeo lectionibus magis accommodatum. Cum autem omnes Iustini libri, ob codicum paucitatem, ita sint corrupti & depravati, ut sæpe nec sensus constet: necessarium erat, lectiones variantes, & coniecturas Virorum doctorum addere: quem in finem diligenter adhibuit editiones optimas Sylburgii, Styani Thirlbii (Lond. 1722. in fol.), Monachi Benedictini (Hagæ Comit. 1742. in fol.) Cum autem interdum vix fieri posset, quin V. Cl. & suam quoque sententiam nonnullis in locis interponeret; hoc quoque suo quodam iure fecit, & nonnulla ex ingenio suo egregie addidit, ea tamen adhibita modestia, quæ in criticis, & librorum editoribus, maximopere commendatur. Nudum vero textum græcum sine versione exhibuit, quod vehementer probamus; tum quia parabilior libellus factus est, tum inprimis quia diligentiam acuit atque excitat iis, qui legendis græcis scriptoribus exercentur. Versionis tamen loco primum

mum præmiſit argumenta ſatis ampla utriusque Apologiæ, ex editione Mon. Ben. depromta; quorum quaſi illecebris iuvenes ad libri lectionem invitarentur. Brevem denique indicem vocum & phraſium addidit, earum utique, quæ Iuſtino vel ſoli familiares, vel in lexicis, hoc quidem ſenſu, quo apud Iuſtinum ſunt, non ſint notatæ.

Quam egregie autem V. Cl. in edendis his apologiis verſatus ſit, ex forma libri ſubiecta facillime perſpici poterit.

Prima huius libri dos eſt præfatio Viri Cl. qua commendat lectionem Iuſtini, & omnium patrum, ad hiſtoriam dogmatum & fata chriſtianæ religionis cognoſcenda maxime neceſſariam: quarum cognitio ſane lubrica & incerta erit ex compendiorum rivulis hauſta; adeoque aſſueſcendi ſunt iuvenes lectioni ſcriptorum eccleſiaſticorum, ad quos ſæpe græce bene doctis non patet aditus, ne iis quidem, qui legendis interpretandiſque veteris Græciæ ſcriptoribus multum operæ impenderunt, nedum iis, qui nullum ſcriptorem legere, niſi novum, ut aiunt, Teſtamentum ſuum, atque hoc non niſi e Paſore, vel alio minuto Lexico, interpretari poſſunt. Cum enim ſcriptores eccleſiaſtici, de religione chriſtiana diſſerentes, ſcribant de rebus novis, veteri Græciæ incognitis, adeoque nova verba, aut novas verborum ſignificationes, adhibere neceſſe habeant; nemo poteſt Patres intelligere, niſi qui eorum loquendi conſuetudinem cognoverit, atque imbiberit.

Iam vero ex nullo alio ſcriptore, quam e Iuſtino, vera veteris eccleſiæ ratio melius cognoſci poteſt; quam cum in omnibus ſuis libris, tum in Apologiis optime exponit, & indubiis argumentis confirmat. Eſt enim ſcriptor antiquiſſimus eccleſiæ nondum corruptæ, quem virum apoſtolicum dicas, qui ſua vel ab Apoſtolis, vel ſaltem ab iis hauſerit, qui ab ipſis Apoſtolis edocti fuerunt; idemque fide digniſſimus, quod apparet cum ex ſcriptis ipſius, tum ex libera chriſtianæ religionis profeſſione, a qua mortis ſupplicio deterreri non potuit: cui adeo facile condonari poſſunt peccata exegetica, & hiſtorica, etiam dogmatica, quæ in eo vulgo repre-

hendi solent, utpote qui non iis quibus nos instructus præsidiis fuit, multa vero e paganorum disciplina, e qua prodiit, retinuerat, ideoque proclivis quidem erat ad errores, ad summam doctrinæ christianæ tamen non pertinentes. Inprimis autem Apologia prima est quasi armamentarium, e quo tela contra adversarios religionis nostræ peti possunt, v. c. Socinianos & Arminianos, nam sæpe ibi de λόγȣ divinitate agitur, quam ipsi in antiquiori ecclesia non creditam somniant. Inprimis autem contra Pontificios, qui, quum nobis potissimum auctoritatem Patrum iactent, suis armis conficiuntur, atque optime ex Iustino, a veteris ecclesiæ ratione declinasse convincuntur. Nihil subsidii inde habent ad defendenda sua superstitiosa & abominanda dogmata, de quibus altum Iustino est silentium; vel quod sibi ibi invenisse videntur, circumspectis attente omnibus rebus, ad nihilum plane redigitur: qualis est locus Apol. I. n. 6. ubi Martyr dicit: Christianos profiteri patrem & filium διδάξαντα ταῦτα ἡμᾶς καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιȣμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα; ubi Pontificii & nominatim Monachus Benedictinus, post ταῦτα male ponunt comma, ut inde evincant, Iustinum, cum S. S. Trinitatis cultu, etiam angelorum cultum professum esse; quod tanto est absurdius, cum Angeli Spiritui S. præponuntur, & virgo Maria, de cuius cultu hic commodissimus dicendi fuisset locus, a Iustino omittitur, nec iungitur iis, quos a Christianis coli dixit. Sic & locus I. 85, 86, 87. e quo volunt probare transsubstantiationis commentum, quod nuper a V. Cl. *Io. Aug. Ernesti*, Collega nostro, in Anti Muratorio plane est profligatum.

In ipso libro autem edendo hæc fere V. Cl. sequitur. Paulo inusitatius & durius dicta, non semper cum aliis Iustini editoribus emendat, sed, quod & optimi Critici faciunt, & facere debent, lectionem receptam MSS. auctoritate corroboratam, si defendi potest, retinet. Ut I. 28. ubi Iust. dicit, Christianos communia quædam cum gentium poetis dicere; ἔνια δὲ καὶ μειζόνως καὶ θείως; ubi plerique legi volunt θειοτέρως: sed non videtur Iustinus paganorum philosophis aliquid

quid θεῖα concedere; illud θείως est explicatio τῦ μειζόνως; hoc ipso quod θείως loquebantur scriptores sacri, etiam μειζόνως loquebantur. Ap. I. 60. Iustin. dixit, Deum propter homines probos nondum ἐπικύρωσιν facere; Billius in obs. & Grab. putant legendum ἐκπύρωσιν, quia saepe Iust. isto verbo utatur. Sed defendit V. Cl. vulgatam lectionem; est enim ἐπικύρωσις decreti consummatio, perfectio, de reditu Christi ad iudicium. Huc pertinet I. 10. ὅπερ ἐκ ἠδυνήθησαν οἱ ἀνθρώπειοι νόμοι πρᾶξαι, ταῦτα ὁ λόγος θεῖος ὢν εἰργάσατο. Grab. cum Perionio legi vult τῦτο, ut respondeat singulari ὅπερ. Mon. Ben. pro θεῖος reponi vult θεὸς. Neutrum vero opus, sed pro ὢν legi ἂν id vero necessarium Editori Cl. videtur.

Sed tamen ubi prior ratio teneri non poterat, felici successu ipsum textum emendat & restituit; ex quo numero placebant I. 3. ubi dicitur: Christianos debere omnibus facere copiam, cum doctrinae, tum vitae inspiciendae, quibus additur: ὅπως ὑπὲρ τῶν ἀγνοεῖν τὰ ἡμέτερα νομιζόντων, τὴν τιμωρίαν ἂν ἂν πλημμελῶσι τυφλώττοντες αὐτῶν, αὐτοῖς ὀφλήσωμεν. Locus valde vexatus, & haud dubie multipliciter corruptus. Bill. in obs. s. post ὅπως addendam putat particulam μὴ, & delendum αὐτῶν post τυφλώττοντες; Grab. reponit pro αὐτοῖς, αὐτοὶ, quod exigit verbum ὀφλεῖν, sed ne sic quidem locus sanatus: forte itaque sic legendum dicit V. Cl. ὅπως μὴ τῶν α. τ. ἡ. ν. τ. τ. α. α. π. τυφλώττοντες, αὐτοὶ ὀφλήσωμεν, facili sane sensu. Sic I. 25. Iustinus dicit resurrectionem mortuorum propterea a multis non credi, quia nondum facta sit, id quod ab exemplo generationis humanae illustrat; nam si nos tales non essemus, & aliquis ostenderet semen humanum, & pictam hominis imaginem, quam ex isto semine fieri posse affirmaret, addit Iustinus: πρὶν ἰδεῖν γενόμενον, ἐπιστεύσατε; ἐκ ἄν τις τολμήσειεν ἀντειπεῖν; sed graeci non interrogant per ἐπιστεύσατε num credidissetis: Thirlb. & Davis pro ἀντειπεῖν legunt ἂν εἰπεῖν, ut saepe haec confunduntur, sed neque sic locus est bene curatus. Ergo Cl. Thal. coniicit legendum: ὅτι ἐπιστεύσατε, ἐκ

ἄν τις τολμήσειεν ἂν εἰπεῖν; vel ſic: ὅτι ἐκ ἂν ἐπιστεύσατε, ἐκ ἄν τις τολμήσειεν ἀντειπεῖν; ſic enim Iuſt. pauló poſt loquitur. In II. 11. ubi eſt: quod multi Chriſtiani facti ſunt, effecit δύναμις τῦ ἀῤῥήτε πατρὸς, καὶ ἐχὶ ἀνθρωπείε λόγε τὰ σκέυη, ubi τὰ σκέυη corruptum videtur Viro Cl. κατασκευὴ, quod orationis humanæ artificium eſt, & bene opponitur τῇ δυνάμει Θεῦ.

Deinde & interdum elegantiſſimas obſervationes & explicationes aſpergit; v. c. ad I. 5. ubi, ut & alibi, a Iuſtino ἕλληνες & βάρβαροι opponuntur; Ebræi autem & Chriſtiani apud Patres dicuntur barbari, & Chriſtianiſmus dicitur barbariſmus: ergo in iſto verbo olim nulla turpitudo fuit, v. *Io. Tob. Krebſii* obſerv. in N. T. e Ioſepho ad Rom. I. 14. Idem Apol. I. 17. Iuſtinus dixerat: Nos Chriſtiani precibus & gratiarum actionibus laudamus deum, ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν, quod Mon. Ben. vertit, in his omnibus quæ offerimus, & fruſtra Grabius accipit de oblationibus euchariſticis; at προσφέρειν quidem de his dicitur, ſed προσφέρεσθαι ſemper eſt veſci & bibere. I. 70. ἐμφορῆσαί τινι πίσιν durum videtur heic loci V. Cl. cum ſolemne ea in re verbum ſit ἐμποιῆσαι. II. 4. φήσαντος λεκιε μάλιστα, i. e. cum fateretur Lucius; ſufficiebat φήσαντος, ut Xenoph. & Plut. Elegans etiam eſt coniectura II. 12. ubi κακία Herculi obvia dicitur habuiſſe πρόσωπον ἐρωτοπεποιημένον, at V. Cl. ſe vereri ait, ne legendum ſit χρωματοπεποιημένον, quod convenit Xenophonti M. S. II, 1, 22. qui κακίαν dicit fuiſſe fucatam, κεκαλλωπισμένην τὸ χρῶμα. Ex quo obſervationum genere, ſi V. Cl. plura addidiſſet, vel etiam in Indicem conieciſſet, non tam ipſe ſatis doctus græce doctis ſcripturus, quam tironibus & theologiæ ſtudioſis gratum facturus fuiſſet, a quibus facilius intelligeretur ſcriptor eccleſiaſticus ſine verſione editus, uberius illuſtratus. Sed facilem præbet excuſationem Viri doctiſſimi conſilium, edendi Iuſtini prælectionibus Academicis & parabiliori pretio deſtinati. Multum ſane ex iis, quæ congeſſimus, laudis deberi Thalemanno noſtro facile apparebit, qui, & alii eadem doctrina inſtru-

instructi, ut patrum scriptis minore forma & pretio edendis dent operam, vehementer optamus.

Theologische und philologische Abhandlungen.

h. e.

D. IOH. DIETERICI WINCKLERI, ECCLESIArum Hildesiensium Superintendentis, Exercitationes theologicae & philologicae.

Partes II.

Brunsvigae, sumtibus hered. Schroederi, 1755. 8. Alph. 2. plag. 1.

Exhibentur in hac sylloge ab Auctore minutiora scripta, quae vel seorsim olim, aliquot plagulis foras dedit, vel quas nonnullis variarum symbolarum eruditarum collectionibus, cuius generis magnus hodie numerus conspicitur, inseri passus est, a collectionum talium editoribus rogatus. Cum prioris classis scriptiunculae facile se manibus ac bibliothecis virorum doctorum subducant, variae autem illarum repetita vice desiderarentur: hanc Auctor syllogen ut adornaret commotus est, singulis denuo curis secundis emendatis, accessionibusque amplissimis auctis.

Prima Pars decem continet commentationes, in tractandis sequentibus momentis lectu omnino dignis occupatas. *Prima*, in *Luc. II. 9.* conscripta est, estque *refutatio anonymi cuiusdam Critici, qui per personam ibi loquentem personam aliquam SS. Trinitatis, & inprimis deum patrem, intelligere amavit.* Exposuit hanc suam sententiam laudatus vir doctus, anonymus, in sylloge observationum exegeticarum, Ienae Ao. 1740. sub titulo: *Ausübung exegetischer Regeln*, editarum. Quae in medium is attulit stabiliendae suae explicationis argumenta, singula & enarrantur & refutantur a S.R. *Wincklero.* Primum est, quod *Malach Iehovah* in sacris literis personam Trinitatis indicet; ad quod respondetur, neque illud dubio carere, neque δόξαν τοῦ Θεοῦ deum ipsum denotare, verum potius

Pag. 1.

8.

potius splendorem maiestatis virtutumque divinarum, prouti
hoc loco nihil aliud significari patet. Alterum eiusdem ex-
Pag. 14. positionis fulcrum ab anonymo in *commate 15.* quæritur,
quod ibidem angelus, qui pastoribus apparuit, ab iisdem *κύ-
ριος* vocetur. Negat hoc *Wincklerus*, docens contra, a pa-
storibus dominum innui, qui per angelum nativitatem serva-
toris manifestaverit. Tertium anonymi argumentum, quod
15. apparens pastoribus angelus *comm. 13.* a ceterorum angelorum
choro distinguitur, eadem ratione enervatur, ostenditurque,
angelum hunc a ceteris non alio modo distingui, quam
quo solet, qui iam adest, distingui a reliquis deinceps adven-
tantibus. Patet iam ex his argumentis, quam ficulnea sit
anonymi istius nova interpretatio; ut igitur reliqua a *Winckle-
ro* V. Cl. allata eiusdem atque refutata argumenta sicco possimus
33. pede transire. *Secunda* disquisitio, *quid per* זרזיר מתנים
Prouerb. XXX. 31. intelligendum sit, exponit, addito *commer-
cio epistolico*, quod olim super ea re *Iobo Ludolfo* cum
Matthaeo Leydeckero, coetus Reformati sacerdote in Batavia,
intercesserat. De animali isto larga fuit intra eruditos disputa-
tio. *Leydekerus* putavit nullum aliud esse posse, quam
Abyssiniorum *Zecora*, quod ab ipso eleganter copioseque de-
52. scribitur. Addidit *Wincklerus* noster nonnulla, quæ ex *collectio-
ne itinerariorum* novissima hanc in rem cum cura sunt conge-
61. sta. *Tertia* diss. exhibet *examen hypotheseos Fosterianae, per
Dominum, nos redimentem, 2 Petr. II. 1. Deum Patrem in-
telligendum esse, adiecta explicatione duorum locorum biblico-
rum, Epist. Iud. comm. 4. & Deuteron. XXXII. 6.*
Coetus Mennonitarum Londinensis doctor, *Iacobus Foster*,
in *sermonibus sacris, part. I. pag. 262. seq.* suam illam hypothesin
proposuit, hoc ipso probans seu confirmans mentem in So-
cinianorum errores pronam, quam illi iam ven. *Frid. Guil.
Kraftius*, in *bibliotheca theol. part. LIV. p. 358. seqq.* expro-
bravit. Locum Petrinum curatius perverstigandum sibi sumsit
Wincklerus, & in illo de ipso Servatore agi dilucide demon-
stravit, *Fosteri* argumentis enumeratis ac refutatis. Quæ
in subsidium vocare conatur *Fosterus* loca, *Iud. comm. 4. &
Deut.*

Deut. XXXII. 6. pariter contra ipsum genuino sensui restituuntur. Quæ *quarto* loco legitur, exercitatio, locum *Iesa.* Pag. 87.
II. 6. 7. 8. multa opera illustrat, triplex Iudaici populi peccatum, hic descriptum, propius investigans, astrologiæ item iudiciariæ superstitiosum studium, immoderatam divitiarum cupidinem, & idololatriam domesticam. *Quinta* est *de vestigiis providentiae divinae in sorte, circa munera publica adhiberi solita,* 123.
novis honoribus Hamburgensis reipublicæ Senatoris, *Io. Lud. Winckleri,* congratulandi causa, exeunte anno 1750. ab Auctore conscripta. Historice primum antiquitas sortilegiorum sistitur exposita, deinde quæstio de licito istorum usu, & divino in eo usu concursu, amplius sub examen vocatur, neque tamen negatur, sed potius affirmatur utrumque. *Sexta* commentatio *cogitationes* exhibet de 185.
summo pacis ecclesiae pretio, ad verba *Psalm. XLVI, 9. 10. 11.* illustranda. De statu ecclesiæ veteris testamenti haud agere hanc cantilenam sacram, contra Rintelensis Academiæ Theologum, cel. *Guil. Christi. Iustum Chrysandrum,* prævie ostenditur. Tum ex antecedentium verborum collatione docetur, de pace ecclesiæ comm. 9. 10. 11. intelligenda esse, quæ cum cura & secundum singula verba enucleantur, facta tandem ad pacem Westphalicam, cuius in memoriam A. 1748. hanc exercitationem *Wincklerus* ediderat, applicatione. *Septima,* 247.
quæ sequitur, *illustratio* est *status ecclesiae Corinthiacae, a Paulo apostolo 1. Corinth. III. 1. 2. descripti.* Non externus est, sed internus, qui hic depingitur, ecclesiæ istius status, quem ad instar infantum imbecillium comparatum fuisse, verba Paulina comprobant. *Octava* inscribitur *exegetica inquisitio loci* 281.
Exod. XXXIV. 5. 6. 7. E textus συνάφεια, præcipue exegeseos sacræ adminiculo, quo Auctor in scriptis suis exegeticis ubivis primo loco niti amat, demonstratur, Deum filium fuisse personam coram Mose prætereuntem; Deum patrem vero de Messia verba, ibi commemorata, exclamasse. De modo prætereundi, quem hic observaverit filius Dei, Auctor statuit, sine dubio id factum fuisse *assumta hominis specie;* va- 305.
riaque, de hoc modo differens, in medium profert notatu digna,

quæ nos, ob brevitatis studium, heic loci non iam describimus. *Nona* disquisitio *cogitationes in 2 Petri I, 4.* continet, Auctori subnatas, cum in *animadversionibus* suis *philologicis & criticis, pag. 225. seqq.* contra beatum *Ge. Guil. Poetzingerum* vindicare Petrinum locum necesse haberet. Commemorata a divo Petro θεία φύσις, a quibusdam Theologis accipitur de proprietatibus divinis, quatenus abstrahendo a divina essentia format sibi istarum ideam seu notionem humanus intellectus; *participem* autem istius *fieri*, illi de assimilatione interpretantur, quam assequantur in renovatione fideles. Per se hanc explicationem non reprehendendam esse, Auctor concedit: id vero a Petro innui negat, quem de *coniunctione fidelium cum Deo* commentari pluribus evictum dat, verba apostoli multa luce

Pag. 347. collustrans. *Decima*, quæ primæ partis ultima est, observatio *visionis, Ioanni Apocal. V, 8. quae obtigit, perspicua expositio* inscribitur. *Quatuor* hic *animalia*, immediate a Deo illuminatos viros sanctos, prophetas & apostolos, ex Auctoris mente repræsentant, prouti *seniores viginti quatuor* ecclesiæ capita, duodecim patriarchas sub veteris oeconomiæ tempore, & duodecim apostolos in ecclesia Christiana. Venerantur hi *agnum*, mundi redemtorem, procumbendo & precibus laudibusque colendo. Haud defuit singulis visionis huius Ioanneæ circumstantiis cum cura enucleandis atque determinandis, Auctor: ut nobis adeo in interpretanda hac Apocalyptica pericopa, neque festinante calamo usus esse, neque ob *Bengelium* haud allegatum vituperandus videatur, quod nuper Censor aliquis iniquus reprehensione dignum iudicavit. Ad calcem

359. primæ partis occurrit *Mantissa*, supplendæ primæ observationi dicata, qua *Luc. II. 9.* per angelum, pastoribus apparentem, *spiritum sanctum* intelligens *Io. Tilemannus*, dictus *Schenck*, refutatur.

Altera harum disquisitionum *Pars*, decem pariter complectitur argumenti similis commentationes, adiecta duplici man-

1. tissa. *Prima* earum inscribitur *Curatior Determinatio, quinam per iustos, poenitentia non indigentes, Luc. XV. 7. intelligendi sint.* Docet Auctor, innui a Servatore veros iustos in hac

hac vita adhuc degentes, qui iustitiam fidei suam fecerunt, ideoque poenitentia lapsorum opus non habent, quamvis, ob infirmitatis sibi adhaerentis *παροράματα*, poenitentia quotidiana utique se indigere probe agnoscant. Hanc explicationem textui sacro ex asse convenire, dein probatur, singulis illius momentis sive circumstantiis ad eius trutinam examinatis, optimeque quadrare percommode iussis. *Secunda* observatio est *illustratio Quaestionis: Num obvia in veteri Testamento vox* קלי *hodie usitatas fabas*, Pag. 13.
Coffé dictas, *denotet? addito commercio epistolico duorum olim celeberrimorum Philologorum, Iobi Ludolphi, & Matthaei Leydeckeri*, super eo argumento. Vox ista hebraea legitur in sacro Codice, *Levit. XXIII. 14. 1 Sam. XVII. 17. XXV. 18. 2 Sam. XVII. 28. Ruth. II. 14.* Pro fabis nostris, *Coffee* dictis, habuit fruges isto vocabulo indigitatas, *Ernestus Fridericus Geierus*, in singulari dissertatione hoc de argumento Wittembergae A. 1740. habita, *Cap. II. Sect. I. pag. 20. sqq.* Quos in tuenda illa sententia is antecessores habuerit, Auctor §. *II.* huius commentationis refert. Eidem se fautorem aliquamdiu praebuit *Iobus Ludolfus*, qui dein mutavit sententiam, a *Matthaeo Leydeckero* monitus. Utriusque viri docti meletemata excerpta exhibet ex eorum epistolis mutuis Ven. *Wincklerus* §. IV-VIII. aliorum praeterea 19.
mentione facta, qui super ea re disseruerunt data occasione: ipse vero iis accedit, qui hodiernas nostras fabas, *Coffee* dictas, intelligunt, quod iam in *Hypomnematibus* suis *philologicis & criticis, pag. 317. sequ.* monuisse se refert. Observatio *tertia* agit *de* רוח קדים, *cuius Exod. X. 13. mentio fit, & de duobus* 29.
cornubus animalis Indici, Rhinoceros dicti, una cum commercio literario duumvirorum laudatorum, *Ludolfi* atque *Leydeckeri.* In litteris his *Leydeckerus* variam significationem vocabuli קדים, secundum varios terrarum situs, enarrat. Placet *Wincklero* eorum sententia, qui *Euronotum* intelligunt, cogitationibus beati *Iusti Martini Glaeseneri* hanc in rem commendatis. Quod ad ראם attinet, aliam epistolam *Leydeckeri*, 38.
scriptam ad *Ludolfum*, Lectori exhibet, qua per id animal

 Rhi-

Rhinocerotem intelligendum esse probatur. Quoniam vero τῷ ראם duo cornua tribuuntur, singulare quoddam Rhinocerotis genus illo indicari, demonstratur a *Leydeckero*. Se-
Pag. 43. quitur *quarta* exercitatio, *Enodatio* nempe *arduae doctrinae de peccato in Spiritum sanctum.* Data opera hic enumerantur variae de isto argumento interpretum & theologorum sententiae. De ipsa vero huius scriptionis summa diximus iam in *supplementis ad Nova* haec *Erud. Acta, Tom. V. pag. 258*: ubi excerptam Lectoribus dedimus, cum primum Hamburgi 1724. 4. prodiisset. Valde locupletatam, annotationibusque multis auctam, recudi eam hic Auctor curavit. Ob-
143. servatio *quinta* est *explicatio verborum Salomonis Cohel. VII. 2. 9.* Postquam in vituperium sexus feminei illa neutiquam trahi posse demonstravit Auctor, de peccato originali agi docet, ita ut Salomon, inter millia multa virorum unum se deprehendisse testetur, peccato originali non commaculatum, Christum nempe, ex mulierum vero sexu nullam se invenisse asserat. Contextu hanc explicationem confirmari, monere
163. non dememinit *Wincklerus* noster. *Sexta* continet *examen publice nuper propositae sententiae, Servatorem in extremi iudicii die humanam naturam depositurum, & propria personalitate donaturum illam esse.* Publice hanc paradoxam sententiam proponere non dubitavit Anonymus quidam, in *liberis iudiciis & relationibus,* Hamburgi, sermone Germanis vernacula prodeuntibus, *A. 1754. pag. 66. seqq.* ex loco Paulino *1 Corinth. XV. 28.* eandem confirmare annisus. Quam absona vero, & ipsi incarnationis Servatoris nostri mysterio repugnans sit haec sen-
176. tentia, probatur a Winklero, qui & loci Paulini genuinum sensum pluribus demonstrat, eo tendentem, ut finem regni
189. gratiae Apostolus indigitare doceatur. *Septima,* quae succedit, exhibet *cogitationes de septuaginta hebdomadibus, Dan. IX. 24-27.* commemoratis. Singula ab angelo indicata intervalla determinare hic studet Auctor. *Octava* inscribitur
213. *perspicua demonstratio, a tribus Evangelistis Matth. XXIV. 29. seqq. Marc. XIII. 24. seqq. & Luc. XXI. 25. seqq. de nullo alio Christi adventu, nisi ad extremum iudicium visibili, agi.* Nec de hoc mo-

momento exegetico una fuit eademque interpretum sententia. Varias illas enumerans Auctor, historiam litterariam eius controversiae critico-exegeticae praemittit; deinde, tum ex antecedentium & consequentium verborum nexu, tum ex collatione locorum istorum cum aliis, in quibus de adventu Servatoris ad iudicium extremum sermo est, tum ex necessitate, proprium hic significatum retinendi, tum ex consequentiarum incommodis, dilucide interpretationem suam confirmat. Disquisitio *nona* in locum *Coloss. II. 3.* commentatur. Subiectum Pag. 231. hic esse Christum, & quidem secundum utramque naturam, docetur, id quod scopo Pauli quam maxime respondeat, qui Colossenses, ut a falsis doctoribus sibi caveant, monet. *Decima* tandem est *sufficiens demonstratio, in ecclesia Romano-Catholica* 243. *Christo unico mediatori alios mediatores iungi & ad latus poni.* In notissima, quae Hildesiae, anno 1745. sequentibus, magno aestu agitata fuit controversia, hanc commentationem luci publicae A. exposuit, cordatioribus lectoribus singulis probatam. Demonstravit hanc suam assertionem *Wincklerus* ex ipsis pontificiae ecclesiae theologis, ac libris symbolicis aeque ac liturgicis. Inde a salutaris Reformationis tempore, doctrinam istam, tanquam in qua diversi a nobis toto coelo sint Pontificii, habitam a nostratibus theologis esse, ex ecclesiae nostrae libris symbolicis, & theologorum nostrorum scriptis, praemonendum esse e re sua Auctor duxit. Iuncta Parti huic secundae *Mantissa duplex est*, quarum *prior* exhibet *fragmenta* 293. *commercii literarii*, hactenus inediti, variorum quondam celeberrimorum Philologorum, *Iobi Ludolfi*, *Gisberti Cuperi*, *Sam. Andreae*, *Io. Geo. Graevii*, *Guil. Ernesti Tentzelii*, & *Godofredi Guil. Leibnitii*, ad varias res historicas & litterarias spectantis: *posterior* epistolam continet pariter ineditam 319. *Emanuelis Hofmeieri*, Ecclesiae Reformatae olim sacerdotis Arnmsdorfensis, ad *Iacobum Fridericum Reimmannum* anno 1712. datam, qua sequentia quatuor explicantur argumenta historico-ecclesiastica: 1) quis inter Reformatae ecclesiae doctores Seculo XVI. & XVII. optime contra Lutheranos & Romano-Catholicos calamum strinxisse dicendus sit?

2) an ſymbolum fidei, in Synodo Dordracena conſcriptum, differat a confeſſione fidei eccleſiarum Belgicarum, correcta A. 1619. & in Bibliis Gallicis exſtante? 3) an non detur in eccleſiis Reformatis ſcriptum ſymbolicum, ubique & omnibus eccleſiis, Anglicanis etiam, receptum? 4) cur Theologi Anhaltini non interſuerint Synodo Dordracenæ? Ad ſingula hæc momenta docte reſpondet *Hoffmeyerus* laudatus, variaque affert notatu digniſſima, vix alibi obvia.

Præfationis, utrique Parti præmiſſæ, ut tribus verbis mentionem iniiciamus opus eſſe videtur. Emendatur ab Auctore in præfatione, primæ parti præfixa, error, quem ipſe olim, ſed duces ſecutus duumviros celeberrimos, *Burchardum Gotthelf Struvium*, & *Chriſtianum Iunckerum*, commiſit, *Leideckerum* illum, cuius commercium litterarium ab ipſo in *Partis primae commentatione ſecunda*, & in *partis ſecundae exercitatione ſecunda tertiaque*, exhibitum fuit ante ineditum, pro *Melchiore Leideckero*, Theologo Batavo notiſſimo, habens; quem *Matthaeum Leydeckerum*, ſacerdotem eccleſiæ Reformatæ in Batavia fuiſſe, dein ex beati *Io. Chriſtoph. Wolfii*, Theologi Hamburgenſis, *conſpectu ſupellectilis epiſtolicae, pag. 130.* didicit. Cum præterea in ſylloge hac ſcriptiunculas ſuas recuſas atque emendatas Lectori exhibeat *Wincklerus*, olim iam publici iuris factas, rationem reddit in eadem præfatione, cur non indicaverit, quo tempore, ſive in qua collectione, ſingulæ commentationes prima vice publicæ luci ſint expoſitæ; ad Cl. nuper Gymnaſii Oſnabrugenſis doctoris, *Ioannis Chriſtophori Strodtmanni*, provocans *novam Europam Eruditam*, in cuius *parte III. pag. 785. ſeqq.* vita ſcriptaque *Winckleri* legantur enarrata, duabus exceptis exercitationibus, nimirum primæ Partis tertia, & ſecundæ Partis ſexta, illa *Helmſtadienſibus eruditis plagulis hebdomadalibus, A. 1753. pag. 129. ſeqq. 137. ſeqq. & 145. ſeqq.* hæc vero Nienburgenſi ſic dicto *Theologo*, a Cl. *Rathlefio* edito, *A. 1754. pag. 337.* inſerta.

ΑΙΣΩΠΟΥ ΜΥΘΟΙ. *FABULAE AESOPICAE Graecæ, quæ Maximo Planudi tribuuntur. Ad vett. Libb. fidem emendatas, cum Ioach. Camerarii interpret. lat. Io. Hud-*

Hudsoni suisque annotat. & Indice omnium verborum, edidit IO. MICH. HEUSINGER.
Ifenac. & Lipf. fumtu Mich. Gottl. Griesbach. 1756.
1. Alph. plagg. 2. octon.

Tabulis Aesopicis, utilissimo iuventuti libello, non supervacaneam sese, neque infructuosam operam præstiturum ratus est editor doctissimus, iamque aliquot veterum scriptorum libellis editis de iuventute meritus, & præmia iam doctrinæ suæ satis ampla adeptus, si post Camerarii & Hudsoni editiones, mendis ac vitiis neutiquam purgatas, immo scatentes, nonam ipse, plurimorum veterum exemplorum apparatu instructus, editionem nobis exhibuisset. Et sane magnum editionum, quibus usus esset, indicem, fabulis ipsis præfixit. Gothanæ quoque Bibliothecæ Codice Msto, Venetiis A. 1482. exarato, usus est: cuius tamen deteriores fere vulgatis lectiones: veluti F. 135. *ἄλλους, ἰάσαι σαυτὸν δὲ οὐκ ἰάσω*, rotundior vulg. *ἄλλ. ἰώμενος, σαυτὸν οὐκ ἰᾶσαι*: F. 137. *ἐναπηλαίῳ κατακλεισθεὶς* de leone ægrotante, male pro vulg. *κατακλινθεὶς*: F. 138. *ἔλθῃ ἐνταῦθα ὁ λύκος, ἵνα φονεύσωμεν αὐτὸν τέκνον*, vulg. *ἐὰν ἔλθῃ δεῦρο ὁ λύκος, φονεύσωμεν, ὦ τέκνον, αὐτόν*. Etsi illud defendi possit, maioremque pæne vim habere videtur: nisi quod *ἐνταῦθα* de adventu *in locum* non bene dicitur. Sed in epimythio eiusdem fabulæ melius idem Cod. *τὰ ἔργα κατὰ τοὺς λόγους*, pro vulg. *τὰ ἔργα τοῖς λόγοις, ὅμοια*, uti & F. 10. *πάσχειν πρὸς τῶν ἀλεκτρυόνων*, pro vulg. *ὑπό*. Fab. quoque 18. extr. a vulgato multum discrepat. Augustano quoque codice cum ante aliquot annos ad Iuliani Cæsares usus esset recensendos, Fabulas a 63. ad 68. a filio tune descriptas, a vulgatis aliquantum diversas, suo loco exhibuit. In eo codice depravatum fabulæ 64. epimythion, cum ita habeat: *ἔνιοι τῶν διὰ φόβον ἐλάττονα κινδύνων ἑαυτοὺς εἰς μείζονα κακὰ εἰσίασιν* ipse refinxit, *ἔνιοι τῶν ἀνθρώπων διὰ φόβον ἐλάττονα κινδύνων κ. τ. λ.* Sed non assequimur, quid sibi velit *ἐλάττονα*, fortasse *ἐλαττόνων* voluit. Nam operarum vitiis tota non caret editio. Emendavit etiam fab. 140. ubi mulus iactat se *πατρὶ* similem, cum constet, semper eos matrem sequi. Ipse per totam fab. legendum

censet μήτηρ: sed cum illud πατὴρ, cum pronominibus relativis per totam fusum sit fabulam, maiorque etiam & frequentior a patribus iactantia sit, possimus etiam mulum equo & asina ortum intelligere, stulte patris genus ostentantem. In primis veremur, ut consentientes lectores habeat in probanda Cod. Goth. lectione, fab. 11. de persona & vulpe, ubi in epimyth. pro vulg. μεγαλοπρεπεῖς τῷ σώματι, κατὰ δὲ ψυχὴν ἀλογίστους, Cod. habet ἀλλοκότους, quod ipse amplexus, nullo exemplo allato, esse dicit, *portentosos, monstri similes*: quod ut fieri posse concedamus, fabulæ sensus utique respuit. F. 16. ὁ μετὰ χεῖρα φέρω, recte quidem corrigit pluralem, cum & antea fuerit ἐν χερσί: sed debebat docere, μετὰ, cum quarto casu, valere ἐν. Sicut nec ad fab. 18. στεατίνους βοῦς, probavit esse *farinaceos*, cum στέαρ *pinguedinem* fere significet. σταιτίνας legendum, ex Herodot. II, 47. qui Aegyptiorum pauperes dicit πλάζειν σταιτίνας ὗς, quo ipso loco ad rem illustrandam uti poterat. Ex Aphthonio quoque fabularum diversitatem afferre non neglexit. Vossiano Codice, de quo tamen nihil monuit, usus nonnunquam est. Camerarii latinæ interpretationi, Appendicis loco adiectæ, ex aliis scriptoribus, ubi extabant, versas, nec non ex Msto Abbatiæ S. Galli veteres quarundam interpretationes, inseruit; indice denique, auditorum nonnullornm opera concinnatum, opus clausit. Vitia priorum editionum in textu quidem correxit, sed in notulis monere nonnunquam omisit. Ex Notis excerpere nil admodum potuimus, cum in tironum gratiam pleraque apposita, ab aliisque fere sint observata.

NOVA LITTERARIA.

Die XVI. Augusti, proxime sequentis, in aedibus Oertelianis in urbe nostra, Bibliotheca selectissima, ad elegantiores litteras pertinens, *auctionis lege divendetur. Sunt in ea Libri, & varitate insignes, &, quod pluris est, notae optimae, quos heic loci enarrare supervacuum est. Catalogos enim non describimus. Exteris, officia sua, coemendis libris, offerunt,* Christius, Ernestius, Maius, *bonarum litterarum in academia nostra Professores.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Iunii Anno MDCCLVI.

Pars II.

BATAVIA SACRA, SIVE RES GESTAE APOstolicorum virorum, qui fidem Bataviae intulerunt, in duas partes divisa. Prima continet gesta XX. Praesulum Ultraiectensium, qui fere Sanctis adscripti, aut habiti sunt, aliorumque istius aevi patriae caelitum, ex coaevis scriptoribus depromta, insertis ad res dubias, vel obscuras, dissertationibus. Reliquorum dein Pontificum Traiectinorum, eorumque Suffraganeorum, Vicariorumque, gesta & sanctiones sacras nunquam editas, vel oblitteratas, prodit, ad erectionem usque novorum per Belgium Episcopatuum; praemissis prolegomenis ad res patriae illustrandas.

Altera a F. SCHENCKO orsa, traditis diplomatibus circa limites sedium, Metropolitanae Ultraiectensi suffraganearum, habitisque iis in locis conciliis, res gestas, decreta fidei morumque, ac scripta Praesulum, Vicariorum, Pastorum, aliorumque, una cum recensione Ecclesiarum locorumque sacrorum, ad nostrum usque seculum perduxit. Cum figuris aeneis. Omnia industria ac studio T. S. F. H. L. H. S. T. L. P. V. T.

Bruxellis, pro Francisco Foppens, & Ultraiecti apud Hermannum & Io. Besseling, 1755. fol.

Alph. 7. plag. 22.

HISTORIA EPISCOPATUUM FOEDERATI Belgii, utpote metropolitani Ultraiectini, nec non Suffraganeorum, Harlemensis, Daventriensis, Leovardiensis, Groningensis, & Middelburgensis. In qua singulariter eminent provinciarum antiquitates, urbium & pagorum incrementa, Ecclesiarum, Abbatiarum, ac Coenobiorum Origines, Fundatores, Patroni, Iurisdictiones, Privilegia, Iura, & possessiones, Tabulaeque, quibus ea firmantur, innumerae, quarum plurimae hactenus ineditae. Itemque, Praesulum, Abbatum, Abbatissarum, Rectorum, Virorum tum ecclesiasticorum, tum politicorum, vitae, gesta, lucubrationes, aliaque ex Ecclesiarum monumentis, Monasteriorum codicibus, Bibliothecarum archivis, Authenticis annotatis, Patriisque scriptoribus, eruta ac publici iuris facta, per H. F. V. H. Sac. T. L. Vic. Tr. Opus omnibus antiquitatum intra & extra Patriam studiosis diu desideratum ac necessarium, cum multis figuris aeneis, & iconibus virorum illustrium, praecipue qui in Belgio primi Evangelium annuntiarunt.

Antverp. apud Io. Bapt. Verduſſen & Ultrai. apud Herm. & Io. Beſſeling, 1755. fol. *Voll. II.* Alph. 14. plag. 14.

Quantum ad hiſtoriam generalem rerum, in civitate chriſtiana geſtarum, ſupplendam perficiendamque faciat accuratior Epiſcopatuum, ſive maiorum dioeceſium deſcriptio, inter omnes conſtat; maxime ubi inde a primis originibus ſuis repetantur. Intelligere inde licet, a quibus lux doctrinæ ſalutaris huic vel illi terræ primum illata, per quos & quibus viis ipſa illa propagata, qui errores & ritus ſuperſtitioſi cum tempore irrepſerint, qui ſe iſtis oppoſuerint, qui ex illis, qui coetibus chriſtianis præfuerunt, aliis doctrinæ gloria, & virtutis ac ſanctimoniæ decore, præcelluerint. Quæ ubi cum inſigni eccleſiæ utilitate coniuncta eſſe, viri quidam eruditi animadverterunt, nulli operæ pepercerunt, quo diverſarum regionum antiquitates eccleſiaſticas e tenebris

bris eruerent, easdemque illas in clariori luce locarent. Sic *Ughellius* dedit Italiam sacram, *Sammarthani* fratres Galliam christianam, *Io. Buzelinus* Gallo - Flandriam sacram & profanam, *Anton. Sanderus* Flandriam & Brabantiam sacram & profanam, ut alios taceamus. Horum exemplo excitatus Auctor, Bataviam sacram adornare instituit. Iam quidem ante ipsum Belgis non defuerunt, qui res illorum sacras attigerint. Sunt in his *Io. de Beka*, *Wilhelmus Hede*, quem utrumque accurate illustravit *Arnoldus Buchelius: Bosschartius* de primis Frisiæ apostolis est commentatus; *Io. Lindenbornius* episcopatus Daventriensis historiam sive notitiam paravit. Sed qui historiam totius Belgii foederati sacri, a primis suis natalibus ad recentiorem ætatem, continuo filo pertextam concinnavret, præter Auctorem nostrum inventus est adhuc nemo. Usus est, quos habere potuit, scriptoribus coævis & fide dignis, bibliothecarum angulos excussit, tabulata curiarum, templorum, monasteriorum, aliorumque collegiorum publicorum perquisivit. Ex quibus, uti & propria supellectile litteraria, ingentem admodum numerum documentorum, diplomatum, litterarum typis nondum exscriptarum, vel lingua vernacula, vel in latinum conversarum, stupenda industria protulit. Auctor litteris initialibus tantum proditus, est *Hugo Franciscus van Heussen*, S. Theol. Licent. ecclesiæ Traiectinæ vicarius, familia amplissima & opulenta, sacris Romanensibus addicta, oriundus, Hagæ Comitum natus, quem *Io. van Neercassel*, episcopus Castoriensis, & per foederatum Belgium Vicarius apostolicus, tanti fecit, ut in administratione muneris sui perpetuum comitem, & adiutorem sibi adiungeret, eundemque moriens successorem sibi destinaret. Etiam illo fatis functo, publicis litteris ecclesiæ Romanæ purpuratis impense fuit commendatus, Ao. 1686. natus tum admodum annos 33. Sed enim æmulorum studio res aliter evenit, præterito quippe Heusseno, *Petrus Coddaeus* supremus sacrorum & ordinis ecclesiastici per foederatum Belgium antistes est designatus. Fuit Heussenus vir doctrina, pietate, animi moderatione, inter suos insignis, qui, cum multis opibus abundaret, munificus

admodum in egenos & fidei socios exstitit. Vid. T. I. P. II. p. 504. 511. Opus hoc non nunc demum prodit, Tom. I. iam a. 1714. lucem adspexit, T. II. a. 1719. est editus. Suo tamen modo novum videri potest: casus enim intervenit, qui fecit, ut pauca exempla, potissimum T. II. in vulgus dimanare passus est. Quod cum nonnulli bibliopolæ Belgici exiguo tempore ante redemissent, illud novo titulo insignitum, & quibusdam iconibus ac tabulis æneis exornatum, iam venum exponunt.

Sed ad descriptionem præstantis operis huius nos convertimus. Tomus I. in duas partes tributus, complectitur historiam episcopatus Ultraiectini, a primo tempore christianismi, in Belgium foederatum introducti, ad recentiora usque tempora deductam. Inscripsit *Bataviam sacram*, eo nomine comprehendens, quidquid foederati Belgii terminis includitur, atque olim *Frisiae Belgicae* nomine venit. In prolegomenis monet quædam generatim de Batavis, Frisonibus, ac Frisia, quæ olim spatiosiorem tractum ac nunc effecit, Hollandia item, eius etymo, & Comitibus illius; inde memorat, qua via & per quos doctrinæ christianæ semina ibi fuerint sparsa. Factum id nonnulli perhibent iamdum Nerone imperante. D. Petrum scilicet eo ablegasse *Aegistum* quendam; sed quoniam huius rei apud probatæ fidei scriptores nulla iniicitur mentio, merito exploditur. Videntur autem Frisones non uno eodemque tempore ad fidem in Christum adducti fuisse. In illis erudiendis, adque præcepta Christi conformandis, diverso tempore occupati fuerunt *Eligius*, Tornacensis & Noviomensis episcopus, mortuus circa a. 658. *Wilfridus*, Anglus, præsul Eboracensis, *Wulframus*, Senonensis episcopus, cui, quod vulgo de Radbodo, duce Frisiæ, circumfer-
Pag. 1-29. tur, evenisse narrant. Horum vitæ, & item aliorum, qui conversionis socii fuerunt, & post in sanctorum seriem sunt
30-35. relati, *Gangulphi* nempe, *Egberti*, *Wigberti*, sive *Wicberti*, vitæ & res gestæ enarrantur. Maiori in Frisonibus doctrina salutari imbuendis fortuna usus est *Willibrordus*, Anglus, cui Sergius P. R. nomen *Clementis* dedit, quemque X. cal. Dec.

Dec. a. 696. Romæ, Pipino petente, Archiepiscopum Traiectinum consecravit; qui tamen titulus ad ipsius successores non transiit. Eius vita ex *Mabillonii* annalibus Benedictinis eummaxime refertur. Loquitur hinc de sanctis, *Suidberto*, Pag. 36-53
Adalberto, *Acca*, *Tilmone*, *Engelmundo*, *Werenfrido*, qui omnes Angli fuerunt, & *Willibrordo*, in sermone divino adnuntiando operam sociam præbuerunt. Num *Bonifacius*, archiepiscopus Moguntinus, Willibrordi in sede Traiectina successor fuerit? quæritur. Ipsum a. 703. d. 23. Maii Lullo sedem cessisse, & episcopatum Traiectinum adiisse, ferunt. Ca- 57-70.
nones conciliorum, ipso auspice celebratorum, adducuntur. 71-78.
Nec reticentur socii ipsius, qui post fata sanctorum coetui fuere adscripti, & certorum locorum patroni tutelares sunt constituti, nimirum *Adulphus*, *Eobanus*, *Adalaricus*, *Wiro*, *Plechelmus*, *Willibaldus*, *Wunebaldus*, *Willehadus*, episcopus Bremensis, & *Walburgis*, quorum descriptio quædam datur. 78-87.
Tertius episcopus a nonnullis ponitur S. Gregorius, regia Francorum progenie oriundus, qui, uti vivo Bonifacio adhæsit, ita, eodem mortuo, curam ecclesiæ Traiectinæ, non tamen ut episcopus, sed ut abbas suscepit. Sequitur vita S. 88-90.
Marcellini & S. *Liefuini*, sive *Lebuini*. Inde ordine percen- 91-94.
sentur antistites Traiectini, quos memorare prolixum nimis foret. Illorum tantum mentionem faciëmus, qui virtute pietateque eminuerunt, quique laude dignas actiones ediderunt. Memorandus præ aliis *Fridericus*, cui postea nomen sancti est datum, qui omni fervore id egit, ut, qui deorum cultui adhærebant, de veritate christianæ religionis convincerentur: multo etiam studio contendit, ut Ariani & Sabelliani, quorum haud exiguus numerus in Frisia erat, suis erroribus expedirentur, adque ecclesiæ consortium reducerentur. Cæsus tandem a. 838. d. 15. cal. Aug. est, cum ad altare sacra face- 99-104.
ret. Huius ætate, miraculis ac prædictionibus inclutus fuisse dicitur S. *Odulphus*. *Eginhardo*, qui apud Carolum magnum 104-108.
summa fuit auctoritate & dignitate, postquam muneribus se suis exuisset, locus inter episcopos Traiectinos datur, quoniam vicem antistitis, vel absentis, vel mortui, per tempus admini-

Pag. 109 - ministravit. *Adelboldus XIX.* episcopus primus fuit, qui
110. arma tulit, bella gerens adversus Theodoricum, Hollandiæ
comitem, sed infeliciter admodum; fusus quippe ac fugatus
125-126. vix naviculæ beneficio evasit. Priores episcopi numero 20.
omnes in sanctorum cælitum, sive beatorum concionem sunt
adlecti; sed ab eo tempore a pietate maiorum suorum mul-
131. tum deflexerunt. *Guilielmus XXI.* episcopus varias in Pa-
læstinam expeditiones suscepit, sed multis vulneribus male
132-133. multatus, nudus fere ab Arabibus est relictus. Cum primi
episcopi se scriberent episcopos *Dei gratia,* vel *misericordia*,
inde a sæc. XIV. se episcopos *Dei gratia,* nunc *apostolicae se-*
137. *dis gratia,* scribere coeperunt. *Godebaldus* a Calixto pontifice
139-143. impetravit, ut mitra & infula episcopali uti sibi esset inte-
grum. *Conradus III.* Imp. capitulo concessit ius eligendi epi-
scopum. Diploma Augusti & pontificis Eugenii integrum ad-
ducitur. Inde factum, ut, quoties novus episcopus eligendus,
lites orirentur, principibus vicinis & maioribus vasallis, re-
145-147. petimus verba Auctoris, certatim suos obtrudentibus. Ao.
1291. episcopo *Ioanne* de *Zyrich,* statuta synodalia sunt pro-
mulgata, quibus emendatio vitæ clericis imperatur, ne,
vino, crapulæ, aliisve gravioribus vitiis, se dedant, concubi-
nas missas faciant, in illis locis, quibus munia sua adstricta
sint, resideant, ab armis abstineant, ludis theatralibus ne in-
tersint, & quæ huius generis sunt alia. De baptismo præci-
pitur: *statuimus, quod caput ter in aqua ponatur, nisi fuerit
debilis, vel infirmus, vel frigidum tempus; tunc aqua per ma-
num sacerdotis super caput pueri profundatur, ne propter sub-
mersionem, vel frigiditatem, seu debilitatem, puer exstinguatur &*
168-171. *moriatur.* Memorabile exemplum monachi, cui nomen *Ioan-
nis* de *Iuliaro,* qui falso se pro episcopo gesserat, & munia epi-
scopalia administraverat, legimus relatum p. 203. 204. cui,
omnibus sacerdotalibus vestibus exuto, *digiti, quibus corpus
dominicum tractare consueverat, vitro ossetenus sunt lacerati.*
Cum episcopatui præesset *Henricus,* ex comitibus Palatinis, re-
bus Traiectinis insignis mutatio supervenit. A ducibus Geldriæ
multum infestabatur Henricus, terræ ipsius crebris invasio-
nibus

nibus expilabantur ac vastabantur. Intelligens igitur, sibi satis virium haud esse ad hostem adeo validum repellendum, ex consilio & consensione senatus sacri, civilem in urbem Traiectinam, & quidquid ad illam spectabat, iurisdictionem, solenni pactione transscripsit in Carolum V. Imperatorem, contentus iurisdictione ecclesiastica: quod tamen pactum non omnibus probabatur. Monumenta, quae ad hanc rem spectant, itemque litterae Clementis VII, ex antiquo cod. MS. exhibentur. Pag. 240-244.

Pars II. progreditur ad erectionem novorum in Belgio episcopatuum. Doctrina religionis purior per Belgium passim invalescebat, & plures admodum eidem adstipulabantur: huius igitur incremento ut obex poneretur, Carolus decreverat plures constituere episcopatus. Quod ille, fato praepeditus, exsequi non potuit, id filius Philippus II. effectui dedit, episcopatum Ultraiectinum in Archiepiscopatum extulit, cui tanquam Suffraganei adiuncti sunt episcopi, Harlemensis, Medioburgensis, Daventriensis, Leovardiensis, Groninganus. Sententiam hanc suam Rex pontifici *Paulo IV.* significaverat, qui decretum satis prolixum, quo singularum dioecesium limites accurate designat, publicavit. Editum illud est a. 1559. idque integrum, ex tabulato ecclesiae Ultraiectinae depromtum, exhibet. Aliud dedit *Pius IV.* a. 1565. speciatim respiciens 2-9. sedem Traiectinam. Regia igitur voluntate d. 20. Sept. a. 1560. *Fridericus Schenckius* archiepiscopus est nominatus, confirmatus a Pio IV. d. 28. Maii 1561. Animadvertens clerus, per hanc novam constitutionem, iuribus, ac privilegiis suis non leve damnum illatum iri, intercessit. Schenckius 10-13. d. 10. Oct. 1565. concilium provinciale in urbe Traiectina indixit. Scopus erat, fidem firmare, corruptelas morum e medio tollere, inprimis vero concilium Tridentinum omnibus commendare. Quae heic reliqua fuerint tractata, ex actis concilii huius, quae integra repraesentantur, cognosci possunt. Mortuo Schenckio, & rebus in Belgio mutatis, nominati sunt vicarii generales, quorum erat, nutanti religioni 13-41. pontificiae succurrere, rerum sacrarum curam gerere, in omnes

omnes ecclesiasticos regimen administrare. Ex his præ aliis
memorandus *Sasboldus Vosmerus*, qui, quoniam Hispanis favere accusabatur, iussu Mauritii Arausiaci, criminis læsæ maiestatis d. 30. Maii 1602. postulatus, & omnibus ipsius
Pag. 45-51. bonis, quæ satis ampla erant, publicatis, proscriptus est. Fuit apud suos in magna existimatione, quod testantur oratio funebris, itemque elogia, quæ integra hic legenda dantur:
52-73. repræsentantur etiam quædam ipsius decreta & statuta. In eius locum suffectus est *Philippus Rovenius*: sed quoniam auctoritate regis Hispaniæ munus suum administravit, ipsiusque rebus favere iudicabatur, sententia in curia Ultraiectina d. 10. Mart. 1640. pronuntiata, idem, quod antecessor Vos-
74-84. merus, fatum subiit. Subiiciuntur ipsius statuta, in usum ecclesiarum catholicarum foederati Belgii, item constitutio Alexandri VII. de missionariis. Vicarius Rovenii
85-109. fuit *Io. Wachtelaerius*, *Vigilius* alias dictus, qui quod eiusdem cum Roverio sententiæ esset, Belgio excedere est coactus, omniaque ipsius bona ærario sunt adscripta.
110-112. Sequuntur descriptiones ecclesiarum, monasteriorum, abbatiarum, ædium hospitalium, tum in urbe Traiectina, tum extra illam, ad sedem Traiectinam spectantium, quibus singulis brevem relationem historicam A. præmittit, fundationumque litteras ac alia diplomata adducit. In scenam producit omnes illos, qui eisdem præfuerunt, ac sacris ministeriis sunt perfuncti, non omissis, quæ passim memoratu digna contige-
113-456. runt. Sub finem recensentur vitæ ac res gestæ postremorum vicariorum apostolicorum *Iac. de la Torre*, *Zach. de Mez*, *Balduini Catzii*, *Io. van Neercassel*, *Petri Coddaei*, *Gerardi*,
457-532. *Potkampii*, & *Adami Daemii*. Singulari ornamento sunt charta geographica antiquæ sedis Francorum, effigies antistitum, sanctorum, ac virorum præclare meritorum, delineationes templorum & monasteriorum, itemque insignium gentilitiorum episcopalium n. 97. quæ vel in ipso textu, vel seorsim habentur.

Tom. II. sex partibus constat, quarum quæque certo episcopatui est destinata. Initium facit A. a sede Traiectina, cuius quidem

quidem satis amplam descriptionem Tom. I. dederat; quoniam vero post id tempus multa documenta in ipsius manus inciderant, consultum duxit, eandem novis accessionibus locupletare. Diffitendum quidem non est, haut pauca recurrere, quæ in I. Tomo adfuerunt; multa tamen etiam nova in medium adducit. Idem ordo, qui in superipri, servatur. Inter viros insignes, quorum vitas sistit, eminet *Adrianus VI.* P. R. cuius effigies affabre picta conspicienda datur, & aliquot ipsius litteræ ad Traiectinos exhibentur. Pars II. episcopatum *Harlemensem* describit. Primus illius episcopus, iussu Philippi II. inde ab a. 1560. fuit *Nicolaus Nieulant,* qui alias *de Nova Terra,* sive *Novaterranus* dicitur; quem excepit *Gottofredus Mierlo.* Historia episcopatus Daventriensis, quæ tertiam partem efficit, est *Io. Lindenbornii,* cuius *historiam* sive *notitiam episcopatus Daventriensis,* quæ Colon. 1670. 8. lucem adspexit, integram inserendam curavit, ita tamen, ut quæ *Iac. Revius* in *Daventria illustrata* observavit, in usum suum converterit. Quarta pars occupatur in recensenda historia episcopatus *Leovardiensis.* Primus antistes fuit *Remigius Dirutus,* qui tamen munus sibi a. 1565. creditum, quoniam proceres erectioni episcopatus obnitebantur, adire non potuit. Eius successor *Cunerus Petri,* qui a. 1569. est designatus, non meliori sorte usus est, tandemque terra Belgica emigravit. Inter alios refert A. vitam *Viglii Zuichemii,* cuius epistolas quasdam ad *Erasmum, Alciatum, Bembum, Perenottum, Melanchthonem,* adhuc ineditas, item aliquas Erasmi, quæ in præstantissima editione Lugdunensi non comparent, operarum formis describendas curavit. De Zuichemio hæc habet verba: *Guilielmus Bataviae,* (procul dubio legendum *Bavariae,*) dux 1537. *Academiae Ingolstadiensis professorem* (constituit), *postquam similem conditionem sibi antea in academia Regiomontana a Ioachimo II. Marchione Brandenburgico, oblatam recusasset.* Academia Regiomontana demum a. 1544. ab Alberto duce est condita; itaque intelligi hoc debet de Academia Francofurtana. In V. parte descriptio episcopatus Groningani datur. Primus episcopus a rege de-

 nomi-

nominatus, est *Ioannes Knyf*, qui obiit a. 1578. Huic successor est destinatus *Arnoldus Nylen*, qui tamen ob sacrorum emendationem initiari haut potuit. Communicat A. vitam *Ioannis Wesseli* manu exaratam. Auctor natalem ipsius illigat a. 1400. mortuum esse scribit a. 1459. d. 4. Oct. atque de eo pronuntiat, quod cum Luthero & Melanchthone commercium aluerit; quorum ille tamen tum in prima pueritia constitutus, hic ne quidem natus erat. Indignatur ampliss. Heussenus, Wesselum, *Lutheri prodromum* nominari, de eoque adseverari, ipsum multas ecclesiæ Romanæ doctrinas & ritus superstitiosos notavisse. Sed quæ in contrarium adfert, tam frigida & ieiuna sunt, ut quisque facile imbecillitatem argumentorum ipsius animadvertere queat. Effugia illa solide excussit cel. *Gerdesius*, hist. reformat. T. I. p. 41-43. & T. III. p. 13-16. Coronidem P. VI. imponit historia episcopatus Medioburgensis. Huic tres præfuerunt præsules: *Nicolaus de Castro* ab a. 1573. qui vero non ita multo post vivis excessit; *Ioannes van Streyen*, & *Carolus de Rodoan*, qui vero ob mutationem religionis, & motus bellicos, muneribus suis neque initiari, neque fungi potuerunt.

Ex brevi igitur operis huius præstantissimi recensu, utilitas illius abunde adparet: non tamen negamus, illi nævos quosdam, qui ob eiusdem molem evitari minus potuerunt, inesse. A moderatione etiam animi A. est commendandus: ubi enim ad reformationis tempora pervenit, non conviciis emendata sacra sequentes exagitat, sed satis habet, ipsos *acatholicos* adpellare. Scriptor *historiae de rebus ecclesiae Ultraiectensis, a tempore mutatae religionis in foederato Belgio*, Colon. Agripp. 1725. 4. passim sugillat Heussenium, adfirmantem, post obitum Schenckii, Sasboldum, Vosmerum, & Phil. Rovenium, archiepiscopali dignitate eminuisse, & penes canonicorum collegium ius eligendi antistitem resedisse; monet etiam Heussenium subinde diplomata non optimæ fidei in medium adducere. Verum enim vero (1) notari velimus, Heussenium non diserte dicere, ipsos archiepiscopos fuisse, sed tales dictos & habitos fuisse a suis, & ab exteris, & ab ipsis etiam principibus viris, quin & ab acatholicis:

T. I.

T. I. P. II. p. 49. T. II. P. I. p. 43. (2) Collegio canonicorum, vel illorum, qui cum vicario ecclesiæ Traiectinæ res curabant, ius eligendi vicarium competere, non Heussenius solum, sed & alii bene multi adfirmarunt: loquimur autem de iure; pontifex enim omnia iura constituendarum ecclesiarum invasit, sibique soli adseruit. Et siquidem *Carolus V.* eiusque filius *Philippus II.* iure nominandi episcopos sunt gavisi, illud ius ad supremos foederati Belgii ordines cum summa iurisdictione territoriali postea devolutum esse tuto adfirmare licet, qui illud collegio ecclesiastico concedere potuerunt. Quare in eorundem edicto 17. Aug. 1702. expressis verbis dicitur, *quod nullus vicarius agnosci poterit, nisi qui secundum modum, in his regionibus usitatum, debite fuerit electus.* Habetur illud c. l. p. 139. Quod autem (3) anonymo aliquando duriora verba exciderunt, procul dubio ex imprudenti fervore provenit; Iansenismi enim suspectus erat Heussenius. *Hominis fama*, inquit, *haut incolumis & integra. Arguebatur, quod novis, quae tunc gliscebant, opinionibus impense faveret: quod in Arnaldi, aliorumque Ianseniani erroris alumnorum familiaritatem se demersisset: quod de indulgentiis minus recte sentiret, ut colligi poterat ex eius libello hac de re edito,* p. 56. 67. Accedebat, quod in publico cultu, contra morem ecclesiæ romanæ, quædam mutare religioni sibi haut duceret: *sacramenta baptismi, matrimonii, ac extremae unctionis, vernacula lingua administrare, & ecclesiasticas preces tumulandis fidelibus eodem idiomate adhibere palam, & in frequenti catholicorum corona veritus non est*, p. 58. Quæ crimina! Chartæ topographicæ, ichnographiæ urbium, icones virorum insignium, episcoporum, sanctorum, delineationes templorum, monasteriorum, armorum gentilitiorum, insunt 93. Charta & typorum elegantia, potissimum Tomo II. se facile commendabunt. Mendæ typographicæ a perito lectore haut difficulter animadverti poterunt. Unicuique parti index est subiectus, qui in tali Opere, quod a capite ad calcem vix duo aut tres legerint, nonnisi magno lectorum incommodo desideratur.

HISTOIRE CIVILE, ECCLESIASTIQUE, ET LITTEraire de la Ville de Nismes, avec des Notes & les Preuves.

i. e.

HISTORIA URBIS NEMAUSI, CUM ADNOTAtionibus, & actis facta comprobantibus. Per Dom. MENARD, ibidem iudicii praesidialis consiliarium, academiae regiae Inscriptionum & optimarum litterarum adscriptum.

Tomus III.

Parisiis, 1752. apud Hugonem Danielem Chaubert, & Claudium Herissant. Cum adprobatione ac privilegio Regis.

3 Alph. 7 plag. in 4.

Volumine hoc III. comprehenduntur memorabiliora historica, ad urbem Langedociæ, Nemausum, referenda. Exordium Auctor duxit ab a. 1378. telamque suam ad finem usque anni 1481. pertexuit, nulli operæ parcens, ut fidem, diligentiam, & historici mensuram impleret. Pleraque proxime faciunt ad historiam Galliæ politicam, cuius supplementa heic exhibentur, nec tralatitia, nec rara. Insignis pars geographiæ Galliarum medii ævi hinc hauriri potest. Historiam ecclesiasticam, & fata Iudæorum, Auctor ita ob oculos habuit, ut utrique notitiæ passim facem accenderit. Sed nequidem res potiores, ad notitiam numariam & oeconomicam referendas, neglexit. Consulum & Seneschallorum munia, statumque provincialem Langedociæ, ac regionum circumvicinarum, ex oculis suis haud dimisit. Nobiles, Nemausi commoratos, a. 1390. recusasse partem tributorum ferre ad summam argenti exsolvendam Anglis, quibus ea erat tradenda ex pacto, ut urbes Galliæ bene multas præsidiis suis nudarent, refert. Mirum est, Canonicos basilicæ episcopalis Nemausi a. 1394. noluisse moveri e templo suo celebrationem *festi stultorum*, & alio transferri: quod festum vetusta simplicitas pepe-

peperérat, religiosis locis, ob ridiculos vestium ac ceremoniarum modulos, prorsus indignum. Ioannes de Blausac, Episcopus Nemausi, postea ecclesiæ Romanæ Purpuratus, Episcopatu dimisso, ab Urbano V. cum Aegidio Aicelino a. 1362. Parisios, ut academiam ibi reformaret, missus fuit. Avenione a. 1379. 8. Iul. subito exspiravit, ante- Pag. 12.
quam institutum suum perficeret, condendi collegium Tolosæ, *Nemausense* adpellandum, in quo ex sumtibus corrogatis pauperes adolescentes alerentur, & litteris scientiisque imbuerentur. Rex Carolus VI. a. 1380. Gallias levavit onere contribuendi numos subsidiarios, bello propulsando antea destinatos. Clemens VII. dat negotium administratori Episcopa- 26.
tus Nemausensis, ut disquireret indolem miraculorum, quæ corpori vel umbris Urbani V. in templo S. Victoris Massiliæ sepulti tribuebantur, fama vulgante. Nutum Ducis Bituricensis secuta fuit omnis Langedocia, postquam copiæ eius ad Nemausum de reluctantibus victoriam reportarunt. Invaluit prædatorum colluvies nova, dicta *Touchins*, Langedo- 31.
ciæ & præcipue Nemausensibus admodum molesta. Sene- 38.
schallus Nemausensis Provinciales compescuit, Aquis Sextiis expugnatis. Ao. 1383. Bernardus de *Bonneval* electus fuit Episcopus Nemausensis. *Tuchinatus* conquiescit tandem Nemausi a. 1384. enatus nuper ex dissidiis mutuis nobilium 57.
ac civium. Anno ineunte 1386. Rex Carolus VI. iussit suos conferre pecuniam subsidiariam, prætexens expeditionem cruciatam, re ipsa bellum in Angliam translaturus: concessit ta- 60.
men, ut, qui in promtu eam non haberent, sumerent a templorum & domuum votivarum antistibus, aut aliunde, mutuam eam argenti summam, quæ esset, iussu Regis, pendenda. Angli incursionibus ac deprædationibus meridionalem vexabant Galliam, ad Nemausum fere excurrentes. Anno 1387. 64.
Rodæ transactio Anglos inter & Gallos 6. Iul. sancita, qua cautum fuit, ut Angli relinquerent urbes, quas in Langedocia occupassent. Carolus VI. venit Nemausum, comitatus fratre Duce Turonensi, ac consanguineis & primoribus. Duci Bituricensi administrationem Langedociæ Rex ademit, & Ave-

nione rediit Lutetiam, tribus ad res Langedociæ & Aquitaniæ
Pag. 70. reformandas antistitibus designatis: inter quos erat Archiepiscopus Rhemensis, paullo post Nemausi veneno exstinctus.

Eruperunt denuo dissensiones inter nobiles civesque Nemausi. Regi visum, castrum ibi construere, ut immorigeri facilius coercerentur. Papa Episcopos recens electos nonnumquam repudiavit, & administratores constituit Episcopatuum, Rege nihil contra monente, licet unus Papa Romæ, alter Avenione commoraretur. Ut Deus hoc schisma tolleret, Nemausenses a. 1392. sacra deambulatione publica
88. Deum deprecati sunt. Eandem paullo post repetunt, ut Regi Carolo VI. ægrotanti sanitatem pristinam exorarent. Votis respondit eventus. Ut igitur Deo gratias agerent, tertium processerunt religiose per urbem. Exstinctum fuit a. 1394. *festum stultorum* in ea urbe. Celebrabatur id per orbem occi-
93. dentalem christianum propemodum omnem, natalitio Iesu die, ac uno alteroque postero, in ipsis templis. Gaudebant homines de Iesu nato, ut scilicet solebant gaudio colorem dare. Saltabant & profanabant tum mores, tum loca, tum haud raro corpora. Clerici solebant interesse saltationibus, easque ardenter sæpius cum Laicorum feminis frequentabant, ne scilicet viderentur odisse feminas. Anno 1399. Nemausi, lucta, in festum Ludovici sancti diem fuit constituta, & victori
111. præmium ex pacto datum. Xenodochium, leprosis excipien-
118. dis dicatum, dictum fuit *domus S. Lazari.* Ludovicus II. Rex Neapolitanus, & Carolus Nobilis, Rex Navarræ, a. 1408. Nemausum venerunt. Suum cuique honorem Nemausen-
128. ses habuerunt, in eo positum, quod mensuram vini cuivis, sex faces, sex item ceræ libras, obtulerint. In secessum eremiticum, ad Nemausum, se abdidit vetula, cui mortuæ substituta fuit altera. Consules suppeditarunt impensas, ut illa redderetur particeps unctionis extremæ, ac sepulturæ. Episcopus Nemausensis Aegidius *de Las-cours* interfuit a. 1409. Concilio, quod in basilica Pisis celebrabatur ad schisma Papale
131. exstinguendum, indictum ad d. 25. Mart. Uterque Papa, Gregorius XII. & Benedictus XIII. pro hæretico & schismatico fuit publice reputatus, ac dignitate sua orbatus.

Lucas

Lucas d'Achery acta publicavit *Spicil.* To. VI. p. 225. Concilio illo electus fuit in Papam Ioannes XXIII: Benedictum XIII, qui cum suis Avenionem tenuit, Carolus VI. Rex iussit per Seneschallum Belloquartensem obsideri in palatio, ac renuntiare Pontificatui. Bello mox intestino flagrare coepit Gallia. Dux Bituricensis cum Ducibus Britanniæ & Pag. 133.
Aureliæ foedus inierunt adversus Burgundiæ Ducem, Regi fidum. Rex igitur Duci Bituricensi ademit Langedociæ administrationem: tum ad comitia Parisios iussit coire proceres universos. Nemausenses cives armis instruebantur. Bituricensi, qui noluit dignitate sua cedere, non defuerunt sectatores, qui loca quædam occuparunt, prædasque in omni circum agro egerunt. Qui Regi favebant proceres, consultarunt Nemausi & Montepessulano. Pax tandem 1412. 13. Iul. coaluit in campo Biturici, inter Regem & rebelles. Super- 138.
erant socii Comitis Armaniaci, qui adhuc tumultuabantur. Urbs *la Mothe* ad Rhodanum eis fuit a regiis ademta. Benedictus XIII. recusavit dignitate Papali decedere, schismati continuando intentus. Ioannes XXIII. iussit Languedocienses, Regi pendere rogatam argenti summam, ad statum publicum defendendum, & componendum. Regi convenit 141.
tandem cum Duce Bituricensi, transactione nova 1413. 10 Aug. qui gubernationem Languedociæ recepit 21 Oct. Duci vero Burgundiæ, cui culpa rebellionis fuit tributa, bellum Rex indixit a. 1414. 10 Febr. Dicebantur tum Angli Languedociam invasuri. Summas pecuniæ Languedocienses Regi ingentes pendebant; etsi Burgundus eis denegationem solutionis, passim suffragatores nactus, suaderet. Castellum Nemausense a Seneschallo Belloquartensi armis præsidiisque munitum, quo cives in officio retenti sunt. Carolus VI. convocavit Galliarum Clericos Lutetiam 1414. 1 Oct. ut ex eis deligeret adsessores Concilii Constantiensis, schisma Papale exstincturi. Obiit Dux Bituricensis a. 1416. 15 Iun. Rex, Langedociam ditioni suæ iam iungere 144.
penitus, decrevit. Regis filius natu maximus obiit, post Ludovicum. Supererat tamen Carolus, Comes *de Ponthieu* dictus, minimus natu Regis filius, qui etiam Carolo patri successit.

Duci

Duci Burgundiæ hæc non poterant probari. Interea Rex Carolus fato concedit. Isabella Bavara, regina, gubernacula regni, magnis ausibus, capessit, & in consortium sibi deligit Ducem Burgundicum a. 1417. ineunte Novembri, in urbe Carnoti. Carolus, filius Caroli, secus sensit, ipse populos Galliæ recturus. Regina ei a consiliis dedit Ludovicum Cabillonensem, Genevæ Comitem, filium natu maximum Principis Arausicensis, 1418. 30 Ian. aliosque. Languedocienses sensim Ludovico se dedunt. Carolus vero, se rectorem Galliæ esse, declaravit, ac Proregem suum per Langedociam constituit Archiepiscopum Rhemensem, armis auctoritati Regis consulturum. Regina & Rex Carolus, consilio

Pag. 150. coniuncto, statuunt Comitem, *de Foix* dictum, gubernatorem Langedociæ, obnitente Principe Arausicensi, & arma capessente. Inde bellicæ dissensiones intestinæ. Comitem Rex iussit muniis suis discedere, Langedociensibus, qui Comitem secuti fuerant, in gratiam receptis. Nemausenses Rex ipse ad officium redire coegit, urbe & arce expugnatis. Pars moenium tunc deiecta. Rebelles gravissimis

153. suppliciis adfecit. Dum hæc ita aguntur, Regina foedus init cum Rege Angliæ, eumque Galliarum Regem declarat, pactione Trecensi a. 1420. 11 Maii, quamprimum Carolus Rex obiisset, & Rex Angliæ in uxorem duxisset Catharinam, filiam Regis Galliarum. Carolus demandavit Langedociam tuendam, & porro coercendam, Carolo Burbonio, Comiti Claræmontano, profecturus Parisios. Princeps Arausicensis tentavit adhuc nonnihil ad Rhodanum contra Regem. Carolo VI. Regi, 1422. 21 Oct. mortuo, successit filius Carolus VII. Pictavii coronam regni nactus, in Languedocia iusiurandum fidelitatis passim a *Vasallis* exegit. Arci

157. Nemausensium imposuit præsidia, ad prædones arcendos, & ad urbem pacandam. Comitia dein celebrat Turoni 1428. 18 Iul. ad quæ proceres regni certatim convenerunt. Rex a. 1429. solennissime Rhemis fuit coronatus. Sed Regnum in duas factiones abiit non ita multo post; quarum una Carolum, altera matrem Isabellam & Regem Angliæ, venerabatur.

Latro-

Latronibus inde occaſio, infeſtandi provincias, verſus Pag. 173.
meridiem ſitas. Carolus VII. eiusque filius natu maximus, Ludovicus, 1437. 21 Febr. Nemauſum luſtrant. Eugenius IV. Epiſcopatum Nemauſenſem vacuefactum uni ac alteri, ex dilectis ſuis, in adminiſtrationem tradidit. Nobi- 191.
les Nemauſenſes Rex a lege pendendi partem pecuniarum ſubſidiariarum exemit. In Langedociam venit deinceps, & 195.
multum inde argenti collegit 1439. Ludovicus, Regis filius, transegit cum latronibus, in eadem provincia exercitum contra Anglos collegit, & plerisque nobilibus vacationem a bellica expeditione indulſit. Nemauſi anniverſaria & feſta proceſſionis ſacræ cerimonia a. 1450. decreta, ut Deo gratiæ agerentur, de Anglis ex Normandia exturbatis, 209.
& de *Cherburgo* ad 12 Aug. a Carolo VII. expugnato. Peſtis Nemauſum inde a Maio anni 1450. ad finem anni 1451. ita adflixit, ut nequidem ius dici poſſet in tribunalibus. Terræ motus luem haud ita multo præceſſerat. In tractibus Guiennenſibus *Seneſchallus, Raimondus de Villa*, Anglis multum intulit detrimenti. Nemauſenſium haud pauci anno 213.
1452. a lepra fuerunt tentati: nonnulli eorum a ſanis disiuncti: peſtis denuo vires recuperare viſa. Obiit Rex Carolus VII. 1461. 22 Iul. Ludovicus XI. filius ipſius, 232.
conſecratus ac coronatus fuit Rhemis 1461. 15 Aug. Epiſcopus Nemauſenſis ſeſe iureiurando devinxit ad fidelitatem, Regi præſtandam. Exſtat iurisiurandi formula memorabilis. Ioannes II. Rex Arragoniæ, Perpigniacum, urbem Ruſſilionenſis Comitatus, ditioni ſuæ ſubmiſerat. Helvetiorum XII millia aliique adverſus eum moverunt expeditionem armatam. 253.
Princeps Tarentinus a. 1476. 16 Aug. inviſit in itinere Nemauſum, nec non Alphonſus V. Rex Luſitaniæ, ad Kal. Sept. Ludovicus XI. in Flandriam exercitum ducit, ac a. 1477. reci- 259.
pit Atrebatum, rebellioni antea intentum. Incolas plurimos veteres per Gallias deduxit, colonos novos adſcivit in eam civitatem, qui a defectione eſſent alieni. Carolo VII. & filio Ludovico haud bene convenit. Principi Tarentino, Nemauſum venienti a. 1479. honos vino donato habitus fuit. 261.

Nemausenses in honorem Baudilii extra urbem sacellum *Trium fontium* struunt. Galli *Bausilum* vocant eum, tradentes, eum hoc loco ultima perpessum esse, eiusque caput cervice amputatum bis subsiliisse, ac in locis, ubi humi cecidit, scatuisse fontes. Falsam esse eam narrationem, significavit
Pag. 265. Auctor *Tom. II. pag. 229 seq.* Rex Galliarum continuavit bellum adversus Maximilianum, Mariæ Burgundicæ maritum. Intercesserunt a. 1480. induciæ utrinque. Ludovicus XI. volebat Atrebatum vocari *Franchise;* sed nomen vetus exstingui non potuit. Iussit etiam Rex mercatores sex urbium, Tolosæ, Albi, Mendarum, Pezenaci, Nemausi & Pontis S. Spiritus fisco communi inferre Atrebati 500000 scutatorum aureo-
270. rum, ad commercia communiter inde exercenda. Aerarium id, cui quæstor præesse iussus, vocatum fuit *bourse commune.* De morte Ioannis de Blausac, Purpurati Nemausensis, Avenione exstincti 1379, qui Clementi VII. adhæserat, nonnihil Auctor adfert, S. Antonini Archiepiscopi Florentini fidem sollicitans. Differit idem de *fede praesidali* Seneschallatus Nemausi & Bellicadri seu Belloquartæ. Seneschallus dictus fuit
Pag. 7. Not. hist. præses provinciæ. Henricus II. a. 1552. constituit sedes *praesidiales* in urbibus primariis, ubi erant Seneschalli, seu Præfecti. Differunt illi a præsidalibus, ad curiam præsidis spectantibus. De *rege merceriorum* Nemausi ad a. 1393. paucula restant. Ipse in mercatu publico festas exhibuit cerimonias. Mercatus ille quotannis ad 20 Maii, Baudilio fe-
10. stum ac sacrum quotannis, celebratus fuit. Prior S. Baudilii tunc significavit publice, ne quis emeret venderetve merces, quam in prato definito ac consueto, nisi 25 marcarum argenti multam mallet incurrere. Religiosi illius Prioratus excreverunt sæpius ad 45, seculo XI. At seculo XIV. monasterium id
13. aluit modo XII religiosos. Templum Nemausi gavisum fuit iure asyli. Ob usum autem præposterum, a templis Galliæ ius illud fuit detractum. Advocati regii, Ioannis *de Terra rubea,* sepulcrum & epitaphium eo memorabilius est Nemausi, quo acrius Ioannes ille vindicias iurium filii Regis Caroli VI. propugna-
17. vit. Libro eius hæc erat inscriptio seu titulus, *Ioannes de Terra rubea*

rubea contra rebelles suorum regum. Iacobus Bonaud, qui librum edidit, titulum amplificavit. Recentiores eum ita inscripserunt: *De iuribus & praeeminentiis delphini Franciae.* Addiderunt hi tractationem *de potestate Papae*, quæ alio Auctore videtur orta. Chronica, Acta & Diplomata, ac Indicem diligenter concinnatum, iam adtingere haud licet. Glossario adiecto Auctor Ill. lectoribus, Acta evoluturis, merito consuluit. Ex plerisque vocabulis patescit modus, quo exinde procreverunt vocabula gallica recentiora. En nonnulla. *Absolta* significat preces pro defunctis (*absoute*), *assacharia* possessio fundi usufructuaria cum cultura, unde dominus percipit fructuum dimidiam partem, *almorna* (aumône) eleemosyna, *anbe* cum (anbey,) *annata* decursus unius anni, *argenterius* aurifaber, *arrasare* cumulare, *aurelha* auris (oreille,) *taborellus* tympanum minus, *tencha* atramentum scriptorium, *valve* æstimatio, *villanus* agrestis homo, *parlamentum* sermones tumultuarii, *pavalhonus* vexillum, *perforsar* vim adhibere, *pigio* columba, *pilla* ampulla olei, *polassius* gallus gallinaceus tener, *polomarium* filum crassum, *prezionarius* captivus in carcerem datus, *raubare* spoliare, *regatare* redimere interposito lytro, *romancium* lingua vulgaris Langedociæ, ex veteri romana superstes, quæ vicit linguam Francorum germanicam, ac novam gallicam progenuit pæne universam. Pag. 347.

DISPUTATIONES CHIRURGICAE SELECTAE. Collegit, edidit, praefatus est ALBERTUS HALLER.

Tom. I. Lausannæ, sumptibus Marci Michael. Bousquet & sociorum, 1755. Alph. 3. pl. 7.
Tom. II. ibid. Alph. 3. pl. 7. in 4.

Magnam, omnes, qui artem salutarem vel docent vel faciunt, Celeberrimo Collectori, pro novo hoc munusculo habent gratiam. Gratia quoque illi habenda est pro pietate, qua Celeberrimorum Virorum scripta cæteroquin, uti fieri solet, fatis dispersionum obnoxia, vindicare ab

ab interitu voluit. Quodsi post hos Tomos, reliquos acceperit respublica literaria, quos propediem apparituros legimus, Bibliothecam Chirurgicam novam & Systema Chirurgiæ locupletissimum illa habitura est: Nunc morbi capitis, speciatim oculorum, deinde colli & pectoris, gravissimorum Virorum schedis academicis, tam superioribus annis, quam recenter evulgatis, traditos habemus. Expectamus reliquos titulos: namque novimus magni Halleri in servandis promissis fidem, dexteritatem, industriam.

I.

Dissertatio Medico-chirurgica exhibens casum de Vulnere Fronti inflicto, quam pro gradu Doctoris defendit IO. ANDREAS CONRADI, Osteroda-Hannoveranus. Lugduni Batavorum, 9 Ianuarii Anno 1722.

Cum miles vulnus sclopetarium, minimis globulis ad frontem adactis, tota anteriore parte cerebri, accepisset, nec mentis impos exinde factus fuit, nec alia, quæ vulneribus cerebri accidere solent, symptomata exinde habuit; vulneris tamen profunditas, ossium destructorum ratio, & effluens ex hiatu vulneris materies, cerebrum tactum esse, abunde ostenderat. Convaluit æger, cum vulnus ex imo ad summum repurgatum, partim sponte natura, partim medicamentis, esset. Nec quidquam opus modiolo esse iudicatum fuit, cum depressam aliquam ex ossibus partem & cerebro alte infixam esse, nulla signa proderent. Hac occasione de lethalitatis vulnerum ad cerebrum abeuntium, limitibus, de usu Trypani, de cerebri actione ad actiones vitales non necessaria, de vulneratorum regimine, multa proponuntur quam curiosissime.

II.

Dissertatio Medica de Contrafissura, quam, Praeside GEORGIO WOLFGANG. WEDELIO, pro Doctoratu obtinendo defendit RUDOLPHUS CHRISTIANUS WAGNERUS, Matheseos Professor. Ienæ, mense Decembris Anno 1708.

Non

Non tantum duris partibus & ossibus, maxime Calvariæ, hoc ita evenit, ut in aversa parte illatæ iniuriæ, loco in quem ictus cecidit salvo manente, opposita dividatur regio, sed molles quoque partes, Hepar, Lien, hoc experiuntur, ut in fragmenta discedant, cum locis, sub quibus sunt, aliqua violentia facta est. De ossibus in opposito loco fissis hic erudite agitur. Hæc ξυμφορὴ, veluti Hippocrates hunc eventum nominat, difficillimus ille casus, variis modis accidit: Interior ossis tabula dissilit, externa manente; fissura per suturas ex uno osse transit in vicinum: ex uno osse, intermedio manente sano, veluti tremore aliquo, in tertium os fissura datur, ut, si os frontis percussum est, occipitis os dissiliat: in eodem osse, qua parte læsio est, fissura non est, uti cum os frontis a dextris iniuriam accepit, sinisterior eius regio dissilit. Occulta sæpe rima in basi Calvariæ est. De hisce omnibus, erudite agitur, signa, quibus contrafissura intelligi possit, eruuntur, & sanationis media proponuntur.

III.

Dissertatio de Tumore capitis fungoso, post cariem cranii exorto, quam, Praeside IO. FRIDERICO CRELLIO, defendit IO. PHILIPPUS KAUFMANN, Luneburgensis. Helmstad. 6 Decembr. 1743.

Cum de profundis ossium calvariæ locis tumor enascitur ex carne laxa, atque ille subinde magis atque magis excrescit, Fungum appellant, quem fibræ ipsorum ossium, membranis dissepientibus intertextæ, & a malo humore totius corporis subinde auctæ, hinc valde dilatatæ, efficiunt: si quis tumor parum profundus est, ut tabulam ossium bregmatis, in quibus potissimum ille morbus existit, nondum perforet, extirpationi locus est prope ab origine, si quoque iam caries supremam ossis tabulam pervasit, potest illud, decerpta vitiosa carne, crebris perforationibus, ad frugem redire. Sed immedicabile malum est, quodsi & interna tabula excesa fuit, & vel dura mater, quod CELSUS vidit, excrescit, vel, quod peius, ipsum cerebrum sua parte corticali intumuit, & in tumorem exter-

 num

num ſeſe immiſcuit. Caſus præſens ex ultimo ordine eſt; peſſima occaſio ægritudinem fecerat, contagium ſcilicet gallicum, quod, cum in tenuem ab initio excreſcentiam erupiſſet, eo uſque auxit morbum, ut, etiamſi tumor apertus cauſtico eſſet, nihil tamen exinde commodi naſceretur, & convulſus æger periret, niſi ſanationis modos, certe morbi hiſtoriam ſuo fato illuſtrans.

IV.

Diſſertatio Medico-chirurgica de Exoſtoſi cranii rariore, quam pro Doctoratu obtinendo tuebitur, IO. CASPART CANTSTAD. Wirtemb. Suevus. Argentorati, menſe Decemb. 1730.

Exoſtoſis in tantum differt a carie, in quantum abſceſſus ab ulcere. Eſt enim exoſtoſis occultus oſſium tumor, qui nondum erupit, cum mala materies ex toto corpore ad oſſium diploen, lege circuli, translata fuit. Caries autem, ſecundum varias, quibus differt, ſpecies, oſſium carcinoma & veluti cancrum apertum ſiſtit. In hoc caſu tumor oſſis oſtenditur, qui ſub perioſteo oſſis temporis ex tabo venereo natus ſenſimque auctus eſt, eo plus, cum ſoluta vivendi penes ægrotum ratio pravi humoris affluxum ſubinde augeret. Tumor intra diploen oſſis illius, etiamſi illa non admodum ampla eſt, natus, internam quoque tabulam diſtenderat meningem, cerebrum preſſerat, inde dira ſymptomata, mors. Proponuntur oſſium carie occulta affectorum cauſæ, ſigna, auxilia. Oportet enim tumores eiusmodi detegere, oportet etiam os radere, & ad ſanam uſque partem illud deſtruere.

V.

Diſſ. med. exhibens caſum memorabilem de Carie Cranii, quam pro Aggregatione obtinenda defendet IO. HADRIANUS SLEVOGTIUS. Ienæ, 27 May 1695.

Caries ulcus oſſis eſt ex morbida parte procedens in ſanam. Hæc quandoque ex occulto oſſium tumore naſcitur, aliquando ſtatim germinat, cum alicui oſſi perioſteum vi demitur, a quo tempore nutriri illud deſinit & putreſcit, quod

πύσκειν,

πυίσκειν, in pus vel ichorem verti, Hippocrati dictum est. Præsens casus levem cariei ossis sincipitis occasionem discutit. Ex ictu ad os sincipitis inflicto puer, cuius ossa ἐναιμότερα Hippocrati, id est *rara & succulenta*, hinc ad cariem proclivia, dicuntur, ex hac iniuria externa, sanguinem sub pericranio effusum habuit. Aliquo post tempore pus sub eodem loco natum est; sero incisus tumor, cum pus partem ossis extremam iam devorasset, ostendit internam quoque tabulam destructam, per quam dura meninx cum pulsu arteriarum conspiceretur, perque eius foramina ichor efflueret. Frustra tentatis omnibus, inter dira symptomata æger extinctus est, atque, de carie ossium differendi, amplam materiem suggessit.

VI.

Quaestio medico-chirurgica, an post gravem, ab ictu vel casu capitis percussionem, non iuvante etiam iterata terebratione, dura meninx incisione aperienda? quam Praeside M. GASP. COCHON DUPUY, tuebitur BARTHOLOMAEUS MURRY, Laonensis Hybernus, Baccalaureus. Lutetiæ Parisiorum 16 Febr. 1736.

Postquam ex gravi ictu capiti illato æger decumbit exanimis, si vomit, si illi sanguis ex ore fluit, meningas ipsumque cerebrum, ex osse læso, vel a collecta sub illo materia, affligi, percipimus. Etiamsi quoque statim illi effectus sese haud ostendant, securos tamen chirurgos esse propterea haud oportet; iam sexto septimove die, hæc ita, post vulnus, evenire possunt. Igitur si vulnus iam est, vel si vulnus hunc in finem excitatum est, specillo, quid ossibus evenerit, disquirendum est sedulo: moram morbi haud fert atrocia: via aperienda est, qua ad interiora perveniri & sanguis, aut post plures dies pus, educi possit. Igitur modiolus iuxta fractum os sistitur, & orbiculus exciditur, nisi ossis fragmentum aliquod iam separatum, & hiatus spontaneus factus fuit, qui ad inspiciendum cerebrum satis esse possit. Etiamsi autem os excisum fuit, propterea tamen sæpe non conquiescunt symptomata,

ptomata, si forte sanguis sub dura matre collectus fuit, id quod ex eius tumore percipimus: qua de causa incidenda dura meninx est, ut via sit, per quam humor effluere possit. Hoc ita fieri oportere & posse, usus docuit.

VII.

Dissertatio medica inauguralis, exhibens rarissimam sanationem cerebri quassati, cum notabili substantiae deperditione, quam Praeside DAN. HOFFMANNO, defendet IO. CHRISTOPHORUS CAMERARIUS. Tubingæ, mense Augusto 1719.

Non omnia, etiamsi graviora fuerint, cerebri vulnera, lethalia esse, argumento puer est, cui tegula ex alto labens, sinistri sincipitis cutem os & cerebri partem una abstulit, ut encephali portio ex vulnere prodiret. Convaluit puer, postquam sanguis substitisset, & benefica suppuratio non levem cerebri quassati partem expurgasset. Dextrum latus fuit paralyticum, etiamsi vulnus a sinistris esset. A decimo sexto die, sequentibusque, paulatim actiones animales ad se reversæ sunt, nec quidquam virium animi puer sibi demptum esse postea intellexit: oportuit omnino vulnus sero claudi, quo effluenti materiæ iter pateret. Demum post longum tempus ossis laminæ morbidæ secesserunt sponte, & vulnus ex toto clausum fuit: qua materie autem substantiæ cerebri iactura suppléta fuerit, quo callo, qua cicatrice eius hiatus fuerit clausus, arduum est explicare.

VIII.

Dissertatio Medico-chirurgica de vulneribus cerebri non semper lethalibus, quam Praeside ANDR. ELIA BUCHNERO pro Doctoratu consequendo tuebitur, IO. CHRISTOPHORUS TEUBELER, Riga Livonus. Halæ 10 Iulii 1750.

Vulnera tantum illa sanari recusant, & mortem ἐξ ἀνάγκης *ex necessitate* afferunt, quibus sanguinis & spirituum iter ad partes penitus intercipitur, & vitæ leges evertuntur. Etiamsi autem

autem nullum ex capitis vulneribus leve censeatur esse, sunt tamen haud pauca ex illis, quae neutiquam occidunt, illa scilicet, quae viam una habent patentem, qua humor effluere possit; nec illa mortem necessariam faciunt, quae in solo cerebri cortice subsistunt. Sed servari nequeunt, quibus vasa cerebri maiora destructa sunt, quibus in ventriculos cerebri & basin calvariae sanguis confluxit. Docuerunt morbi in cerebro & cerebello nati, docuerunt experimenta cum canibus instituta, docuerunt vulnera capitis profunda, non desperandum de salute eorum esse, quibus cerebrum patet.

IX.

Dissertatio medica de Fungo Cerebri, quam Praeside GOTHOFREDO SAND, M. D. & P. P. defendet GEORGIUS ALB. STOLTZ, Insterburgensis. Regiomonti, 7 Decembris anni 1700.

Viro nobili, cum ille diu multumque de vertiginibus & doloribus capitis conquestus esset, tumor ad futurarum coronalis & sagittalis concursum, valde eminens, natus est; perceperunt artifices, immisso per angustum ulceris sinum stilo, ad interiora cerebri malum procedere, & exesam carie esse utramque ossis tabulam. Igitur denudatum os, & totum, diversis in locis, tribus vicibus, modioli usu perterebratum fuit. Ita non tantum caries ossis deleta, sed callo aut fungo cerebri sub ossibus nato locus concessus etiam est, quo, suppurando, exire malus eius humor posset. Feliciter cessit temeritas a Theologo exprobrata artificibus, namque, tres orbiculi terebrando excisi, cum in unum hiatum, effractis ferrula interstitiis, conversi essent, satis commoditatis dederunt, qua admoveri cerebro medicamenta ex melle, myrrha, herbis cephalicis, vino dulci parata, potuerint: si qua caro excresceret, causticis statim subacta fuit, & aeger, omni morbo liberatus, arti trophaeum statuens, salvus abivit.

X.

GEORGII AUGUSTI LANGGUTH, Prof. Vitember-

bergensis, Programma de sinus frontalis vulnere sine terebratione curando. 8 Octobris 1748. habitum.

Omnis omnino ossium Calvariæ locus terebrationi commodus haud est: omnium minime illam fert frontis os, qua parte excavatum illud est finibus, quos frontales appellant; namque evitari nequit, cum modiolus ducitur, quin tunicæ pituitariæ illa progenies, quæ sese per omnem frontis sinum proiicit, irritetur vulnere, cuius rudi contactu oportet oriri symptomata varia, sternutationes, spasmos, convulsiones; nec opus quidem est in ista parte admovere modiolum, cum, fragmenta ossis huius, ob intercurrentem sinum, ad cerebrum usque non facile deprimantur: quid impedit externam ossis frontis tabulam ad usque sinum, terebrando aperiri, ut locus sit, cui forceps applicetur.

XI.

Dissertatio medico-chirurgica, de morbis praecipuis sinuum, ossis frontis & maxillae superioris & quibusdam mandibulae inferioris, quam Praeside FRANC. de ZIEGLER defendet pro Doctoratu consequendo LUDOLPH. HENR. RUNGE, Bremensis, Auctor. Rintelii 10 Decembris A. 1750.

Organon olfactus late patet, estque tunicæ pituitariæ processus varius; alius enim ad ossis frontis, alius ad maxillæ superioris cryptas pervadit. In istis propterea cavis varia nasci possunt incommoda, Polypus, ozæna, tumor cysticus, caries, sarcoma. De omnibus hisce, rarioribus sane, affectibus, singularia exempla excitantur, & methodus medendi exponitur.

XII.

Dissertatio medico-chirurgica de Fistula Lachrymali, quam pro Doctoratu consequendo defendet IO. CASPARUS SCHOBINGERUS, Sangallo Helvetus. Basileæ, 31 August. 1730.

Cum

Cum ossa, quæ canalem nasalem & lachrymarum vias constituunt, carie exesa sunt, fistula lachrymalis adesse dicitur, quæ aliquando occulta est, lata & veluti cæca, (*platte & borgne,*) aliquando aperto ad canthum oculi internum ulceri respondet: sub aliqua latitudine significatus, dilatatus quoque vel callo aut pure repletus lachrymalis saccus, seu anchilops, nondum tamen ruptus, fistula dici posset. Oportet hæc omnia non ignorari; qua de re specillis & syringis ab Anellio inventis puncta lachrymalia sunt exploranda, sciendumque est, an saccus penitus sit excoecatus, nec possit ille ullo modo aperiri: namque, si saltim expansus est, ob lachrymarum copiam & moram, potest comprimendo sanari. Ast ubi, presso oculi angulo, sanies de puncto lachrymali effluit, atque illa talis est, quæ ossis vitium subindicet, aut nunquam sanabitur æger, aut oportet eius os unguium perfodi, omnemque cariem deleri, atque ita lachrymis novum iter ad nasum aperiri.

XIII.

Dissertatio epistolica ad clarissimum HEISTER. de singulari tunicarum utriusque oculi expansione, Auctore PET. CHRISTOPH. BURGMANNO. Rostochii, anno 1729.

Furi de fune pendenti, sub inchoante putredine, uterque intumuit oculus, ut tuberculum utrinque, dilatatis oculorum tunicis, ad usque labia, in longum propenderet. Phoenomenon illud cerebro in putredinem evoluto tribuitur, cuius substantia per medium, quod in nervo optico est foramen, elisa & in oculum effusa, sub putredine esse dicitur; uti enim illa in cadavere miros quandoque effectus edit, ut ex eodem sanguis fluat, postquam putredo inchoans vasa rupit, ita hoc ipsum in cadavere furis factum est. Hac occasione de putredinis effectibus in cerebris animalium, quæ, illustrandi huius phoenomeni causa, vasis clausis tenebantur, multa differuntur. Tanta enim est salis volatilis sub putredine geniti efficacia, ut vitrea quoque vasa disiiciat.

XIV.

Dissertatio medica de Ectropio, quam Praeside IO. ZELLERO, M. D. & P. P. pro Doctoratu defendit Auctor EGIDIUS CRATO KECK, Heydenh. Tubingæ, die 17 Octobr. anno 1733.

Varia de causa palpebræ evertuntur, atque illud morbi genus tàm inferiori quam superiori palpebræ evenire solet, ut, margine earum evoluto, tunica eas succingens cum tumore, rubore, dolore, calore, in conspectum ducatur. Hinc illachrymatio chronica. Inferior palpebra huic morbo plus subiacet, si vulnus accepit, si tuberculum sub illa nascitur, si ulcus tendinem orbicularis destruxit. Equidem Lagophthalmos, quem dicunt, cum palpebra superior in se contracta oculum non claudit, similiter ab eversione succingentis tunicæ nascitur; est tamen ille morbus non semper ab ectropio. Ad interiora si margo palpebrarum revolvitur, entropium appellant; &, cum pili ciliares albugineam ea de causa compungunt & irritant, phalangosin. Tumor adeoque, qui palpebras avertit, exscindendus; vel, si possit, emolliendus est.

XV.

Dissertatio medico-chirurgica de Tumoribus cysticis palpebrarum, & singulari steatomatico scirrhoso tumore, e palpebra superiori exscisso, quam Praeside BURCARDO DAVIDE MAUCHART, M. & Chirurg. D. & P. P. pro Doctoratu consequendo defendit CHRIST. THEOPH. WEBER, Micro Bottov. Tubingæ, mense Novembr. anni 1750.

Quidquid tumorum in folliculo natorum, quos cysticos appellant, alibi in corpore oritur, ut passim erumpant meliceridеs, atheromata, steatomata, sarcomata: id omne quoque sub palpebrarum integumentis provenire potest. Abinde in superiori palpebra πτῶσις, ad inferiorem ectropium vel entropium, uti tumor intus vel foris iacet. Hunc oportet, ne revertatur, radicitus exscindi una cum folliculo. *Saint Yves* transvexit setaceum, & hac ratione materiam evocavit, iussitque

que illud ad perpendiculum ducere, ne noxa inferatur elevatoris tendini. Sarcoma tale, quod totam palpebram superiorem occultaret, qua ratione exscissum sit, exponitur.

XVI.

Dissertatio medico-chirurgica de ὀφθαλμοξυσει nov-antiqua, seu Woolhusiano-Hippocratica, quam Praeside BURC. DAVID MAUCHART, P.P. defendet IO. GEORG. GMELIN, Tubing. Tubingae, mense Iulii, anno 1726.

Hippocrates in suo περὶ ὄψιος libello modos exposuit, quibus concidenda est tunica palpebris succincta, & ad coronam τὴν στεφάνην usque excurrens, namque pupillae marginem ita vocat: cardui aculeus, quem atractylida appellant, huic labori inservivit. Aliud instrumentum de chalybe, quod cochlearis speciem habet, aculeis minutis obsitum, propositum est a Paulo: Woolhousius ξύστρον vegetabile ex glumis secalinis confecit, inter arcana habitum, quod primus divulgavit noster PLATNERVS. Hanc Chirurgiam exercuerunt Arabes, nunc exerceri de novo illa coepit: ὀφθαλμόξυσιν, Ζύσιν, appellant, oculi scarificationem quoque dicunt, salutarem visam in magnis ophthalmiis, cumque sub tunica, quae veluti albugineae epidermis est, alius humor malus colligitur. Hippocrates iam monuit, cavendum esse, ne laedatur corona oculi & palpebrarum margo. Adeo parum novi nunc dicitur, quod non dictum sit prius!

XVII.

Dissertatio medico-chirurgica de maculis corneae, earumque operatione chirurgica, Apotripsi, quam Praeside BURC. DAVID MAUCHART, P. P. defendet IO. WILHELM. BOURG, Ihringo Marchicus. Tubingae, die 29 Aprilis anno 1743.

Inter corneae pellucidae laminas varia visus impedimenta occurrunt; scilicet maculae ab intercurrente materia per calorem inspissata natae, hinc papulae, parva ulcera, & cicatrix. His varia indita sunt nomina graeca, σπίλος, κηλὶς, ἐξάνθη-

μα, ἄλη, λευκὴ, νεφέλη, αἰγὶς, παςάλαμψις. Auferendum itaque eiusmodi impedimentum visionis vario modo est; si macula intercurrit corneæ laminis, nec adest inflammatio, eodem modo, quo vitra poliuntur, opaca hæc materies delenda est frictione. Hunc laborem τρίψιν, ἀπότριψιν, græci appellant: Aliquando, si pus intra corneæ laminas hæret, illæ compunguntur instrumento, quod κατάνυπρον dicitur: detersioni opportuni sunt pulveres subtiliter triti, ossis sepiæ, Ireos Florentinæ; ex aromatibus laudantur caryophylli, amomum, quæ manducata salivam aliqua acredine imbuunt, ut, cum illa corneæ admota fuit, leniter exedere possit.

XVIII.

Tobiae Leucomata, dissertatione medica dilucidata, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. defendit CAROL. DAV. BRECHT, Thailfingensis. Tubingæ, 24 Maii anno 1743.

Antiquus libri Tobiæ græcus textus, morbum, qui eius oculos caligine obduxerat, λεύκωμα appellat, quod ex stercore τῶν στρουθίων, passerum, illapso natum esset. Neutiquam autem aliud illud potuit esset vitium, quam quod ex inducta superficiei corneæ opaca lamina natum est: namque rediit Tobiæ visus cum squamæ, applicatu bilis ex pisce, emollitæ caderent.

XIX.

De ungue oculi, seu pure inter lamellas corneae. Dissertatio medica, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART P. P. defendit CAR. FERDIN. BILGER, Esslingensis. Tubingæ, mense Iulii anno 1742.

Et medicos, & illos, qui græcarum literarum significatus curiosius evolvunt, scire refert, quid sit unguis. Confundi enim facile poterunt hæc: πτερύγιον seu Alula, Hypopyon seu pus sub cornea, unguis seu ὄνυξ, qui pus intra lamellas corneæ esse dicitur: ideoque, quam diu pus, ex phlyctæna aut pustula variolari intra laminas corneæ adhuc hæret, unguem dicen-

dicendum esse, Auctor putat: tunc demum ὑπόπυον est, cum pus, peresis corneæ lamellis, in anteriorem cameram erupit, veluti διαπύησις est, cum pus ex lamellis in cameram posteriorem effusum fuit: neutiquam πτερύγιον unguis est, etiamsi Celsus ita acceperit, sed parvam alam dicunt, cum ex cantho oculi interno alba membrana ad marginem usque corneæ & desuper excurrit. Unguis, qui pus sub cornea est, iisdem, quam quibus abscessus maior aliquis, sanatur legibus, ratione subducta ad oculum.

XX.

Dissertatio de ulceribus corneae, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, P.P. defendet CHRISTOPH. FRID. GIFFTHELL, Marbacensis, Tubingæ, mense Septemb. anno 1742.

Ulcera, quæ ubique sunt, suum quoque in minimo, quod inter corneæ pellucidæ laminas est, spatio, sedem inveniunt. Habent autem ἑλκύδρια seu ulcera minima omne id, quod in ulcere magno & fistula alia maiore est, ostii angustiam, tubi callositatem, ichorem, morbi longitudinem, ipsamque curationem: specialis tamen ulcerum minimorum istorum, quæ oculis accidunt, debet esse observatio. Aliqua ex illis lata & superficialia sunt, sub extimis corneæ lamellis abscondita, ἀχλὺς, νεφέλη; alia angusto canali procedunt, in circulo Iridis, ἄργεμον, quod angustum & rectum est, in cornea βόθρυον, quod sinuosum & veluti excavatum; at latum κοίλωμα, apertum & superficiale ἐπίκαυμα, apertum & profundius ἔγκαυμα, rodens νόμη & καρκίνωμα dicitur: est quoque ulcus in caruncula lachrymali, quod περίβρωσιν dicunt: nec ductus Meibomiani impunes abeunt, quin ulceribus excaventur, unde varia morborum genera, ophthalmia, illachrymatio. Horum methodus medendi eadem est, quæ omnium: callus educendus, pus movendum, humores avertendi, liquidorum, quæ in toto corpore sunt, procuranda est puritas.

XXI.

Dissertatio medica de Fistula corneae, quam Praeside BURC. DAVID.

DAVID. MAUCHART, P. P. tuebitur MATTH. ABR. MART. GEIGER, Augustanus. Tubingæ, menſe Nov. 1742.

Speciatim fiſtulæ aliquæ intra laminas Iridis occurrunt. Hæ aliquando completæ ſunt & utrinque patent, atque ad usque choroideam ſæpe abeunt, ex cuius per fiſtulæ oſtium egreſſu μυοκέφαλον & ſtaphyloma oriuntur; namque uti ex omnibus fiſtulis, earumque callo, ita ex his quoque minimis, fieri poſſunt ἕλκεα ὑπερσαρκῶντα. Hinc quoque fit, ut Iris adnaſcatur corneæ, fiatque ſynechia & ſynizifis. Poſt alia, quæ eiusmodi minutis corneæ fiſtulis apta ſunt, remedia, Woolhouſen acum invenit, cuius oræ aſperæ ſunt, qua inducta poſſunt parietes fiſtulæ eiusmodi callo obductæ vulnerari, cruentari, & ad unionem novam hoc ipſo adaptari.

XXII.

De Synechia ſeu praeternaturali adhaeſione cum iride, diſſertatio, quam Praeſide BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. defendet pro Doctoratu conſequendo PHILIP. THOM. BEYER, Reuttlingenſis. Tubingæ, 26 Febr. anno 1748.

Spatium illud, quod corneæ & iridi oculi intercedit, haud raro deletur, ut Iris adnaſcatur corneæ, hoc ſynechiam dicunt, veluti proſphyſis aut ancyloblepharon eſt, ſi quando palpebræ adnaſcuntur epidermidi illi, quæ ſuper albugineam eſt. Neutiquam autem ille coalitus viſum penitus delet, ſed ſaltim mutat, dummodo perforatio Iridis ſit integra: poteſt iſta ſynechia eſſe totalis, partialis, lateralis, complicata cum ulceribus cumque myocephalo. Woolhouſius διάκρισιν ſeu concretæ iridis ſolutionem docuit; anceps iſthæc chirurgia eſt, fibræ concretæ, acu, quæ in apice cultellata deinde rotunda eſt, ſeparandæ ſunt, ut ſui iuris fiat iris: ſatius tamen eſt tolerare hunc morbum, cuius tentata medela viſionem læſura eſt. Aliquando ſalutarem hanc adnaſcentiam eſſe poſſe, Celeberr. Auctor docuit.

XXIII.

Diſſertatio medico-chirurgica de Pupillae Phthiſi ac Synizeſi ſ. an-

angustia p. n. & concretione, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, *P. P. defendit* CHRISTOPH. FRIDER. FRAAS, *Kircho-Teccensis.* Tubingae, 29 Decembr. 1745.

Cum pupillae, qua radii luminosi ad obscuram oculi cameram demittuntur, diameter minuitur, ut minima eius sit perforatio, & fenestrae lucem admittentis morbosa angustia; istud morbi genus phthisin pupillae & στενοχωρίασιν appellant. Iridem, ut sana sit, oportet ad luminis & umbrae varietatem invicem dilatari atque contrahi. In hoc autem pupillae statu immutabile manet ostium, Iris apparet rugosa; namque orbiculares fibrae Iridis, illis radiatis valentiores, sese diduci tunc non patiuntur, & ad axin diametri properant, ut Iris haud raro penitus in se recurrat, & pupilla clausa sit, quod est synizesis. Iris enim, uti musculus, musculorum quoque affectiones patitur: convellitur in Heppo; in obliquum ducitur in παραστροφῇ; vulnus aut rupturam habet in ῥωγμῇ. Locum ergo, cum pupilla angustata est, habet diaeresis Woolhousii, & pupillae artificialis elaboratio.

XXIV.

Dissertatio de Staphylomate, quam Praeside D. IUSTO GOTHOF. GUNZ, *P. P. pro Doctoratu obtinendo tuebitur* IO. MICHAEL BARTH, *Schkeudiz.* Lipsiae, 27. Feb. 1748.

Cum choroidea, cuius confinia cum margine tendineo corneae uveam & σταφύλην appellant, ex sede sua mota est, & intumescit ac eminet, staphyloma dicunt. Inter plurimos casus pauciores sunt, in quibus destructa sit cornea, ut ad eius latus elabi uvea possit, nec, nisi ex vulnere prope corneam inflicto, hoc ita evenire potest. Frequentius autem accidit, ut, cum cornea, aliquo ad latus loco, debilitata est, si fibrae eius, veluti in anevrismate, diductae ab invicem fuerunt, humore malo telam eius cellulosam occupante, oriatur laxitas, contra quam erigitur uvea, & pressu humoris aquei in debilem

 cor-

corneæ locum adigitur. Tunc ſtaphyloma, quod herniæ etiam imaginem habet; namque veluti inteſtinum in ſacco herniali, ita uvea in ſacco corneæ dilatatæ continetur, & illi ſæpe, uti hernia, accreſcit, ſæpe ſtrangulatur: ſtaphyloma vetuſtum ſimiliter, uti hernia vetuſta, reprimi nequit; nec curatur ſepticis, quin his irritatur & gangrænam concipit. Si quid auxilii eſt, illud in filo transvecto, inque ſcalpello ponitur.

XXV.

Diſſertatio de Staphylomate, quam Praeſide BURC. DAVID. MAUCHART, *P. P. pro Doctoratu obtinendo tuebatur* PHILIP. FRID. BENI. HOELDER, *Stuttg.* Tub. 18 Decemb. 1748.

Staphyloma vel corneæ eſt, vel ſcleroticæ: mox unus, mox uterque oculus hoc malo afficitur: aliquando unum, aliquando multiplex eſt tuberculum: clauſus quandoque eſt tumor, & ſcleroticæ tantum anevriſma; aliquando rumpitur ſtaphyloma, effluente humore aqueo. Minimum, Myocephalon dicunt; medium Staphyloma audit; grandius Melonem & Malum vocant; ſi eminet & in callum induruit, Clavus erit. Reliqua, cum illis, quæ in antecedente diſſertatione extant, conveniunt.

XXVI.

Programma de oculo ulcere cancroſo laborante feliciter extirpato, adſtringentibus antea intempeſtive adhibitis, a CAROLO FRIDR. KALTSCHMIED. *Facult. Med. Ienenſis Decano.* Ienæ, 26 Septembr. anno 1748.

Solet haud raro evenire, ut, ſub inflammationibus oculi tam humidis quam ſiccis, ex abuſu reprimentium & deſiccantium, peccata committantur, quæ morbum in peius vertunt. Namque, niſi inflammatum diſcutitur, oportet oculum vel in pus verti, vel indurari: hinc Xerophthalmia, Sclerophthalmia, tandemque Carcinoma, quo totus perit oculus, & in tumorem excreſcit fungoſum, qui ſucceſſu temporis, veluti omnes ſcirrhi, corrumpitur. Hoc ipſum in præſenti caſu evenit; namque ex malo ſacchari Saturni uſu ophthalmia, quæ poterat venæ ſectione, ſcarificatione, aliisque auxiliis

auxiliis ex natura inflammationum fluentibus sanari, ita degeneravit, ut oriretur ulcus cancrosum, quod ferro deleri tunc oportuit.

XXVII.

De Mydriasi, seu praeternaturali dilatatione pupillae, dissertatio medica, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. tuebatur PHIL. IAC. NEUFFER, Stuttgardensis. Tubingae, 29 Martii 1745.

Cum fibrae orbiculares iridis suo naturali motu privantur, ut versus axin diametri efficaciter haud contrahantur, nec sinant se invicem superari a fibris radiatis, oritur illa ἀκινησία & immobilitas, quae in paralysi ponitur. Tunc pupilla ampla est, ad conversionem capitis versus lucem & umbram parum vel nihil movetur, eademque apertura manet. Si penitus suo vitali tono sphincter ille pupillae privatur, visio perit; si debilis ille est, visio est dubia, & omnia se ipsis minora apparent. Huius mali causae allegantur variae: pressio, humiditas, congestio, infarctus vasorum, quae sunt inter fibras motrices iridis; ad quarum causarum differentiam varia quoque attemperanda sunt consilia.

XXVIII.

De Hydrophthalmia, Dissertatio medica, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. tuebatur CHRISTOPH. PAUL. BEGER, Reuttlingensis. Tubingae 14 Febr. 1744.

Ubicunque fines arteriolarum, vel in superficiem tunicarum cava cingentium, vel in telam cellulosam, quae sub cute est, terminantur, adeoque etiam in oculo, ex catathesi serosa humorum atque ex singulari partium vitio, quo reditus sanguinis in venas interceptus est, fieri possunt omnes hydropis species: qua de re etiam datur anasarca palpebrarum oculi; est & ascites oculi, siquando in variis eius cavis colluvies serosa oritur. Humor vitreus in corpore suo, suaque tela cellulosa, a serosa colluvie saepe augetur eo usque, ut totum oculi schema abinde mutetur, & bulbus extra orbitam promineat, quod πρόπτωσιν, & Buphthalmum, & Exophthalmum appellant: nec

minus poteſt in ſola anteriore camera, in ſola capſa cryſtallinum corpus amplectente, humor colligi, qui, etiamſi limpidiſſimus, copia tamen ſua leges viſionis intervertit. Eadem medicamenta, quæ omni hydropi, proderunt etiam Hydrophthalmo.

XXIX.

De Paracenteſi oculi in Hydrophthalmia & Amblyopia ſenum; Diſſertatio medico-chirurgica, quam Praeſide BURC. DAVID. MAUCHART *P. P. tuebatur* THEOPH. ANDR. SARWET, *Chaeropolitaneo.* Tubingæ, 28 Sept. 1744.

Niſi humores in cava delapſi ad circulum revocari poſſunt, opus eſt, illos per vulnus educi, quod paracentheſin appellant: haud enim alius modus tunc eſt, quo metuenda humoris quieſcentis putredo averti valeat. Id ipſum quoque chirurgiæ genus exercetur in Hydrophthalmo, ut acus triquetra intra cannulam argenteam occultata, & pro oculi ratione exilis, deducatur ad aquæ ſedem, quo illa effluere ex vulnere poſſit: compungitur etiam & vellicatur oculus, cum nervus ex ſenectute debilis eſt, hinc nova vis, non aliter ac per flagra languens venus, excitari poteſt.

Tom. II. XXX.

De Hypopyo Diſſertatio medico-chirurgica, quam Praeſide BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. *defendebat* PHIL. FRID. GMELIN, *Tubingenſis.* Tubingæ 1742.

Multum diſcriminis eſt inter τo ὑπώπιον, per ω & ι, & τὸ ὑπόπυον per ο & υ. Apud veteres omnis materiæ ſub cornea colluvies, ὑπώπιον, aſt ſpecialius, pus intra laminas corneæ hærens, ὑπόπυον dictum eſſe videtur. Nunc autem pus, quod ſub cornea, inque oculi cavo anteriore eſt, hypopyon dicunt: ſed pus inter laminas corneæ unguis erit: diapyeſin autem & empyema oculi pus vocant illud, quod in poſteriori oculi camera colligitur, veluti hypohæma ſanguinem ſub cornea, hypoſphagma eundem, intra tunicas oculi externas, notat. Cum pus poſt iridem eſſet, ocularius aliquis

IVSTVS

IVSTVS, Galeni tempore, caput ægroti valide concutere solebat, quo pus subsideret. Potest quoque cataracta purulenta seu lactea pus sub oculo dici. Hypochyma autem semper de materia post iridem collecta prædicatur.

XXXI.

De Empyesi oculi, seu pure in secunda oculi camera, dissertatio medico-chirurgica, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART *P. P. tuebatur* GEORG. FRIDER. SEIZ, *Schondorffensis.* Tubingæ, 10 Novembris 1742.

In illa regione, quæ post iridem atque inter hanc & capsulam lentis est, ex inflammatione choroideæ, pus oriri potest: hoc malum διαπύησιν dicunt, alii ἐμπύησιν & ἐμπύημα oculi vocant: adesse pus, ostendunt, progressa inflammatio, materia fluctuans, pruritus, coloris in iride mutatio, eius immobilitas. Celer morbus præceps auxilium postulat: compungendus oculus est ea in parte, qua acus pro deprimenda catarrhacta immittitur, evocandum pus; in hoc casu extremum auxilium setaceum est, quod per transversum bulbum adigitur. Iubent etiam syringa anelliana uti, & prævia punctura pus eluere, vel suctu educere.

XXXII.

De Catarrhacta Dissertatio medico-chirurgica, quam Praeside BERNARDO ALBINO, *tuebatur* LEOP. DIETER. GOSKY. Francofurti ad Viadrum, 11 Octobris 1695.

Ad mentem eorum, qui catarrhactam ex tela membranea sensim compacta nasci putant, dissertatio scripta est. Disuaderi enim sibi, eo tempore, non sinebant eruditissimi Viri, membranam esse, quæ de obscurato sensim humore aqueo compingeretur, & impedimentum visioni sisteret. Neque omnino negandum illud est: & casus, qui in hac dissertatione sistuntur, vere ita evenire possunt, ut opacitas, vel ante iridem, vel post illam, a concrescente velo membraneo nascatur, quod acu tolli oporteat.

XXXIII.

De Cataracta Dissertatio medica, quam Praeside IO. BOE-

 CLERO

CLERO P. P. tuebatur IO. HENR. FREYTAG, Tigurinus. Argentorati, 7 Febr. 1721.

Iam aliquantulum plus ad veræ cataractæ indolem conscripta est dissertatio; multum tribuitur membranis iridi præfixis, & radiorum introitum impedientibus. Illo tempore Cl. Heistervs de cataractæ crystallinæ vera indole iam multa tradiderat; sed eruditi Viri adhuc hærebant ancipites, nec pauci, membranam deleri, cum cataracta deponitur, putabant: cum autem nunc melior lux affulgeret, & in conspectum venissent oculi, quos lens opaca excoecaverat, in cadaveribus visi, cum etiam lentes induratæ sub infelicibus depositionibus in anteriorem cameram delapsæ essent, sensim intellectum est dari cataractas, easque plurimas, quæ sedem in lente haberent.

XXXIV.

De Cataracta Crystallina vera, Dissertatio medica, quam Praeside IO. FRID. CARTHEUSER P. P. tuebatur IOACH. FRID. HENCKEL, chirurgus. Francofurti ad Viadrum, 27 Iunii 1744.

De cataracta, quæ intra lentem ponitur, nunc longe expeditius scribitur, postquam experimentorum multitudo, crystallinum humorem obscurari frequentius, docuit: neutiquam autem cataractas ex membrana contextas omnino nullas esse opthalmoiatri afferunt; namque existunt illæ frequenter; aliquando membranea & crystallina cataracta sunt synchronæ.

XXXV.

De Suffusionis natura & curatione animadversiones, quas Praeside IO. GODOFR. GVNTZ, defendit IO. PHIL. SCHNITZLEIN, Pappenheimensis. Lipsiæ, 26 Iunii 1750.

Omnium clarissime hac de re exposuit, Lipsiæ quondam decus, beatus Gvntzivs: veteres, cum lens obscurata esset, glaucoma morbum appellabant; cum autem impurus humor inter iridem & lentem concresceret, hypochyma & hypochysin dicebant. Igitur vere distinxerunt illi utram-

que

que cataractam, tam veram illam & cryſtallinam, quam ſpuriam & membraneam. Cumque διάτασις & ἔκτασις ſeu compactus humor poſt iridem legitur, ſine dubio caro intelligitur, quæ ex choroideæ fibris excreſcit, quam cataractam corneam dici fas eſt. In vera cataracta variæ obſcurationes obveniunt; mox tota lens cum ſuo involucro vitium habet, mox ſaltim nucleus albeſcit, atque vel indureſcit penitus, vel molleſcit & in ſaniem diffluit. Poteſt etiam velamentum lentis, maxime id quod retro eſt, obſcurari, ſed anterius raro craſſeſcit, niſi cum purulenta materia illud exaſperat.

XXXVI.

Quaeſtio medico-chirurgica, an deprimendae cataractae expectanda maturatio? quam Praeſide ANTONIO LE MOINE D. Reg. tuebatur I. BAPT. BOYER, Maſſilienſis, Pariſiis, 11 Martis 1728.

Longum eſt expectare, donec lens eo uſque induretur, ut album vel griſeum colorem, qui maturitatis ſignum eſt, oſtendat. Non ſemper adſunt artifices, quibus fidem habere poſſis, & tædioſum ac triſte eſt, maxime, ſi uterque oculus hoc malo afficitur, in longum differre depoſitionem. Nihil autem referre dicitur, vetusne an recens cataracta ſit, dummodo ophthalmoiater artis ſuæ probe gnarus. Namque & in lente ſana ſatis eſt duritiei, quæ preſſionem ferat, multo maior, cum iam ex parte obſcurari incepit. Suadet igitur Auctor, non differendum eſſe auxilium, etiamſi lens nondum penitus indurata ſit.

XXXVII.

Quaeſtio medico-chirurgica, an oculi punctio cataractam praecaveat, quam Praeſide PET. LE HOC, Medico Regis, tuebatur ABR. FR. LEO Col. de Villars, Pariſiis, 27 Februarii 1740.

Cum viſio ſenſim obſcurari incipit, cum veluti pluviæ cadunt, cum muſcæ obvolitant, & nebula præ oculo eſt, multa quidem tentari ſolent, quibus imminens cataracta averti, & humoris concretio plenaria impediri poſſit. Laudantur ſetacea in cervice, ſcarificationes, ex internis millepe-

dæ

dæ ſylveſtres; expeditiſſimum eſſe putat noſter corneam perfodi, ut ſpurcus humor, ſenſim deinde in cataractam compingendus, effluat, ſuccedat novus, quem ſurrogari in veteris locum facile poſſe, experientia docuit. Et poſſet omnino inventum laudari, ſi omnis cataracta membranacea foret: ſed non apparet, quid commodi reſultare poſſit ad lentem ſub ſuo involucro latentem, ſi aqua educta per compunctionem fuit.

XXXVIII.

Quaeſtio medico-chirurgica, quam Praeſide M. ANTON. DE IUSSIEU, P. P. tuebatur IO. BAPT. THURANT, ſub hac verborum ſerie: an in cataracta, potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea, quam depreſſio per acum. Pariſiis, 14 Martii 1752.

Iam Arabes noverunt, effluere lentem obſcuratam, quam albugineam ſeu cataractam albam dictam illis fuiſſe legimus, quando cornea ante iridem perforaretur. Nemo autem adhuc nova iſthac via cataractam cryſtallinam educere auſus eſt. Tentavit Taylorius per Angliam, ſed de ſucceſſu experimenti nihil edidit. Nunc autem Præclariſſimi Chirurgi Pariſienſes, *Daviel* & *Moreau*, frequenter incidunt corneam in ima ſui parte: inter pupillæ oſtium dimittunt acum, vulnerant capſulam lentis, lentem, preſſu tunicarum oculi, propellunt, quæ, veluti ſponte, tunc cadit, hanc educunt tenaculo. Clariſſimus Auctor huius novæ eductionis cataractæ, diſcrimina & laudes æquo exponit iudicio.

XXXIX.

Quaeſtio medico-chirurgica, quam Praeſide FRANCISC. POUSSE tuebatur CLAUD. IOS. GENTIL, Biſuntinenſis. An in deprimenda cataracta ipſius capſula interne & poſtice imprimum ſecanda eſt. Pariſiis, 23 Martii 1752.

Cum, vetuſta methodo Celſiana, lens obſcurata ex ſede ſua depellitur, multum intereſt, ſcire locum, cui acus immergenda ſit: namque occurrunt in tranſitu, per membranas oculi, vaſa, quæ evitari oportet; procul a ligamento ciliari

liari abesse oportet acum, ne illud vulnus accipiat: opus quoque est, ne capsulæ lentem coercentis superficies incidatur: hanc fas est manere integram: namque ex illa nucleus lentis obscuræ, in depositione, educitur, & in humoris vitrei telam cellulosam absconditur: qua de re, ne qua pars ex adductis lædatur, ita regenda acus est, ut partem vitrei pervadat, capsulam lentis a tergo vulneret, quo fit, ut, levi pressu, lens illa, in sinum exsculptum vulnere, descendat.

XL.

Oratio in famam meritaque D. D. Taylor Angli, publice habita a BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. Tubingæ 1 Maii 1750.

Artifex ille ocularius qui totam Europam celebritate nominis sui, qualiscunque illa sit, replevit, meruit a laudato Viro laudari, quod illi in laudem cedit: virtus etiam in hoste laudanda. Potissimum Clari Viri dexteritas, in amavrosi seu gutta serena sananda, celebratur, cuius morbi ille XXVIII species existere arbitratus est: fortasse pauciores sufficiunt. Valsalva quoque noverat, frictione convocari spiritus profugos, & ad nervum opticum vitali liquido de novo replendum, excitari posse. Nova igitur Taylorius haud attulit, sed ante se facta tentamina, uberiore modo tantum excoluit.

XLI.

Dissertatio chirurgica de Extractione cataractae ultra perficienda, quam, pro agregatione capessenda proponebat GEORG. FRID. SIGWART, M. D. respondente DAVID. MAUCHART, Med. Candidato. Tubingæ, die 22 Decemb. 1752.

Nova methodus cataractam per vulnus corneæ pellucidæ educendi, in utramque partem expenditur. Infelix eventus depositionis veteris, qua sæpe factum est, ut lens, rupto involucro, elaberetur in cameram anteriorem, novæ huic viæ plenius elaborandæ, quam Arabes non ignorabant, occasionem dedit. Videbatur etiam vetus ista depressio multis subesse periculis, ne vasa destruerentur, nervi ciliares læderentur, atque hinc essent inflammationes, immanes dolores, Hy-

popia. Minus discriminis in hac nova methodo esse, dicitur, qua cornea inciditur, humor aqueus emittitur, capsula lentis imo loco vulneratur, ea, faciliter elabens, arripitur, educitur, vulnus glutinatur.

XLII.

Dissertatio medico-chirurgica de Setaceo nuchae, auricularum, ipsiusque oculi, quam Praeside BURC. DAVID. MAUCHART, P. P. *tuebatur* CHRISTOPH. DAVID. ZELLER, *Tubingensis.* Tubingae, 10 Decembr. 1742.

Setonem trans cutem nuchae, trans auriculae lobulum duci, &, ulcere per artem excitato, revelli malos humores a capite & oculis posse, securum remedium est, etiamsi auxilio semper esse nequeat. Ast crudele est, & Iaponensibus ac Sinensibus, inventoribus, relinquendum, cum seto trans bulbum oculi ducitur, evacuandi puris causa, quod post iridem confluxit.

XLIII.

Dissertatio medico-chirurgica de Amaurosi, quam tuebatur IO. BENED. GODOF. OEHME, *Servesta-Anhalt.* Lipsiae, 22 Novemb. 1748.

Amaurosis, quam & guttam serenam appellant, est visio ablata ob spectatoris spiritus in oculo, etiamsi ille ceteroquin secundum machinam sanus est, absentiam. Namque in illo morbo nervus opticus suis spiritibus haud est pervius, varia de causa: Si nervorum primordia callo indurantur, si humor malus, ex scabie vel tinea capitis retroacta, prope nervorum origines figitur; si vitreus humor, intumescens, medullam nervi, quae in retinam expanditur, premit, si homo ex haemorrhagia debilis est: morbum adesse discimus, ex pupilla penitus soluta, ut perforatio eius sit amplissima, motus adsit nullus. In curatione ideoque ad humorum vitiosam diathesin respiciendum est, quam oportet mutari medicamentis, quae ex indole prioris morbi fluunt: excitandus est torpens nervus, frictionibus, quae albugineam vellicare, & nervos proritare possint: opportunum est transvehere ad nucham setaceum; sunt, qui internum millepedarum sylvestrium usum commendant.

XLIV.

XLIV.

Quaestio medico-chirurgica, quam Praeside M. IULIANO BUSSON. M. D. palam tuebatur ALEX. DIONYSIUS DIENERT, Meldensis, sub hac verborum serie: An absque membranae tympani apertura topica inici in concham possint? Parisiis, 4 Aprilis anno 1748.

Si quando pus intra cavum tympani colligitur, quod ita factum esse, ex subitanea auditus abolitione, post inflammatorios dolores, coniecturae locus est, cumque ex tuba eustachii ad fauces humor manat, quem pus esse, ex sapore percipimus; tunc vero proxima ad concham via ipse meatus auditorius internus est, per quem, ad interiora auris, suscepta faucibus remedia immitti possunt gargarismis penitus ad fauces demissis, quorum halitu evocari materia possit, ne illa sibi ipsi, perrupta tympani membranae, iter, cum auditus plenaria destructione, aperiat.

XLV.

Dissertatio medico-chirurgica de Epulide & Parulide, quam Praeside I. C. SCHELHAMMER P. P. pro Doctoratu consequendo tuebatur G. FRID. FRANCUS, Argentoratensis. Ienae, 22 Martii anno 1692.

Tumor ad gingivas nascitur duplex, alius, qui pus in se comprehendit; hic παρῦλις, παρὰ τὰ οὖλα ἐμπύησις, dicitur, &, ex inflammatione ortus, in abscessum erumpit; huius occasio quandoque dentis, vel ipsarum mandibularum est caries. Ast epulis tuberculum notat ex carne gingivarum luxuriante nascens, quod in immanem molem quandoque excrescit, & cancrum alit: παρεδοντίδας appellasse CELSVS videtur. Abscessus gingivarum molliendus, incidendus, purgandus est, dente evulso, cuius caries malo nascenti occasionem dederat. Sed epulida oportet subsecari, & subligando auferri. Nocent caustica, & carcinoma excitant.

XLVI.

Dissertatio medico-chirurgica de Hernia Cerebri, quam pro Doctoratu consequendo palam tuebatur IO. FRID.

 Christ.

CHRIST. CORVINUS, Westerburgensis. Argentorati, 23 Septemb. anno 1749.

Erumpere cerebrum, suaque ossa effringere, duplici modo solet. Aut enim puero, nondum satis obfirmata ossium calvæ compages est, & imperfecta eorundem ossificatio; tunc cerebrum, veluti fieri solet ut viscera erumpant qua parte minor est resistentia, sese quoque effert atque intumescit, vel solum vel aquis una turgidum, laxatis scilicet commissuris ossium calvariæ, quæ tunc membraneo nexu solo ad invicem cohærent: aut debilitantur ossa carie, eorum tabulæ præ sanie mollescunt, & per hiatum dura mater in carnem fungosam excrescit, atque ipsum quoque cerebrum una evolvitur & intumescit. Ad prius exemplum cerebri de sede sua moti, referri potest medulla spinalis sub finem ossis sacri in tumorem elevata, si processus vertebrarum spinosi in puero ante laxati fuerunt, quod malum spina bifida abinde dicitur.

Dissertationum Chirurgicarum selectarum, pars secunda. De morbis Colli.

XLVII.

Dissertatio chirurgica de Luxatione Nuchae, quam Praeside B. D. MAUCHART, P. P. O. tuebatur THEOPH. ERHARD. SCHMID, Tubingensis. Tubingæ, 27 Septembris anno 1747.

Ita quidem cohærent inter se os occipitis cum prima vertebrarum, quæ Atlas dicitur, & ita quidem altera, quam epistrophæum vocant, primæ vertebræ atque ipsi occipiti innectitur, articulis mutuis, hinc ligamentis, ut luxationem capitis fieri, inter rariora numeretur: adducuntur tamen luxationes eiusmodi, ast semper lethales. Res ad forum applicatur, monenturque medici, ne inspectionem vertebrarum, si quando de causis mortis violentæ disquiritur, negligant, a quarum emotione, etiamsi cæteroquin capitis læsio nulla animadvertatur, haud raro momentum decisionis forensis petitur. Spontaneas emotiones vertebrarum, hinc cynanchen, ortam adducit.

ducit Hippocrates, possuntque ex rhachitide puerili, in spinae colli vertebris, oriri eadem vitia, quae in dorso occurrunt, κύφωσις, λόρδωσις, σκολίωσις, σεῖσις.

XLVIII.

Dissertatio medica de Capite obstipo, quam Praeside B. D. MAUCHART P. P. publice defendit GEORG. FRID. LAEGER, Schorndorffiensis. Tubingae, 14 Decembr. anno 1737.

In latus flectitur collum, fitque λοξὸν κάρη varia de causa; obveniunt enim torticolles ex ossium vitio, ex glandularum, quae musculis interiacent, tumoribus, ex musculorum denique rigiditate, tam perpetua aliqua, quae ex callo nata, quam brevi, mutabili, & per vices revertente, ex spasmo solo: tentanda sunt mitissima; laudantur thermae, cataplasmata: intus exhibenda sunt, quae sanguinis immunditiem corrigere possint: summum autem remedium est, resecare mastoideum, cumque a clavicula solvere, si, hunc in se contractum esse, cognoscitur, quod lente, *Caustico*, subito, *scalpello*, effici solet.

XLIX.

Dissertatio medica de struma oesophagi, huiusque coalitu, difficilis ac abolitae deglutitionis caussis, quam Praeside B. D. MAUCHART P. P. tuebatur. PHIL. HENR. BEUTTEL, Blavifontanus. Tubingae, 29 May 1742.

Unaquaevis glandula, si quando humorem atrabiliarium & tardum in se recipit, intumescere potest: abhinc vicinarum partium presfio & θλίψις, pressarum autem partium imminuta vel penitus abolita actio. Ad descensum Oesophagi, prope dorsum, adiacent glandulae folliculosae, quae sua de se nascentia vasa lymphatica in vicinum ductum thoracicum proiiciunt: hae possunt indurari, hinc strumae oesophagi, quibus auctis deletur oesophagi cavitas, & descensuris alimentis, maxime solidioribus, impedimentum insuperabile nascitur. Hoc ita esse, docet alimentum, non statim ab initio, sed in progressu subsistens: consultum est, in re desperata, vim experiri mercurialium.

L.

Epistola medica GEORGII DETHARDING, *ad* DD. *Luc. Schroeckium, de Methodo subveniendi submersis per Laryngotomiam.* Rostochii, 8 Maii anno 1714.

Si qui submersi in aquis pereunt, visi sunt multis ab inducta in pulmones aqua suffocati esse. Potest omnino aqua subintrare pulmones aut ventriculum, postquam submersus vita privatus nunc est. Sed natura, individuum, quousque licet, servatura, statim a demersione glottidem spasmo claudit, ut, si qui recenter mersi extrahuntur, aquam in se receperint nullam. Moriuntur autem submersi exinde, quod, sub ultima inspiratione, aerem clausum erga sanguinis pulmonici massam valde habent renitentem. His, subito extractis, prodest nova glottis artificialis, vulnere per tracheotomiam facto, tum quo respirent hac nova via, tum quo in se receptum ante aerem hoc vulnere emittant.

LI.

Quaestio medico-chirurgica, quam Praeside M. ANT. BERGIER, *D. M. tuebatur* IO. BARBEU DU BOURG, *sub hac verborum serie: an Tracheotomiae nunc scalpellum, nunc Trigonus mucro.* Parisiis, 8 Februarii anno 1748.

Si quando necessitas imperat, ut imminens suffocatio praevertatur, nova glottide per vulnus excitata, quandoquidem vetus obstructa nunc est, tunc, pro casuum diversitate, aliter aliterque tracheotomia seu bronchotomia suscipitur. Namque, ubi peregrina res illapsa in glottidem inque asperae arteriae caput est, ut illa eximi possit, opus est, vulnus amplum excitare, cutem ad iugulum, longe, & ad sternum usque, aperire, cartilagines per longum diffindere, non difficulter coalituras, etiamsi cartilaginem uniri posse negetur, & illapsam rem eximere. Cum autem ex cynanche, vel ex suffocatione sub aquis, respiratio desiit, sufficit mucronem trigonum in cannula absconditum, sine alio vulnere, defigere.

Disputationum chirurgicarum selectarum pars tertia. De Morbis Pectoris.

LII.

Dissertatio medico-chirurgica de Cancro mammarum, eumque nova extirpandi methodo, quam Praeside D. IO. SERRURIER, *P. P. tuebatur* GERARD TABOR, *Moeno-Francofurtensis.* Traiecti ad Rhenum, 19 Maii anno 1721.

Scirrhus in mammis mulierum frequentior, quamdiu illi vitalis humorum circuitus penitus ablatus haud est, vivit ex parte, nec statim putrescit, nec a spe alienum est, illum, externis internisque medicamentis, discuti, vel in laudabile pus verti posse, si corpus

pus

pus bonis cæteroquin fuccis eft prædirum. Verum, ubi omnis vita fcirrho periit, etiamfi ille, vicinarum partium adhuc integrarum vafis collateralibus, utcunque nutriatur, incipit nunc fenfim in acre virus folvi, quod cancer eft, ab initio occultus, integro hactenus folliculo eum includente. Cum autem folliculus ille ruptus eft, graffatur fanies in vicinas fanas partes, eftque cancer apertus; hunc extirpandi ratio traditur in tantum, in quantum tenaculum, mammam comprehendens, vulgari apparatui additur.

LIII.

Differtatio medica, de Nociva cancri inveterati Extirpatione, novis exemplis demonftrata, quam Praefide DAN. WILH. TRILLERO, tuebatur CAR. CHRISTIAN. TITIUS, Rofvino-Mifnicus. Witteubergæ, 28 Octobris anno 1752.

Carcinomata fæpe curatione irritantur: namque cum cancer vetuftus eft, cum ille mufculo pectorali iam adhærer, cum præterea glandulæ, quæ fub axillis funt, intumuerunt, cumque mulier eft tenuis, vel febre lenta detinetur, fatius eft non attingere morbum, quem fanare non poffis: in votis eft, limites fuppuratione ftatuere, ultra quos cancer abire non poffet. Sed vana eft expectatio, & foli palliativæ curationi, ut morbus trahatur, dolores leniantur, tribui aliquid poteft.

LIV.

Differtatio medico-chirurgica, de optima cancrum mammarum extirpandi ratione, quam, Praefide DN. LAUR. HEISTER, tuebatur OT. PHILIP. VIRDUNGUS ab HARTUNG, menfe Martis anno 1720.

Chirurgiam, qua cancerem mammarum auferunt, fua experientia multiplici edoctus, CLARISS. AVCTOR fiftit. An poffit res effici primo difpiciendum eft; deinde, fi poffit, fubfecandus tumor eft, nec quidquam illius relinquendum, ne ex refiduo contagio novum carcinoma exfurgat. Vafa finantur fuo fanguine fluere, uti vires ferunt, hinc compefcar.tur acu, quam fila armant. Sinus vulneris repletur filis carptis ficcis. Reliqua ex indole vulnerum perficienda funt.

LV.

Differtatio medico-chirurgica, fiftens Hiftoriam Vulneris thoracici, & in eam commentarium, quam Praefide IO. NICOL. PECHLINO P. P. O. tuebatur MUMMIUS LUDDENS, Eiderftad. Cimber. Kiloniæ, 24 Febr. anno 1682.

In vulnerum fanationibus fæpe fiunt, quæ fieri poffe vix fperares: occurrunt vulnera per medios ventres, per medios thoraces transacta, ut fæpe admirationi locus fit, quibus fubfidiis ufa natura hoc efficere potuerit, ut homo fervaretur. Simile exemplum

plum nunc proponitur iuvenis, qui inter quintam & fextam coftam totis pulmonibus vulnus anguftum receperat: fanguis ab initio fluxit parcus, deinde eius tenuior & ferofa pars tuffi eiecta eft, mox ex vulnere vis fanguinis maior fponte erupit, ut vulnus dilatari oporteret: fucceffit fuppuratio; nova febris ex abforpto pure nata, qua purpura rubra in cutem eiiceretur, ægrum in vitæ periculum adduxit, qua mitefcente, penitus convaluit, etiamfi peripnevmonia, ex rubore faciei iudicata, interveniffet. Sanguis de vena frequenter miffus fuit.

LVI.

Differtatio medica de Emphyfemate, quam Praefide IO. HENR. SCHULZE, P. P. tuebatur CAR. CHRISTOPH PUSCH, Lignicenfis. Halæ, menfe Septemb. anno 1733.

Aer vario modo fub cute intra adipis cellulas diffunditur. Aut enim vulnere vel ulcere admittitur, quos tumores proprie emphyfemata vocant, quæ potiffimum vulneribus thoracis iuguli- que funt familiaria; aut fua fponte aer gignitur oriturque tympanias & farcites flatuofus, fi quando ferum tenue, ex mora, putrefcit, inque aerem evolvitur. Nemo forte inter tumorem eiusmodi flatuofum & ferofum oedematofum ambigit: namque fi aer fub tumore eft, fonitus ab undulatione contenti liquidi percipitur; folus tumor aquofus impreffionem digiti recipit & tenet.

LVII.

Differtatio medica de Anevryfmate vero pectoris externo Hemiplegiae fobole, quam tuebatur IO. IACOB. WELTINUS, Foro-Tiberienfis. Bafileæ, 18 Augufti 1750.

Diftenta a fuis liquidis vafa tam arteriofa, quam venofa, elevantur in humores. His, cum vena dilatata fuit, *varici*, cum arteria, *anevrifmati* nomen eft: fatius foret anevrifma fpurium, fi quando arteria vulnus accepit, inque vicinas adipis cellulas vel fub latis tendinibus fanguinem effudit, ecchymofin appellare; namque nihil eft in illo tumore, quod anevrifmatis voci refpondere poffet. In hoc exemplo arteria mammaria expanfa, thoracico anevrifmati opportunitatem dedit. Poftquam ægrotus ex hemiplegia laboraffet, intumefcere derepente coepit arteria illa, quæ fub pectorali mufculo excurrit: cuius eventus ratio in eo ponitur, quod, cum ex hemiplegia arteria fubclavia per fpafmum compreffa effet, vis fanguinis maior in thoracicas arterias externas irrueret, atque aliquam ex illis diftenderet.



NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Iulii Anno MDCCLVI.

IOSEPHI ALEXANDRI, S. R. I. PRINCIPIS IABLONOVII Operum recensio.

Etsi verum est illud *Quinctiliani*, nihil præcepta atque artes valere, nisi adiuvante natura: tamen, si ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam & conformatio doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet existere. Non quod natura, sine doctrina, numquam valeat ad laudem; sed quod hoc maior laus est, quo plus tuo sis studio, tuaque opera consequutus. Hoc si ita est, uti profecto est, neminem unum, credimus, qui melioribus litteris animum imbuerit, carere laudibus oportere; omnium minime eos, qui ad nobilitatem generis, & nascendi felicitatem, etiam litterarum amorem, &, quod maius est, copiam doctrinæ, adiunxerint. In ea quidem fortuna homines, si, quas amare non possunt, saltem non oderint, litteras, contenti sumus. Si vero prodeat ex iis aliquis, qui se ad meliorum litterarum culturam quasi demittere, atque inter primas curarum hæc ipsa studia habere videatur; qui velit inter Musas non degere solum, sed etiam, neque aliter iucundius, consenescere; qui denique hæc sacra Musarum colentes diligat, iisque, intercedente quasi aliqua animorum coniunctione, cum voluptate utatur: hunc talem nisi elogio prosequamur, omnique posteritati commendemus, ostentemusque exemplum posteris, inepti simus. Est hæc celsissimi *Iablonovii* Principis imago, quam hic exprimimus, amice Lector,

ctor, non ea quidem talis, qualem amor litterarum, & copiosa doctrina, quibus ad miraculum excellit atque eminet, iure suo deposcant; sed qualem, ne in Optimi Principis modestiam peccare videamur, nonnisi primis quasi lineis adumbravimus. Erit tempus, quo hunc Poloniæ suæ Varronem, hoc litterariæ reipublicæ, & in Eruditorum, & in Mæcenatum ordine, ornamentum, grata prædicabit posteritas, dicetque nepotibus, quam magna sint, quamque præclara in omnem eruditionem, Iablonovii Principis non intermoritura umquam merita. Nos Ei vitam & valetudinem, crudamque senectam, bono rei litterariæ, ex animo precamur: iam, quæ Suæ doctrinæ atque eruditionis monumenta prostare voluerit, recensituri. Sunt igitur hæc:

I.) *Ustawy y zdanya;* seu Apophtegmata ac sententiæ, depromtæ ex variis fontibus, &c. Varsaviæ, typis Patrum Scholarum piarum, 1741. in 8. editio altera. Flores sunt, ex Ameloto de la Houssaye, Oxenstierna, aliisque decerpti, lingua vernacula, Polonica, eleganter redditi; quibus tamen multa etiam de suo addidit Auctor celsissimus, qui hunc librum Consanguineo & Socero suo, Duci in Wiszniowiec, dicavit, eaque occasione usus est ad Genealogiam & Historiam celsissimæ huius gentis, qua fieri potuit accuratione, exponendam. Quam avide fuerit exceptus liber, etiam hoc documento est, quod exempla iam frustra quæruntur.

II.) *L'Empire des Sarmates;* idiomate gallico, cuius neque Gallum indigenam poeniteat, scripta Sarmatarum historia. Opus egregium, iam tertium editum est, Halis propter Salam, anno exeunte 1755. 4. posteaquam primum Halis 1741. dein Norimbergæ apud Lochnerum 1748. prodiisset. De gente Sarmatarum, nemo unus adhuc, vel uberius, vel exactius commentatus est, quam hoc libro a celsissimo Principe Iablonovio factum ex vero prædicamus. A Scythiæ Sarmatis Slavos, a Slavis Polonos descendisse, tam egregie, tamque luculenter docuit, ut ea omnia, quæ apud Auctores in universum omnes, de hoc argumento, dispersa legimus, in eius opere, ad temporum ordinem exacta, coniunctim exposita videas; eoque in labore, profecto non tenui,

mui, an magis laudare Auctoris sollertiam, an acumen iudicii, debeamus, certe ambigimus. Addita est, non Poloniæ solum, sed & Magni Ducatus Lithuaniæ, geographica & topographica descriptio, cum chronologia Regni elaboratissima.

III.) *Osada Kleynotow Rycerskich*, i. e. Heraldica, seu scientia stemmatum vel insignium Familiarum illustrium Poloniæ, cum nonnullis eo pertinentibus supplementis atque additamentis, magnam partem non solum e tabulario Regni & M. D. Lithuaniæ, sed etiam ex chartophylaciis diversorum Regni tribunalium, præfecturarum, & familiarum illustrium, desumtis. Leopolii, typis Collegii Soc. Iesu 1743, in 4. & cum accessionibus, iterum, ibidem 1752. cum tabulis æneis quamplurimis, affabre sculptis. Lingua vernacula scriptus liber est, qua nemo adhuc, quod sciamus, eam artem expressit; quid quod Heraldica, paucis Polonorum cognita, fere ibi locorum in contemtu fuit. Vindicavit eam a civium suorum socordia, celsissimus Iablonovius, deditque Poloniæ primus præcepta artis, quam ignorare Polonos, nobilitate conspicuos, & splendore imaginum præ reliquis Europæ incolis florentes, omnium minime decebat. Est locus, ubi etiam de originibus Poloniæ, magni Duc. Lithuaniæ, & Prussiæ, Auctor disseruit; quemadmodum & appendiculæ loco, de successione, ex iure Polonico, commentatus est: quam iuris Regni particulam, nondum scimus exacte definitam antea fuisse. Dedicatio, origines Principum Radiviliorum, & Comitum Sapieha, ita illustrat, ut simul eruditionem Auctoris, & amorem patriæ, luculenter testetur.

IV.) *Histoire ancienne, par Rollin*, &c. Historia antiqua est, a celsissimo Principe, Polonico sermone, e Rollini Gallico, reddita. Laudant in eo libro præclarum linguæ patriæ nitorem, quo effectum est, ut iam exempla desiderentur. Prodiit Lublini, typis collegii Soc. Iesu, 1744. in 4.

V.) *Tabulae Iablonovianae*, &c. Amstelædami partim, 1744. partim Norimbergæ 1748. in charta regia maxima, foliis integris, typis excusæ sunt. Genealogiam inclutæ Gentis Suæ his tabulis proposuit Auctor celsissimus, inque eo opere viginti quinque annis integris desudavit, effecitque

 per-

pertinaci industria, magnisque sumtibus, ut, in quo plurium doctorum virorum societas vix profecisset, id iam uni ipsi debeatur. Quam, in Viro Principe, laboris patientiam, hoc magis suspicimus, quo est, etiam in iis, qui omnem ætatem in litteris terunt, infrequentior. Alteram editionem parat Auctor celsissimus, novis accessionibus, atque emendationibus quibusdam, locupletatam.

VI.) *Vita & Martyrium d. Eustachii*, carmine heroico Polono, Leopolii, typis Collegii Societatis Iesu, plag. 50. In eo opere, Vita Martyris ita exposita est, ut simul præclara inde doctrinæ moralis præcepta depromantur. Sed etiam carminis ipsius elegantia, laudem apud omnes meruit, quotquot sermonis Poloni ita gnari sunt, ut etiam de poesi Polona exacte iudicent.

VII.) *Descriptio fundationis arcis & Capellae Lackovcensis*, 1751. in 8. Lingua vernacula scriptus liber est, qui præter istius arcis, quæ est in dominio Celsissimi Principis, habitum, egregia multa, neque alibi obvia, de Ducatu & Palatinatu Volhyniæ, magna lectionis copia, complectitur.

VIII.) *Pars Scripturae Sacrae*, cum *Psalterio*, lingua Polonica reddita, 1752. in 4. Operam dedit Auctor celsiss. ut quam exactissime posset, sensum Scripturæ Sacræ adsequeretur, quare etiam versionem suam, ad aliam Kochanowskii, & metricam Saronskii, exegit. Quo studio id consequutus est, ut patriæ linguæ perfectam scientiam, quæ in hoc opere inprimis enitet; simul vero pietatis præclarum specimen, quod in tractandis sacris litteris ediderit; & Cives Poloni, & exteri, agnoscant atque suspiciant. Opus matri dicatum est, dedicatoria Epistola, etiam pietatis in Parentes indice.

IX.) *Musaeum Polonum*, Leopolii 1752. 4. Est recensio Scriptorum Poloniæ, rariorum potissimum, interposito Auctoris, de cuiusque præstantia, iudicio. Prostant quidem varii variorum, de Scriptoribus Polonis, commentarii; qualis est *Sam. Ioach. Hoppii*, Gedani 1707. 4. editus, quem

deist

deinceps obſervationibus *Gabriel. Groddeck & Valentin. Schlieff* auctum, novæ editioni Dlugosſi Lipſienſi Tomo I. præmiſſum videas; quo etiam referendus egregius liber *David. Braunii*, Coloniæ 1723. 4. de Scriptoribus Poloniæ & Prusſiæ, tam impresſis, quam manu ſcriptis; *Starovolſcii* item centum illuſtrium Scriptorum Polonicorum Elogia & Vitæ, Francof. 1625. 4. in quo tamen libro diligentiam deſiderant, & iudicii acumen, peritiores; quod etiam pretium levi libello *Varſevicii*, de Regibus, Sanctis, Bellatoribus, & Scriptt. Polonis, Romæ 1601. 8. Poſnaniæ 1629. 8. ſtatuendum eſt. Sed omnem horum Virorum diligentiam, eruditionem, iudicandi peritiam, longe ſuperavit celſisſimus Iablonovius, qui, de quibus libris iudicium tulit, eos non legit ſolum, ſed etiam, absque odio, aut gratia, quo quisque loco habendus ſit, ingenue & ex vero profeſſus eſt.

X.) *De Progreſſu Artis Poeticae*, Diſſertatio, Leopolii 1753. fol. Manuductionem continet ad poeticen, ſermone Polono; appendicis loco Index Poetarum Polonorum additus eſt, qui aliquod quaſi Muſæi Polonici ſupplementum dici poterit.

XI.) *Trigonometria*, 1753. 4. Liber itidem lingua vernacula ſcriptus, atque uſui potiſſimum Officialium Regni Poloniæ deſtinatus, quorum intererat, habere aliquem de ſuis civibus trigonometram, qui exactius Grzebſcio & Solſcio eam Mathematum particulam traderet. Quæ adiunctæ ſunt tabulæ, partim problematibus trigonometricis illuſtrandis, partim vero menſuris atque ponderibus explicandis, inſerviunt.

XII.) *Podhorecenſia*, liber Gelliana diligentia congeſtus, ex omni re litteraria, ſelectas animadverſiones exhibet, typis excuſus Leopolii 1754. 4. Nomen a caſtro celſiſſimi Principis ſortitus eſt, cui etiam originem debet. Addita ſunt quædam a nobiliſſimo Anglo, *Georgio Scop*, quæ ad elegantiores litteras æque pertinent.

XIII.) *Dodecas Ducum Martis Poloniae & Magni Ducatus*

tus Lithuaniae, seu *classicum Sarmatiae*, Tomus I. typis Ioannis Filipowicz, Leopolii 1754. in fol. Istius operis hanc esse rationem Auctor celsissimus voluit, ut tribus Tomis omnia ea complecteretur, quæcunque ad artis militaris in Polonia historiam pertinent. Primo igitur Tomo, post Præfationem, quæ omnem Libri oeconomiam succincte exponit, quinque Dissertationes sunt, nisi malis Sectiones dicere. *Prima*, belli ducum in Polonia originem, muneris rationes, prærogativas denique, reique adeo bellicæ Polonæ historiam, proponit. Quibus ut fidem conciliaret Auctor, addidit, quæ huc pertinent, magno a se labore conquisitas, Regni constitutiones. Quo effecit, ut primus argumentum hoc tractasse, eique præclaram lucem adfudisse, merito censeatur. Sequitur series ducum belli, qui fuere in Polonia inde ab anno Christi 1000. ad nostram usque ætatem; qui labor, dici nequit, qua sollertia fuerit, a celsissimo Auctore, quave adcuratione, argumento dicatus, quod nemo adhuc Polonorum occupaverat, etsi esset Patriæ perquam gloriosum. Dissertatio *altera* exhibet vitam & res gestas belli ducum militiæ regiæ, quam Domum Regiam, solemni vocabulo, adpellant. *Tertia* ad Regimentarios, (vulgo, sed barbare, Generalissimos dicunt,) qui & supremorum ducum munere fungebantur, pertinet. *Quarta* de illis exponit ducibus, qui omni vita sua exercuerunt militiam. *Quinta* denique vitas ducum quorundam, sermone Polono, ad fidem historiæ, complectitur. *Tomus II.* continebit aliorum VI. Ducum vitas; *Tomus III.* qui & ultimus, fata reliquorum, eodem ordine, proponet, eritque, quemadmodum opus universum, exemplo ducibus, qui sunt, quique futuri sunt imposterum, qua fide & alacritate, qua fortitudine & constantia, sit rebus Patriæ, bono reipublicæ, a bonis civibus, belli ducibus, invigilandum.

XIV.) *Anecdota Iablonoviana*, ad antiquissimæ & inclutæ gentis Iablonoviæ Historiam pertinent, cuius immunitates & privilegia concinno ordine recensentur. Varsaviæ, typis Scholarum piarum, 1754. in 4. Præclaro operi, ultimam manum adiecit Illustriss. *Zaluskius*, Comes, Supremus Regni Referen-

Referendarius, Vir, & amore litterarum, & præſtantia doctrinæ, a nobis ſæpenumero iam laudatus. Hic igitur, quidquid erat in incomparabili litteraria ſupellectile ſua, quod ad ornamenta celſisſimæ Gentis Iablonoviæ pertineret, id omne, ultro lubensque, amplificandis exornandisque Anecdotis Iablonovianis ſuppeditavit. Eſt vero etiam propterea liber hic magnifaciendus, quod multa ei inſunt ad hiſtoriam antiquam Prutheno-Polonam ſpectantia, non facile alibi explicatius tradita.

XV.) *Nagody*, ſeu *Nuptiae Cananeae*, Lipſiæ, typis Langenhemii, 1755. in 8. liber devotioni ſacer, in ſectiones quinque tributus. Prima, de Summi Numinis exiſtentia præcipit; reliquis, preces varias, & ſupplicationes, pias meditationes, aliaque iſtius generis, Auctor exhibet.

XVI.) *Bibliotheca Iablonoviana*, Lipſiæ apud Breitkopſium, 1755. Voluminibus IV. in 4. Egregium hunc inſtructiſſimæ Bibliothecæ Iablonovianæ catalogum, congesſit M. *Friedr. Sigismundus Witzleben*, Vir doctisſimus; qui etiam, additis, ubi neceſſum videbatur, obſervationibus, cavit, ne vel præſtantia libri, vel raritas, vel quidquid ad litterariam hiſtoriam pertinet, ignoraretur. Qua diligentia effecit, ut Catalogi iſtius lectio, magnam ſit utilitatem omnibus iis, qui cognoſcendæ rei litterariæ deſiderio ducuntur, allatura. De ipſa, hoc Catalogo deſcripta, librorum omnis generis præſtantisſimorum copia, dicere propterea ſuperſedemus, quod, qui eam maximis ſumtibus, magnoque delectu, congesſit, Celſisſimus Iablonovius, non ſolum qui libri boni ſint unus omnium optime intelligit, ſed etiam iis legendis tantum temporis & ſtudii impendit, ut Suo eum merito ambulantem Bibliothecam dixeris. Ex quo, qualem ipſe ſibi Bibliothecam inſtituerit, facile intelligitur. Poſtremus Catalogi Tomus, Codices Bibliothecæ Iablonovianæ membranaceos recenſebit. Gratulamur Poloniæ litteratæ, eique perpetuum precamur, hunc talem bonorum librorum amorem, quo in ſpem adducimur, fore, ut redeat omnino bonarum litterarum in Sarmatis cultura,

ra, cessetque tandem aliquando inveteratus ille, & exitialis artibus omnibus, error, nullam esse ex litteris, omnem ex bellica virtute, gloriam.

Atque hæc quidem sunt celsissimi Iablonovii opera, exscripta typis: reliquorum, quibus faventem Lucinam adprecamur, titulos adponemus. *Prima* omnium futura est, *de origine, progressu, cultura, perfectione denique, litteraturae Slavo-Polonae,* Dissertatio historico-critica. Argumentum a nemine occupatum.

II.) *Ephemerides peregrinationum Iablonovianarum,* sermone Gallico.

III.) *Astronomia.*

IV.) *Repertorium Historiae.*

V.) *Collectanea poetica selecta.*

VI.) *Orationes Iablonovii,* comitiales, nuptiales, funebres, vernaculo sermone habitæ, & uno volumine exhibendæ.

VII.) *Vindiciae Poloniae contra Bohemiam,* seu Scriptores Bohemos, qui putant, S. Adalberti ossa, quæ Gnesnæ adservantur, esse in Bohemia.

VIII.) *Tabularium locupletissimum Gentis Iablonoviae.*

IX.) *Diarium obsidionis Gedanensis.*

X.) *Tabula Geographica Regni Poloniae,* a Dom. S. Hilaire delineata, a celsissimo Iablonovio Principe instituta, atque ad omnes artis regulas, ex vero proposita.

XI.) *Duodecim orationes Ciceronis,* emendandæ Eloquentiæ inservituræ.

Interest rei publicæ litterariæ, vivere & valere Auctorem celsissimum, quod una nobiscum omnes ii exoptaturi sunt, qui amant litteras, & qui, quantum ad earum gloriam, tam præclarum, tanti Principis, exemplum, conferat, intelligunt.

Johann

Johann Lorenz von Mosheim, Erklärung der beyden Briefe des Apostels Pauli an den Timotheum,

i. e.

IOHANNIS LAURENTII MOSHEMII, ACADEmiae Georgiae Augustae Cancellarii, in utramque D. Pauli ad Timotheum Epistolam Commentarius.

Hamburgi, 1755. Alph. 4. pl. 3. in 4.

Sunt iam inde a compluribus annis perinsignia eius facultatis, quae in Moshemio, Theologo nuper coetus nostri summo, iuxta cum aliis scientiae copiosae utilisque dotibus, erat, divinum codicem interpretandi, in eruditorum hominum manibus documenta. Nam cum ille frequentius plerisque ingenii, doctrinae, & gesti praeclare muneris, quae edebat, monumentis, ad sanctissimos libros, sacrorum nostrorum auctores & vindices, sibi recurrendum videret, tum ex instituto diligentissimeque eam rem egit, peculiaribus talis argumenti scriptis evulgandis, ut Observationum SS. ut Cogitationum in Novi Foederis loca diversa, libellis, ut denique eximia prioris ad Corinthios epistolae, perscriptae illius a D. gentium Apostolo, exegesi. Quae omnia pulcherrima & digna huius virtute viri habita semper fuerunt: nunc nos novo isto commentario nisi superata credimus, at aequata certe, &, augente necopino adventu doni gratiam, magno virorum doctorum adsensu, amplificata. Negat ille se ingressurum hanc palaestram fuisse, ni morbi, qui etiam fatalis illi postea fuit, asperitate retentus a gravioris doctrinae genere, talem sibi perspexisset occupationem suscipiendam, quae animi corporisque vires roboraret potius, quam adstringeret, sibique non minus prodesset atque aliis. Itaque hunc dicit fructum senectutis suae, &, quibus illa premitur, molestiarum. Posis hic illud peropportune, quod nobilissimus olim poeta tragicus pro se ipso dixit, mutato admodum uno verbo, in Moshemium dicere: num hic, quem cernitis, labor, aegroti vobis videtur & deiecti viribus hominis?

minis? ita in eo ſana, firma, lucida denique & egregia ſunt omnia. Sed hoc ut lectores quoque noſtri intelligant, explicata operis totius compage, propoſitisque ſpeciminibus quibusdam, adſequemur.

Iam in dirigendis rebus & explanandis, hanc tenuit Noſter rationem, ut in particulas omnem epiſtolam tribueret breviores, harum argumenta, adiectis græci textus verbis, conciſe proponeret, dein vocabulorum omnisque vim & nexum orationis declararet adcuratius, ſuperadderet poſtremo vitæ morumque regulas, ex eis, quæ præceſſerant, quaſi provocatas & elicitas. Hoc vero conſilio ait ſe ad operam iſtam acceſſiſſe, ut doctis pariter indoctisque, imo quicunque quodam legendi talia ſtudio capiuntur, certam daret, perſpicuam utilemque utriusque ad Timotheum epiſtolæ explicationem. Hinc, prætermiſſis ſubtilium litterarum formis, certe leviter duntaxat delibatis, quo ſpectant critices & philologiæ lumina, etiam interpretum loca rarius excitans, ad id unice animum oculosque intendit, ut, quam poſſet pauciſſimis ambagibus, in divini ſcriptoris mentem penetraret, claris rectisque continuo præceptis erudiret lectores, & gravi oratione ac luculenta commoveret.

Ventum eſt ad exempla interpretationis Moshemiæ, quam a nobis, felicem, doctam & acutam eſſe, facile doceri poſſe, quis dubitet? Adhibendus autem hac in opera modus tanto magis nobis erit, quo habemus certius, librum qui in manu noſtra verſatur, verſaturum etiam eorum omnium in manibus, imo in ſinu geſtatum iri, qui ſacras litteras aliquanto cariores habent, & quibus ſermone uti noſtro licet. Sed a principio ordiamur, hoc eſt, a præparatione ſcitu neceſſariorum, priori præmiſſa epiſtolæ. In ea primum negat Moshemius dubio carere, quæ de patria Timothei vulgo ponuntur. Lyſtram dicunt ex Act. XVI. 1. qua in urbe ille ibi ſolum dicitur quodam tempore adfuiſſe. Tamen hæc ſententia præferenda aliis eſt, neque movere nos Act. XX, 4. debet, ut Timotheum, certe maiores eius, Theſſalonica faciamus oriundos, veluti movit Grotium, ſed præcipitantius.

Pag. 4.

Mul-

Multo incertior est de patre Timothei vulgaris opinio. Pag. 5.
Quem cum Lucas Act. XVI. 1. Graecum, hoc est, pro scriptionis in N. F. genere, ethnicum adpellet, non patiuntur interpretes, eum talem semper fuisse, sed *proselytum* postea *domicilii* egisse volunt. Frustra. Nam loco excitato id agitur, ut Timotheum nondum fuisse circumcisum probetur. At unde hoc? ex eo, quod patrem habuit ethnicum. Itaque fuit ille sine dubio non nativitate solum ethnicus, sed vita etiam reliqua. Quod dicitur Timotheus 2. Epist. III, 15. a pueris sacras didicisse litteras, poterat illud, amisso forsitan maturius parente, poterat inscio, poterat connivente ob uxorem, fecisse. Deinde, quando vertunt Act. XVI. 3. *sciebant omnes, patrem Timothei* aliquando *ethnicum fuisse*, id tam futile est, prorsus ut abiici debeat, tanquam cum totius consilio orationis pugnans. Est etiam illa mala defensio, quae ducitur a matrimonii, ethnicum inter & Iudaeam initi, ratione, legibus Iudaicis vetita. Recte hoc quidem; sed in ethnicorum terris frequenter est licentia in hanc legem grassata. Quodsi denique ipso Timothei nomine utaris, cultorem illud unius Dei designat, neque credibile putes, id ei a patre ethnico inditum, est in promtu quod respondeatur. Videtur scilicet id nominis, conversus demum ad sacra Christianorum, accepisse. Quid dico: videtur? immo accepit. Qui circumcisus a Paullo, secutus est procul dubio Iudaeorum consuetudinem, mutandi post peractum religionis suae ritum primarium, nomina sua. Iam Lystrensium & Iconiorum de 10.
Timotheo pulchrum testimonium, Act. XVI. 2. ab ipso D. Paullo credibile est expetitum fuisse. Admotus enim homo iuvenis, non ad regendam ecclesiam, sed, quod maius est, ad salutaris doctrinae commendationem publicam, in comitatu Apostoli, tali eorum, inter quos versatus adhuc fuerat, iudicio contra obtrectationes muniendus erat. Non contentus 12.
autem Grotius, Timotheum, tertia Paulli Lystram profectione, amicum illi & socium Evangelii praeconem fuisse adiunctum, contendit praeterea, eum multo ante in divini viri arctius consortium pervenisse. Reddit enim verba 2 Tim. III. 10.

παρηκολέθηκάς μυ τῇ διδασκαλίᾳ, hoc modo: *adfuisti vel-*
Pag. 14. *ut testis docenti mihi*, estque ibi de rebus ante gestis sermo,
sqq. quam Paullus Lystram accessisset. At hæc si vera est expli-
catio, cur Paullus dicitur Timotheum Lystræ tertio demum
suo ad urbem illam itinere invenisse, eiusque sibi iungendi tum
cepisse consilium, cur tum denique circumcidisse, cur iste si-
gnificatur habitasse Lystræ & Iconii, earumque urbium am-
plissimo præconio mactatus? Quod ad vaticinia, quæ de Ti-
motheo prolata publice adserit Paullus 1 Tim. I. 14. viden-
tur prophetæ, quales eo tempore habebat ecclesia, allocuti
Timotheum in concione fuisse, nuntiasseque illi, futurum
munus, charismata polliciti esse, & de obeundis recte officii
18. sqq. partibus commonefecisse. Circumcidit autem Timotheum
Paullus, aliorum usus opera. Sed cui bono? ais. Ut Iu-
dæos, qui Lystram, Iconium, vicinaque illis incolebant, tan-
to facilius, mores & opiniones eorum recipiendo, ad ample-
25. sqq. ctendam Christianorum doctrinam concitaret. Quæ in lau-
dibus Timothei occurrit Phil. II. 19. sqq. aliorum accusatio,
ut *qui sua quaerant, non quae I. C. sint*, ea ita videtur miti-
ganda, ut hic doctores reliqui dicantur, præter celebrandum
Servatoris honorem, etiam de tuenda incolumitate sua & vi-
35. ta laborasse, passique adeo aliquid in eo humani fuisse. Nunc
sequentes proficiscentem cum Apostolo Timotheum, Troa-
de eum nobis eripi videmus Act. XX. 4. 5. 6. Est vero pro-
babile, illum Hierosolymas usque pervenisse, secessisse postea
a Paullo, Cæsareæ per biennium captivo, eiusque adeo ipsius
iussu, verentis videlicet, ne quid absentia sua detrimenti eccle-
sia Christiana caperet. Sunt præterea, qui Timotheum Ro-
36. sqq. mæ una cum Paullo in captivitate fuisse colligunt ex Hebr.
XIII. 23. quod ibi *ἀπολελυμένος* adpellatur. Ac habet ea
sententia aliquantum verosimilitudinis; sed profecto tantun-
dem dubitationis. Tempus scriptæ ad Timotheum prioris
45. sqq. epistolæ, & utile fuerit indagare, nec difficile, modo quæ
illa tradit de habitu Ecclesiæ Ephesinæ, &, qui illi præfectus
erat, Timothei, diligentius inspicias. Illam facile adparet
tota epistola ut recens constitutam, ut nondum firmam satis

omni

omni ex parte, legibusque necessariis valentem, sisti; hunc ut imperitum adhuc regendi coetus vixdum coacti, consiliique plurimi expertem. Scilicet, iactis ægre huius ecclesiæ fundamentis, in Macedoniam sibi discedendum videt Paulus. Illius, se absente, curam Timotheo mandat. At iste, cum varia subnasci sentit ad Christianos Ephesiacos pertinentia moderandos, sibi quidem obscuriora, super iis Apostolum scripto consulit. Cuius hæc prior epistola adeo nulli adstricta est ordini, penitusque respondentis formam habet, ut credere nos necesse sit, ea quæstiones a Timotheo propositas fuisse dilutas. Commoratus autem tunc in Macedonia Paulus tertiam fere anni partem videtur. Nam quod Act. XX. 31. profitetur, se integro triennio Ephesi habitasse, non est hoc de continuo domicilio capiendum, monente nos Luca Cap. XIX, 8. 10. qui duos duntaxat annos & tres menses ponit. Epigraphe epistolæ, quæ illam dicit Laodiceæ in Phrygia exaratam, omnino fallit. Laodiceam enim Apostolus prima Ephesiacæ Ecclesiæ ætate, prioris item tempore captivitatis suæ, nondum viderat, Col. II. 1. Ceterum fide carere, quæ de Timotheo, primo Ephesi Episcopo, imo Pag. 56-71. omnis Asiæ Archiepiscopo, quæ porro de morte eius cruenta, in Christianorum quibusdam scriptis antiquis tradita leguntur, doctissima oratione convicit Moshemius; usus inprimis silentio epistolæ Ignatianæ ad Ephesios, magisque etiam Chrysostomi, cuius supersunt viginti octo in utramque ad Timotheum epistolam homiliæ.

Post hanc longiusculam præfationem, ad ipsam epistolam priorem lustrandam accedamus. Igitur primum *Capite primo* v. 4. nos detinent γενεαλογίαι, quas caveri & reiici a 96. sqq. Iudæis conversis apud Ephesios iubet Apostolus. Non hic Iudæorum studium, origines familiarum suarum & incrementa cognoscendi, notatur; non Theogoniæ gentilium; non Sephiroth Iudæorum, nec originationes verborum, ut sint quasi γενέαι λόγων, quod Harduino placet. His omnibus vis vocis & reliqua orationis series adversatur. Rectius nos Gnosticorum, quas de vero Deo finxerant, genealogias heic

 protu-

protulerimus. Tum amice conspirabunt inter se, quæ hoc versu leguntur, omnia. Nam Genealogias quidem illas non dicit Paulus ab ipsis condi Iudæis doctoribus; neque ad ipsos, hoc est, ad gentem & familias ipsorum, spectare propius; addit porro, esse earum rationem cum religionis natura coniunctam, planeque non prorsus discriminis expertem gravioris. Quibus quid ad designandas celebratissimas Gnosticorum genealogias dici potuisset aptius? Accedunt alia. Habemus enim consentientes in explicando loco nostro non solum primævæ patres ecclesiæ, sed Gnosticos ipsos, qui cum se hac epistola, præsertim Cap. VI, 20. 21. ubi clare exstat vox γνῶσις, oppugnari senserint, eam igitur una cum altera reiecerunt. conf. *Clem. Alex.* Stromat. L. II. C. XI. Etiam illud dogma, quod ex amore genealogiarum natum dicitur C. I, 19. 20. 2 Epist. II. 17. negandi futuram aliquam mortuorum resurrectionam, Gnosticis fuisse proprium novimus. Ἀπέραντοι adpellantur eædem illæ genealogiæ, hoc est, incertæ, & stabili destitutæ fundamento: initio profecto & fine non

Pag. 127. carebant. Qui autem v. 9. δικαίῳ νόμος ȣ κεῖται? Nimi-
sqq. rum pro eo quod vertimus: *lex nulla* data est iusto, ponendum erat: *lex ista* (quam ante tractaverat Paullus, quæ prohibendis vitiis constat) nihil ad hominem iustum. Patet autem ex iis, quæ sequuntur, sceleratorum generibus, *iustum* hic dici, qui quæ natura suadet iuris capita atque honestatis observet. Tales Rom. II, 14. pinguntur, tales prima propriaque decalogi vis spectare non potest, tales denique cum fuerint primævis christianorum coetibus adscripti, vita illi honesta, & virtuti consentanea, num illis acclamandum erat:

152. sq. Nolite furari; item: Nolite cædem committere. De acuta in vocem πρῶτος ad v. 15. disputatione nihil sumimus, quam vindicatam illi potestatem, ut sit: *unus ex præcipuis atque pri-*

173. sq. *mariis.* Περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, v. 19. non est, de fide Christo data omnino deficere, sed, in pravas incurrere de religione opiniones; confirmante hanc glossam 2 Tim. II, 18.

Ne in limine epistolæ diutius, quam par est, hæreamus, iam

iam *Caput II.* adſpicimus. Eius primi continuo verſus de precibus *publicis*, a Chriſtianis etiam pro *magiſtratu ethnico*, ſolo tamen virorum ore, peragendis, præcipiunt. Πρῶτον Pag. 185.
πάντων utrumque notare poteſt, &: *primo loco atque principe eas preces fundendas eſſe*, &: *adhortationem Apoſtoli nequaquam infimo loco habendam.* Lapſi ad v. 1. ſunt interpretes, quando in eo precum in univerſum omnium genera conſtitui ex- 186.ſqq.
iſtimarunt. Imo vero ſolius ille deprecationis, quæ ſunt preces pro aliis, claſſes ediſſerit. Quarum priores duæ generales, tertia & quarta ſpeciales ſunt. Δεήσεις & προσευχαὶ cum pro incolumitate imperii & civium, tum pro avertendis ab utrisque calamitatibus, ſupplicationum ope, adhibentur; verum utra vox hanc ſpeciem aut illam deſignet, non definit Moshemius. Εντεύξεις recte hic dixeris vehementes apud Deum intercesſiones, ut alius præſenti malo liberetur. Ita Euſebius H. E. Lib. IV. C. XII. Iuſtini Martyris apologiam pro Chriſtianis ad Antonium ἐντεύξιν adpellat. Ευχαριστίαις denique ut certa bona in alios collata memori grataque ad Deum voce noſtra celebrari adderemus, vix neceſſum erat.
V. 5. εἷς γὰρ Θεὸς non deſignat eſſentiæ divinæ, prout elo- 197.
quuntur, unitatem, ſed illum Dei erga omnes homines agendi modum uniformem, ſibique perpetuo ſimilem. Quod mox verbis: πάντων ἀνθρώπων, declarat Apoſtolus, quando addit, eſſe etiam unum totius humani generis eundemque μεσίτην, I. C. hominem illum verum, ſecus quam opinabantur Gnoſtici. Ad v. 6. negat Noſter ἀντίλυτρον plus eſſe quam λύ- 201.
τρον, contenditque adeo, eam vocem tantundem valere, ac illa: ἀντι λύτρȣ; lectum ſibi locum Chryſoſtomi, qui ita interpretur ἀντίλυτρον, ſed iam non obvium. Illud: ἐν παν-
τι τόπῳ, quo preces virorum publicæ dicuntur peragi 206.
poſſe, innuit forte tollitque morem Iudæorum, Hieroſolymas 220.
verſus orando reſpiciendi. A v. inde 11. duabus rebus prohibentur foeminæ, publice docendi facultate, & imperio in maritos, iſto ſcilicet hactenus, ut ex illa poteſtate conſequi poterat: reliquarum enim rerum dominatum concupiviſſe mulieres, non eſt probabile. Confer, ut mittamus alia,

1 Cor.

Pag. 226. 1 Corinth. XIV, 34. In illa elliptica dicendi ratione v. 14.
ſqq. Ἀδὰμ ὀυκ ἠπατήθη, non inſerendum eſt πρῶτος, ſed ἀπὸ τοῦ
διαβόλου, & quæ ſequuntur: ἐν παραβάσει γέγονε, vertenda:
cauſſa migrandae legis marito fuit. Confirmemus hæc perpen-
denda univerſa Paulinæ diſputationis ratione. Vetuerat Apo-
ſtolus foeminas ſe ſupra viros efferre. Iam cauſſam addit,
quæ hoc poſtulet. Non Adam, inquit, circumventus eſt,
ſed uxor eius. Male hic vox *prior* omiſſa creditur. Eam
enim ſi addas, debilem fingas oportet demonſtrandi for-
mam, qua uſus eſt ſcriptor divinus, nimirum huiusmo-
di: Prior peccavit Eva, itaque æquum eſt viros a foeminis
dominos agnoſci. Rectius, quod iam diximus, ſuppleveris:
a Diabolo. At ne in hac quidem παραβάσει cauſſa, quam
quærimus, latere poteſt. Supereſt ut eam nobis aperiant
quæ ſequuntur: *fuitque illi violandae legis cauſſa & incitamentum.*
Iure vero mulier, quæ aliquando voluntati viri infeliciſſime
imperaverat, eique Auctor & ſuaſor facti fuerat longe per-
232. ſqq. nicioſiſſimi, iuſſa eſt in poſterum ei ſemper parere atque ob-
ſequi. Sed enim ad ſe nos vocat v. 15, qui feminas ſalvatum
iri adſerit διὰ τῆς τεκνογονίας, *per liberorum procreationem.*
Omnes huius loci difficultates recte ad particulam διὰ refert
Noſter, probatque eos, qui illam *in* vel *circa*, reddunt, ad-
ſtipulante præſertim loco, 1 Petr. III. 20. διεσώθησαν δι'
ὕδατος, *in* aqua ſervati ſunt. Appendix autem iſta cur addita?
cur edoctæ mulieres, nequaquam ſe parienda ſobole in
diſcrimen ſalutis venire? Factum id Gnoſticorum cauſſa. Hi
quidvis materiale, aut ſi mavis corporeum, exoſi, corporaque
hominum tradentes animæ ergaſtula eſſe, matrimonium, quod
nimirum generandis corporibus humanis ſuſcipitur, vehementer
deteſtabantur. Hinc dubitationes foeminarum, quas iſti per-
verſæ γνώσεως amici nugis ſuis imbuerant.

Ad *Caput tertium* progredimur. Ubi primo atque inpri-
245 ſqq. mis commemorandum eſt ſapiens Moshemii ſuper intelli-
gendo hoc capite præceptum. Scilicet Paullus in eo non ex
inſtituto officia doctoris eccleſiaſtici exponit; qua tamen opi-
nione decepti permulti, omnem Theologiam paſtoralem,
quam

quam vocant, hoc ex loco eruere conati sunt. Sed docet ille duntaxat Timotheum, quales esse habitu externo debeant, quos Ecclesiæ Ephesinæ vel præficere antistites, vel diaconos posset adiungere. In his horum eligendorum regulis sunt quædam, quæ valere, dum res Christiana stabit, debent; quæ scilicet vel credendorum homini Christiano, vel agendorum, particula aliqua continentur, v. c. ut ἀνεπίληπτος sit episcopus, h. e. coetus sanctioris doctor, ut κόσμος, ut διδακτικός; aliæ temporariæ, bonæ illæ & prudentes, non tamen ad omnes sacrorum administros accommodandæ, illis quidem primis rei Christianæ temporibus, vel utiles singulari ex caussa, vel etiam necessariæ, v. c. ea, quæ episcopum atque diaconum vult unius esse uxoris maritum. Hanc autem ipsam, quæ est v. 2. iuvat attentius contemplari. Non iam quæritur, sitne illa quacunque ecclesiæ Christ. ætate observanda? id enim recte negavimus; sed de ipsa, mirabile dictu, vi atque potestate huius legis, gravior dubitatio movetur. Quid illa præcipit? ut doctores sacrorum pluribus una eodem tempore uxoribus abstineant? an, ut omnino ad secunda vota numquam transeant? simultaneamne prohibet polygamiam, (utimur sermone philosophorum nostrorum,) an successivam? De ea quæstione post lectu dignissimum eorum, quæ in utramque partem disputari possunt, examen, pronuntiat Noster, utramque hic polygamiæ speciem coniungendam videri. Nam formulam *unius uxoris maritus*, pari facilitate in hanc partem flecti, qua in illam. Esse vero sani interpretis, ubi definiri nequit, quænam ex pluribus phraseos cuiusdam explicationibus recipienda sit, universas adoptare: quod scriptor non erat neglecturus, si unam vellet præferri reliquis, id quidem clarius significare. Nunc a primis Cap. versibus illico ad ultimos, ad v. 15. 16. controversæ illos lectionis & interpretationis, transsilimus. Postrema quidem verba v. 15. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, rectene a v. 16. divulsa? Adfirmant plerique; quia elogium hoc ecclesiæ tribui autumant. In quo illos errare iam non pauci agnoverunt, neque tamen convicerunt argumentis idoneis. Quod enim primum monent, abso-

Pag. 255. sqq.

326. sqq.

num fore, ecclesiam ab Apostolo *domui*, deinde continuo *columnae & fundamenta domus* comparari, id levi opera repellitur. Domus similitudinem habet ecclesia, si dominum eius, Deum O. M. respicias, columnæ autem & fundamenti, habita veritatis, quam illa profitetur, ratione. Pergunt, Iudæis præcipua religionis capita *columnas & fundamenta veritatis* adpellari. Sit ita. Ergo Paulli hoc loco verba pari modo intelligenda: id vero inde non consequitur; intra verosimilitudinem duntaxat subsistit. Utilius omnino urgent coniungendi particulam καὶ, quæ phrasin, de qua disputamus, commati 16. annectat; licet negare nolimus, superesse hic refugium, variam τῦ καὶ potestatem. Iam autem quæ Moshemius, ut στύλον καὶ ἑδραίωμα τ. ἀληθ. elogium doceat esse doctrinæ de Christo, proponit, evolvamus. Duas vult a nobis res attendi, quarum altera probabilis est, altera certa, & omnem dirimens contentionem. Dixerat Apostolus v. 15. ecclesiam οἶκον Θεῦ, adpellatione non obscura. Tamen veretur, ut eam Timotheus recte capiat, additque: ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεῦ ζῶντος. Tum illa: στύλος κ. τ. λ. subsequuntur, & ipsa ecclesiæ Christianæ, ut putant, cognomen; quamvis non adiecta explicatione ulla. Quis vero credat, planam illam & apertam denominationem indiguisse declaratione quadam; hanc metaphoricam, nec dubitationis expertem, non item? Quis non potius, quando ἐξήγησις Pauli deficit, quando videt difficultates suboriri, si verba toties nobis recitata referantur ad ecclesiam, quis non ab illis potius initium v. 16. duxerit? Maius est quod secundo loco ponit Noster, & gravius, sed idem omnibus neglectum loci nostri interpretibus. Ecclesia, quam existimant tantopere ornari ab Apostolo, non est illa disiecta per omnem terrarum orbem Christum sectantium multitudo; sed *unicus apud Ephesios coetus*. In hoc ἀναστρέφεσθαι scribit Timotheum. De *repraesentativa* autem loqui Paulum *Ecclesia*, h. e. de Clericis solis, nemini in mentem veniat, cum hanc ecclesiæ formam penitus nesciverint primi illi Christiani. Ast vero Στύλος κ. ἑδραίωμα τ. ἀληθείας dicetur exilis hæc ecclesia, vixdum

dum coacta, legum penuria laborans, & dignitatis prope nullius? Hoc uno animadvertendo, (at illud ſponte attentos in oculos occurrit,) omnis uno velut ictu conficitur, quam adhuc tractavimus, diſceptatio. Primis vero his v. 16. verbis Pag. 337.
longius immorati, de conatu doctorum quorundam, moven- ſqq.
di loco ſuo vocem Θεὸς, breviſſimis dicemus. Anni praeterea vix duo ſunt, quod Theologus Halenſis clariſſimus, S. I. *Baumgarten*, vir in honorem & commoda eccleſiæ noſtræ natus, peculiari ſcripto & doctiſſimo, Vindicias huius vocabuli Θεὸς, felicisſime propugnavit. Etiam Moshemium hoc movit, ut hic vela in dicendo contraheret. Ergo vocem illam ait quinque potiſſimum rationibus defendi: 1) quod eam tanti Codd. habeant; 2) quod primarii Eccleſiæ doctores ad Sec. uſque IV. eam item adprobaverint; 3) quod, demta illa, ſimul lux omnis huic loco detrahi videatur; 4) quod v. 16. adſciſcendum neceſſario ſit unum ex his tribus vocabulum, vel *Deus*, vel *Chriſtus*, vel *filius hominis*; 5) quod facile intelligi poſſit, qui pro Θεὸς librarii ὸς, ac poſtea ὁ ediderint: alterum ex compendio ſcribendi ΘΣ (Θεὸς) fluxit, alterum ex conatu ſermonem Apoſtoli cum legibus Grammatices conciliandi. In hac cauſſa præcipue impugnari *Wetſtenii* temeritatem, facile omnes proſpicient. De eo viro, multis nominibus memorabili, quidni ſententiam Moshemii proferamus? Eſt autem illa talis. *Vidit harum difficultatum* (quæ prove- 339.
niunt ex mutatione τȣ Θεὸς in ὸς vel ὁ) *aliquas Wetſtenius: non omnes. Nam in acutiſſimis quidem cenſendus ille non eſt. Fidem his, quae pono, faciunt ſcripta hominis, inprimisque enarrationes eius in N. Foed. libros, perpetuum illae anguſti ingenii atque impediti, quin hominis legendo & colligendo quam meditando aptioris, documentum.* Ac de tribus prioribus huius Epiſtolæ capitibus hactenus.

Impetrabit autem, credimus, apud æquos lectores veniam, quod de omittendis reliquis prioris epiſtolæ capitibus, imo de tacenda omni Epiſtola poſteriore, cepimus conſilium. Quid enim attinet, exempla interpretationis plura proponere, cum ad comprehendenda ſingula cognitu digna, non rela-

tione opus sit, sed libello peculiari? Laudare velle edisserendo, quæ nisi legendo satis laudari numquam possunt? Hoc tam suave negotium quicunque adgressus fuerit, ille iunctam hic perspicuitati, quanta fingi potest, maximæ, firmam stabilemque veritatem deprehendet; ille Moshemium intelliget, declaranda connexione orationis Apostolicæ, explicandisque, remota adfectatione omni, vocibus plurimum dubitationis habentibus, plus proficere, quam alios summa doctrinæ varietate congerenda; ille eloquentissimo viro etiam quæ possit negare, non tamen velit. Profecto, nisi tu hic, Lector, scriptorem acutum, doctum, candidum atque disertum agnoscas, eum quidem in omni omnis generis scriptorum segete frustra quæsieris.

Atque hic tantus vir, tam insignis doctrinæ & meritorum gloria, gratiaque inter nos excellens singulari, diem nuper obiit (Nonis Septembr. A. 1755.), annos natus sexaginta & unum. Erant sane in eo summa omnia. Ingenium mirifice foecundum, & ad arripienda optima quæque versatile; iudicandi acris & promtissima facultas, felix etiam memoria, inprimisque phantasiæ vis & heuristica præclara. Christianorum historiam sacrorum, inde ab eo tempore, quo illa divini Servatoris beneficio constituta accepimus, ad ætatem usque nostram, qui rectius pleniusque tenuerit Moshemio, qui tractaverit subtilius, fuisse nostra memoria non videtur. Qui de moribus hominis Christiani regundis, præcepta sacri codicis luculentius graviusque edisseruerit, nos item hac tempestate alium ignoravimus. Porro, auspicatis maxime curis diviniora scripta interpretatus est; philosophorum veterum placita penitus cognovit, neque minus eleganter philosophatus ipse est. Certe multas ille, neque vulgares, Græcorum Romanorumque litteras doctus erat. Sed in quo Noster omnes sine dubio huius ætatis Theologos longissime victor post se relinqueret, excellens quædam, quæ in eo erat, in dicendo venustas, copia, atque gravitas, non illa verbis solum spectabilis, sed ore omnique corpore, quamvis pusillo, habebatur. Nam ad oratoris munus, & quasi excelsam dignitatem tuendam,

dam, magis profecto natura factus erat, quam arte qualicumque & exercitatione eruditus. Itaque vere de eo, summoque omnium, qui coram intuiti sunt, (& nos quoque horum in numero fuimus,) adsensu, hoc clari rhetoris usurpamus, sermonem eius ab ipsis fuisse Gratiis fictum, & quod de Pericle veteris Comoediæ testimonium est, in labris eius sedisse quandam persuadendi Deam. Quid nos scripta viri commemoremus? ac ea præsertim, quæ lingua patriæ vulgari exaravit: quibus illa nervis numerisque, quo ornatu, quanta denique gratia, commendentur? Sunt ea omnino clarissimo civium nostrorum iudicio talia, ut qui sermone nostro probabilia conati sunt, eorum imitati fuerint exemplar; qui posthac eodem ore bene atque belle dicere velint, Moshemio ut iis viæ duce opus sit. Sanctissimis autem omni vita moribus, eximiæ ante omnes modestiæ, honestique pudoris, apud doctos laudem retulit. Raro igitur de suis narrans, &, si faceret, leviter atque tenuibus verbis, in alios comis & humanus, tribuens unicuique dignitatem suam lubenter & ultro, nec indigne tulit contradicentes, passusque adeo non refragando est veritatis caussa, quippe pacis & tranquillitatis unus omnium longe studiosissimus. Quibus rebus omnibus intelligitur, quam & vita eius iucunda honestæque laudis plena, nobis mors acerba fuerit. Cuius dulcissimæ nos quidem hoc loco memoriæ, ut erat æquum, quodammodo parentavimus.

CHRIST. EVERH. DE LILLE, MED. DOCT.
Tractatus de Palpitatione cordis, quem præcedit præcisa cordis historia physiologica, cuique pro coronide addita sunt monita quædam generalia, de arteriarum pulsus intermissione.

Zwollæ, 1755. ap. Andream Voyer, pl. 19½. 8.

Postquam eruditissimus Auctor cordis structuræ descriptionem anatomicam, eamque succinctam & accuratam, deinde explicationem physiologicam functio-

num eiusdem quoad motum ipsius, quem a nervis arteriam pulmonarem & aortam inter decurrentibus, & per vices ab iisdem mox pressis, mox vero iterum liberis, dependere assumit, & postmodum locum, situm, cumque aliis partibus connexionem in statu naturali, eleganter exhibuit: ad morbum ipsum, quem describendum sibi sumserat, pergit, & palpitationem cordis definit per *praeter naturam violentam & perquam molestam musculi cordis contractionem, una cum magna resistentia cruoris a corde pulsi, ab inordinato & impetuosiori spirituum vitalium per nervos in fibras cordis influxu, & cruore iusto maiori copia in ventriculos eius impulso, ita, ut manu superimposita pectori, ipse aeger impelli valide cor & pectus extrorsum trudi sentiat.* Palpitatio hæc fit, si quando cerebrum & cerebellum in nimiam liquidi sui expressionem in villos cordis agunt, vel cordis nervi irritantur aut stimulantur, vel denique sive cor ipsum, sive arteriæ eius interius vel exterius sanguine gravantur, premuntur, & obruuntur. Ne autem quis palpitationem cordis cum tremore confundat, utrumque affectum ex causis & signis accurate distinguit Auct. quo facto ipsum morbum sic tractat, ut respiciat primo ad affectum ipsum, deinde ad subiecta, quæ huic præ aliis obnoxia sunt frequentius, tertio ad caussas varias, quæ cor ad palpitationes proritare possunt, & denique ad rationem diversam, qua singulæ id efficiunt. Affectum ipsum considerat vel prout idiopathicus, sympathicus, hereditarius, connatus, adventitius, mitior, gravior, periodicus, continuusve est, vel secundum ea, quæ ipsum antecedunt & concomitantur. Morbo huic valde obnoxii præ ceteris deprehenduntur, qui habitus strictioris & corporis animique sensibilioris, ætate autem iuniores sunt, quique succis turgent, horumque excretiones suppressas vel neglectas patiuntur, & denique illi, quibus thorax contractus est. Causæ hunc morbum producentes, vel intra & circa cor ipsum hærere, vel in partibus a corde magis remotis residere deprehenduntur. Ad priores pertinent polypi, calculi, pili, vermes, excrescentiæ carneæ, osseum quid aut cartilago,

omnia

omnia in cordis vel ſubſtantia, vel cavitatibus, invenienda; poſteriores conſtituunt animi pathemata, paſſio hyſterica & malum hypochondriacum, & cum, & ſine materia dictum, obſtructiones denique quæcunque maiores viſcerum, hinc acria quævis undelibet in ſanguinem deducta, evacuationes ſanguineæ, aliæque conſuetæ, cohibitæ vel neglectæ, lumbrici in ventriculo & inteſtinis ſtabulantes, pectoris hydrops & empyema, aſthma flatulentum & ſpasmodicum, omnesque nimiæ ſanguinis commotiones, quas cauſas morbum hunc produxiſſe, vel propriis, vel fide dignorum virorum experientiis, comprobat. Cum autem non ſufficiat rei hiſtoricam dediſſe deſcriptionem, verum medicum potius deceat modum oſtendiſſe, ut a data cauſa effectus ita nec aliter fiat, utque hic, ſi iam productus eſt, cum ipſa cauſſa vel removeri vel corrigi poſſit: doctiſſ. Auctor ab hac etiam parte ſuo ſatisfacturus officio, utrumque præſtitit, dum ſecundum ordinem cauſarum, mox recenſitarum, & quidem iuxta duas illas, ad quas retulit claſſes, ſingulam morbi indolem ſic pertractavit, ut oſtenderet rationem, qua morbus tum fiat, tum cognoſci, dignoſci, & curari poſſit. Hic denique adnectit huius cauſas, quæ vel in ſolius cordis aut pericardii, vel corporis totius habitu, tum reſpectu ſolidorum, tum fluidorum, conſiſtunt. Tandem monita quædam generalia, de pulſus arteriarum intermisſione ſubiungit, atque illam ab iisdem, quæ cor ad palpitationem ſollicitare poſſunt, cauſis, aſt modo violentius vel diutius agentibus, gigni contendit, præterquam quod pulſus intermittens a defectu ſpirituum & ſanguinis oriri quoque poſſet, palpitatio non item. Ubique *Clariſſ. Auctor*, diligentiæ, in obſervando æque ac legendo, eruditionis haud vulgaris, & ſtyli cultioris documenta edidit, & exempla ſuis Commentationibus ſubiunxit. Poterat in his, uti nobis quidem videtur, egregia multa recenſere, obſervata ſummis quibusque medicis, niſi potiorem theoriæ rationem, quam experientiarum, habere voluiſſet. Sed ſufficiant hæc.

Matheſis

Mathesis forensis: worinne die Rechenkunst, Geometrie, Baukunst, Mechanik, und Hydrostatik, wie auch Chronologie, abgehandelt wird &c.

i. e.

MATHESIS FORENSIS, QUAE ARITHMETICæ, Geometriæ, Architecturæ civilis, Mechanices & Hydrostatices, æque ac Chronologiæ principia theoretica succincte tradit, usumque harum scientiarum practicum, in diiudicandis quamplurimis caussis forensibus, solide commonstrat &c. cum figg. & indice instructissimo, Auctore D. IOAN. FRID. POLAKIO, Iur. & Math. Prof. P. Ord. Facultatis Iuridicæ Assessore in Francofurtana ad Viadrum, Societatis Regiæ Borussicæ scientiarum membro. Editio tertia, diligentissime emendata, multisque novis accessionibus aucta.

Lipsiæ, in bibliopolio Lankisiano, 1756.
4 Alph. 19 plag. & 4½. plag. fig. æn. 4.

De prima huius operis egregii brevi delinatione, An. 1734. in 8. edita, quædam a nobis commemorata *Tomo I. Supplem. ad Nova Acta Sect. IV. p. 153. sqq.* meminimus. Cum autem in editione iam secunda, quæ An. 1740. 4. publicata est, & in hac tertia, pristinum fere mutaverit omnis hic liber habitum: non dubitamus uberius dare iudicium de eo, quid Cel. Auctor præstiterit. Primus ille fuit, neque adhuc alter inventus est, qui, editis de *Medicina forensi* commentariis insignium in ea scientia doctorum motus fuerit, ut eosdem æmulans, principia Matheseos ita exponeret, ut eorum in causſis dicendis eximius pateat usus. Nemo vero negaverit, *Polackium* nostrum ex eo de re litteraria, & de iis inprimis, qui iuri dicundo præsunt, insigniter meritum esse. Facilem illis in *Mathesi forensi* paravit viam, ad dirimendas eas etiam lites, quarum rationes decidendi fundamentis nituntur mathematicis. Cum eiusmodi caussæ, tam in iudiciis inferioribus, æque ac superioribus collegiis, quam in Facultatibus iuridicis & Scabinatibus, admodum sint frequentes,

quentes, ufus huius libri, & neceffitas Mathefi forenfi operam dandi, perfpicue inde adparent.

Libello huic præmiffa eft tractatio præliminaris, de Mathefi forenfi in genere. Ipfum opus quinque abfolvitur fectionibus principalibus, quarum, uti iam titulus prodit, prima *Arithmeticam*, fecunda *Geometriam*, tertia *Architecturam civilem*, quarta *Mechanicam & Hydroftaticam*, quinta *Chronologiam* edocet, Cuiuslibet fectionis duo funt generaliora capita, quorum primum fundamenta tradit *theoretica*, alterum *practica*. Cuiusvis fectionis caput alterum practicum, peculiaribus differtationibus, adplicationem Mathefeos in causfis forenfibus dilucide oftendit.

Ut innotefcat, quæ fint tractata in partibus practicis, breviter ea tanto magis referre lubet, quanto maius iis, qui aut in addifcendis, aut in adplicandis Iurisprudentiæ capitibus funt occupati, fperare licet commodum. Sectionis igitur primæ caput alterum, *de adplicatione Arithmetices in Iurisprudentia*, feptem complectitur differtationes: 1) *de divifionibus iuftitiae in commutativam, diftributivam* &c. quarum nullus plane in iure eft ufus, ad Tit. ff. de Iuft. & Iure: 2) *de divifione hereditatis, computatione legitimae* &c. occafione Titt. ff. de inoff. teft. it. famil. hercifc. atque de hered. inftit. 3) *de computatione hauariae*, ad Tit. ff. ad leg. Rhod. de iactu: 4) *de contractu focietatis*, ad Tit. ff. pro focio: 5) *de computatione graduum affinitatis*, ad Titt. ff. de ritu nuptiar. & de gradibus: 6) *de concurfu creditorum, & de calculo Interufurii*, ad Lib. 42. ff. 7) *de tutela & eius geftae rationibus*, ad Libb. 26. 27. ff. Sectioni primæ adduntur Ge. Bern. Bilfingeri *Appendix de calculo Interufurii*, & Gottfr. Aug. Hoffmanni *Demonftrationes de eodem*. Sectionis fecundæ caput alterum, *ufum fiftens Geometriae in cauffis forenfibus*, fequentia habet: 1) *de fervitutibus itineris, actus, & viae, de divifione* item *infulae in flumine natae*, atque *alvei derelicti*, ad illuftrandos Titt. ff. de fervitut. P. R. it. de adquir. rer. dominio: 2) *de modo fines conftituendi ac diiudicandi*, occaf. Tit. ff. fin. regund. 3) *de divifione praediorum geometrica*, ad Titt. ff. famil. hercifcundæ,

dæ, it. communi divid. 4) *de novo opere, & inquirendo praeiudicio, quod tali facto alteri oritur*, ad Tit. ff. de novi operis nunciat. 5) *de reditibus praediorum aestimandis, ad contractus tam locationis quam venditionis, taxationibus aedificiorum ac praediorum, nec non inspectionibus ocularibus*. Sectionis tertiæ caput practicum, *de adplicanda Architectura civili ad caussas in foro obvenientes*, sistit tractationes: 1) *de servitutibus aedificiis adhaerentibus*, ad Lib. 8. ff. 2) *de muris, an sint cuidam proprii, an pluribus communes:* 3) *de damno ex aedificiis praesertim ruinosis imminente, atque de moenianis*, (Erkern,) *suggrundiis, & aliis proiecturis*, ad Tit. ff. de damno infecto, & de suggrundiis & protectionibus: 4) *de aedificiis ad aemulationem*. Accessit huic sectioni *appendix de aestimandis expensis in aedificium exstruendum faciendis*. Sectionis quartæ caput alterum, *de usu Mechanices atque Hydrostatices in adplicatione ad iuris principia*, agit: 1) *de servitutibus fluminis, aquaeductus, & fossae*, (Canal,) ad Lib. 8. ff. de servitutibus, & Tit. ff. de aqua & aqua pluvia arcenda: 2) *de molis & litibus inde proficiscentibus*. Appendicis nomine *constitutiones quaedam molinariae, & consultationes lites circa rem molinariam exortas componentes*, additæ sunt. *Sectionis quintae caput alterum*, sequentibus tractationibus *usum Chronologiae* ostendit: 1) *in explicandis legibus:* 2) *de computatione anni & diei in iure civili diversa*, ad Tit. ff. de feriis, it. ad mater. præscript. &. usucap. 3) *de Indictione Romana, eiusque usu hodierno in instrumentis Notariorum*. Quædam denique sub finem, ad illustranda problemata nonnulla partis Geometriæ practicæ, comparent.

Parti theoreticae, in secunda iam, & præcipue in nova hac editione, plura accesserunt. *Arithmeticae* initia, permittente & iubente Cl. Auctore, methodo synthetica adhibita, integriora atque perfectiora reddidit I. V. C. solertissimus, *Georgius Fridericus Thiermann*, ipsius Auctoris in præfatione iudicio, non minus in Mathesi, quam in Iuris scientiis versatissimus. Studio & opera ipsius Auctoris, caput de progressione arithmetica, præsertim in æstimandis impensis laboris in altitudinem aut in profundum aucti, e. g. in suscitando & eliciendo fonte, amplificatum est. *Geometriae* theoremata atque

que problemata quædam utilia noviter inserta sunt, inter quæ theorema Pythagoricum, quod vulgo Magister audit Matheseos, & problemata de ratione explorandi magnitudinem triangulorum, commetiendi dolium mensura cubica, præcipua sunt. *Sectioni quartae*, in editione iam secunda, de molis addita est succincta expositio. Prima *Hydrostatices* fundamenta, in novissima editione plane mutata, exemplisque declarata sunt: in secundo eorum theoremate demonstrando usus est Cel. Auctor experientia, qua nituntur *Hermannus* & *Belidor;* ista autem confirmat contrarium eius, quod in demonstratione sua ex Mechanica mutuavit *Lib. Baro a Wolff* in *principiis mathematicis*.

Non minus in *capitibus practicis* permulta sunt suppleta. *Arithmetica* augmentum cepit ex computatione legitimæ in feudis, atque ex eo, quod filiabus, secundum constitutiones Marcæ Brandenburgicæ electoralis & novæ, ex feudis competat. Tractationi quintæ cap. II. Arithmetices additus est modus, quem iudex in distribuendis inter creditores massæ concursus opibus, secundum regulam in sententia classificatoria constitutam, observare debet. In concinnum ordinem eum redegit, exemplo, & distributionis schedulæ forma adiectis, optime illustravit, laudatus nobis *Thiermannus*. In *Geometriae* capitis secundi tractatione quinta, materia de reditibus prædiorum magis est amplificata; novo etiam exemplo prædii alicuius redituum ideo addito, ut de pretio eius constet. *Architectura* quoque *civilis*, in appendice, circa mercedem opificum est adaucta, novumque exemplum conspectus ædificii alicuius exstruendi editum. *Mechanicae* iam in editione secunda, circa molas litesque inde manantes, multa quam maxime necessaria accesserunt. In *Chronologia* autem nihil fere immutatum est, si exceperis pleniorem notitiam eorum Scriptorum, qui usum Chronologiæ in interpretandis legibus, præcipue Romanis, scriptis suis comprobarunt, hacque via ipsi incedentes, legibus magnam lucem affuderunt.

Quantopere autem novissima editio anteriori præstet, vel ex eo intelligitur, quod Cl. Auctor nos monet, illam non

tam novis supplementis adauctam, quam correctam atque emendatam plane esse. Maior quam antea perspicuitas stili ubivis observatur. Assiduam diligentiam & curam, in emendanda atque corrigenda nova hac editione, adhibuit *Thiermannus*, praeclaris ideo laudibus ab Auctore Cl. in praefatione cumulatus. Enixe ille, ut accuratissime omnia, signa tam & termini, quam numeri, quantum fieri potuit, typis exscriberentur, curavit; indiceque uberrimo confecto, usum huius libri lectoribus faciliorem & magis gratum reddidit. Nova plane, facillimaque ratione, iste etiam in Additione prima ostendit, quomodo insula in flumine nata, ex dispositione legum Romanarum, absque omni necessitate eius magnitudinem mensura explorandi, inter accolentes distribuatur. Non testimoniis solummodo Cl. Auctoris innixi, sed ipsis editis speciminibus convincimur, iuvenem hunc optimae esse spei. Et cum nemo adhuc nobis innotuerit, si forte quis esset, qui modum insulae dividendae, cuiuscunque sit corporis & figurae, tam planum, omnibusque evenientibus casibus aptum, publice ediderit: minime dubitamus gratum fore, si integrum heic exhibeamus.

Inter praestantissima alia, a saepius laudato Cl. Auctore in utilissimo hocce libello tractata, eminere nobis videtur doctrina *de calculo Interusurii.* Inde quoque vidimus, ingenuis eum accensendum esse eruditis. Nam cum in prima delineatione, *G. G. L. Meditationem iuridico-mathematicam de Interusurio simplice*, Actis nostris An. 1683. p. 425. seqq. insertam, non ex mente ipsius *Leibnitzii* interpretatus, sed sententiam celebrium ICtorum secutus esset, qui rem acu minus tetigerunt; in secunda editione ingenue professus est, se in ea re errore abductum fuisse. Ita neque dubitavit, *Bilfingeri*, Professoris tunc in academia Tubingensi acutissimi, super hac re transscripta sibi monita, libro suo An. 1740. iterum excuso appendicis loco inserere, quamvis a sententia *illius & Leibnitzii* in calculo ipso recederet, de quo rationes adduxit sufficientes. Sequitur Auctor noster calculum a *Gottfr. Aug. Hoffmanno* in prima parte libri, qui inscribitur Haushaltungskunst, publici

iuris

iuris factum, siquidem ita ille est comparatus, ut legibus Romanis, apud Germanos in materia usurarum receptis, satisfaciat: minime autem est a partibus *Leibnitzii*, qui usuras usurarum, a momento in momentum, computat in calculo suo, qui fortasse in statu quidem naturali adplicari possit, in statu autem civili non habet locum. Solertius in calculum Interusurii inquisivit Auctor noster *Hoffmanno*, qui neglexit modum computandi Interusurium in emtionibus in diem factis, quae frequentes admodum sunt in subhastationibus. Quem cum solide & accuratissime edocuerit *Polackius* V. Cl. omnes, qui hucusque calculum Interusurii explicandum sibi sumserunt, longe superavit. Maior inde rei iudiciariae profluet utilitas, quam ex constituto calculo, quantum Interusurii nomine subducendum sit a summa ad certum tempus una solvenda, si ea anticipetur. Multum de Interusurii calculo inter homines eruditos fuit disceptatum. *Hoffmanni* de eo demonstrationes, contra *Clausbergium* inprimis scriptas olim, separatim excusas, suo inseruit tractatui Cl. *Polackius*. Nondum conveniunt inter se, qui hac de re scripserunt. Non ita pridem *Programma pro iustitia calculi Interusurii Leibnitziani* edidit *Abrah. Gotthelf Kaestner*, Professor Mathematum tunc in academia nostra, nunc Goettingensium, celeberrimus. Quum saepius eveniat casus, ubi calculus Interusurii est subducendus, exoptandum omnino est, eam controversiam firmis tandem stabiliri principiis.

RATIO INSULAM IN FLUMINE NATAM secundum dispositionem Iuris Romani inter accolentes dividendi. Auctore GEORGIO FRIDERICO THIERMANN,

I. V. C. Bonsideliensi Franco.


De insula in flumine nata, quo modo sit inter eos, qui flumen ab utraque parte accolunt, dividenda, Ius Romanum ista habet l. 7. §. 3. ff. *de adquir. rer. domin.*

Insula in flumine nata, si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo latitudinis cuiusque praedii, quae latitudo prope ripam sit: quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident.

Quae *Tribonianus* totidem fere verbis transtulit in *§. 22. Inst. de rer. divis.* Prima, si vim atque sententiam legis assequi studemus, in dividenda insula cura nobis erit, ut inquiramus, utrum ea mediam fluminis partem teneat, i. e. medium fluminis utrinque excedat, an illa alteri parti seu ripæ proximior sit, i. e. medium non excedat fluminis. De eo quidem, quo modo id mensurando perscrutemur, ICti Romani minus fuerunt solliciti. At rationem universalem ex duobus istis insulæ dividendæ casibus, lege cit. determinatis, colligere licet. Ex illis enim apparet, medium fluminis eum esse terminum, quo definitur, utrius insula sit, aut quanta eius ad utrumque pars pertineat. Id quod non nisi per lineam, iuxta decursum fluminis, supra insulam, aut ex illius regione, ita transductam, ut quælibet eius pars, seu, ut Mathematicorum vocabulo utar, quodvis eius punctum, ab utraque ripa æquali spatio distet, exacte indagari poterit. Quia autem plerumque fluvii in linea recta non decurrunt, sed sæpius cursu deflectunt, linea illa per medium transducta non esse poterit una, sed tot rectæ, quot modis utraque fluminis ripa deflexa. Præterea, cum non eadem ubivis fluminis sit latitudo, inveniendæ partis in illo mediæ, facillima & aptissima ratio hæc erit. Iuxta alterutram fluminis ripam, e regionibus insulæ secundum lon-

Tab. V. gitudinem extremis, defigantur baculi in *a* & *g*, æquali ab alveo distantia, nec non ex altera ripæ parte in *b* & *h*, eadem qua *a* & *g* ab alveo distantia, ita, ut si ex *a* in *b* & *g* collineès, ad *a* formetur angulus rectus. Idem fiat ex *g*, & ibi etiam constructo angulo recto, ducatur ab *a* ad *g* linea subsidiaria recta, ad quam *ab* & *gh* sint perpendiculares. Erigantur porro supra insulam, ab altera ripa ad alteram, tot perpendiculares ad *ag*, quot aut flexibus decurrit flumen, aut quot modis

TAB. V. ad Nov. Act. Erud. 414. seqq.



modis ipsius alveus vel explicatur vel contrahitur, & quoties insulæ corpus ita formatum est, ut aliquo loco medium fluminis non excedat, uti in figura nostra per lineas *cd* & *ef*, factum est, quarum quæque ab altera ripa eadem alveum longitudine excedat, qua ab altera parte alveum ad subsidiariam *a g* excurrit. Lineæ *ab*, *cd*, *ef*, & *gh*, continent latitudinem alvei, quam ille in diversis regionibus habet, nec non longitudinem linearum alveum excurrentium, utrinque sibi æqualium. Invento igitur medio earum linearum puncto, habebis quoque partem in ipso flumine mediam. Detractis enim æqualibus ab æqualibus, remanent æqualia, uti ex princip. Arithmet. liquet. Medium istud punctum, si accessu difficile sit, per triangula invenire licebit. Assumta e. g. basi ab *a* arbitrariæ longitudinis ad *c*, & constructo triangulo rectangulo *a b c*, latus *a b* erit latitudo fluminis cum longitudine illa, qua linea *a b* alveum utrinque æqualibus partibus ab *i* ad *a*, & a *k* ad *b* excedit. Dimidiam lineæ *a b* partem explorabis triangulo, cuius basis *a l* est dimidium baseos *a c*, anguli autem ad basin æquales sunt angulis ad basin trianguli maioris. Ubi linea ex *l* transducta, lineam *a b* in *o* tanget, ibi erit illius, & ipsius fluminis medium punctum. Quæ clare patent ex princip. Geometr. Cum enim per constructionem triangulorum $ao = bo$, porro $ao = io + ai$, & $bo = ko + bk$, ai autem $= bk$, ergo $io = ko$. Itaque *o* est medium punctum latitudinis alvei, ab altero extremo ad lineam *a b*. Hoc toties repetito, quoties latitudo fluminis lineis est explorata, habebis in exemplo nostro media latitudinis alvei puncta, in *o*, *u*, *x*, & *y*. Ab uno medio puncto ad alterum proximum, producantur lineæ rectæ, ab *o* ad *u*, ab *u* ad *x*, ab *x* ad *y*. Lineæ itaque *ou*, *ux*, *xy* continuæ, nisi linea dicenda est potius, aut terminum constituunt, quo bifariam insula regionibus dividitur, & utrobique fines adeo præscribuntur, aut designant, insulam inter eos tantum, quibus ab una parte prope ripam prædia sunt, esse distribuendam. Quo facto, absque ullo negotio, divisio insulæ inter eos, qui aut ab una, aut ab utraque fluminis parte, prædia habent, fieri poterit. Ait lex supra excitata, *insulam, si mediam*

diam partem fluminis teneat, communem esse eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo latitudinis cuiusque praedii, quae prope ripam sit: quod si autem alteri parti proximior sit, eorum esse tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident. Hoc quale sit, planius intelligi potest ex *l. 29. §. 3. ff. de adquir. rer. domin.*

Inter eos, qui secundum unam ripam praedia habent, insula in flumine nata, non pro indiviso communis fit, sed regionibus quoque divisis: quantum enim ante cuiusque eorum ripam est, tantum, veluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in ea habebit, certis regionibus.

Igitur, si prædia secundum unam ripam plura sunt, insula divisionem tot aliis quibusdam regionibus in latitudinem recipit, quot contra fundi sunt ad ripam proiecti. Unaquæque autem regio latitudinem habere debet eandem, quæ cuiusque fundi prope ripam, sive ad oram fluminis dicas, deprehenditur. Eam regionis latitudinem pro modo fundi quæ sit, posteaquam linea illa per partem fluminis mediam est ducta, facili negotio designabis. Ab utroque limite, qui agrum in eius fronte, seu ad ripam, definiunt, lineæ in directum lineis *ab*, *cd*, *ef*, *gh*, parallelæ, ad mediam vel medias *ou*, *ux*, *xy* traducantur, quæ ad subsidiariam *a g* productæ, perpendiculariter illi insisterent, id quod etiam in media ista, si ab *o* ad *y* una tantum esset recta, obtineret. In exemplo itaque figuræ nostræ, ii, qui ab una parte prope ripam prædia habent, & quidem *Iavolenus* nullam plane insulæ partem, *Modestinus* regionem signatam *M*, *Neratius* regionem *N*, *Labeo* regionem *L*, ii autem, qui ab altera parte prope ripam fundos possident, *Caius* nempe regionem *C*, *Sempronius* regionem *S*, *Ulpianus* regionem *V*, *Titius* denique regionem *T* signatam, acciperent.

Hanc esse legum Romanarum sententiam veram & apertam, ne illi quidem negare poterunt, qui alia omnia hucusque statuerunt. Sentient expediri se multis difficultatibus, quibus obstructa est altera illa minus quidem apta ratio. Ut mensura insulæ magnitudo exploretur, eo certius supersedere nos posse confidimus, quod insulæ vel per alluvionem aliquid accrescit,

vel

vel vis fluminis partem aliquam ipſi detrahit: præterea ex ſenſu legum nunquam inſula accurate dividi poterit, ſi menſuræ ratio habeatur. Si deſcribere in charta inſulam velis, exacte illud peragere non poteris, niſi eius ab utraque ripa ubivis diſtantia ſit cognita, quam modo iam demonſtrato facile denotabis. Ne quid dicam, quo iure, quaque iniuria, tantundem ſingulis partes aſſignentur. Quod multo ſecus eſt: ut mirari nos ſubeat, qui latere illos legum Romanarum ſententia tam facilis potuerit, quæ iure optimo, ſed etiam æquitate ſumma nititur. Sed nec illud coniectura aſſequimur, quid ſit, quod tantopere inter ſe de fronte agri diſſideant. In verbis enim legum obſcuri nihil eſt. Aut iis tenebræ ſunt, ubi clare admodum cernunt alii. Porro hæc, qua inſulam dividi Ius Romanum ſapienter præcipit, ratio, univerſalis, & quodammodo abſoluta eſt, quæ valet in omnibus omnino inſulis, qualicunque fluminis tractu atque fluxu, & quibuscunque tandem corporum velut figuris illæ ſitæ ſint. Dicat aliquis: in quem privati uſum iſta convertimus? nam principes in eiusmodi poſſesſionem inſulæ, quæ publica cenſetur, veniunt. Nos vero, quæ propoſuimus, non, quaſi omnino neceſſaria eſſent, ſed doctrinæ cauſſa diſputavimus. Quanquam nos non fugiat, nonnullis in locis Germaniæ, præſertim in Suevia, forte & alibi, uti exemplis & conſtitutionibus hac de re extantibus, a Cl. D. *Ioh. Frid. Polackio* in *Matheſ. forenſ. Sect. II. Cap. 2. Tract. I. §. 45. p. 219. edit.* a nobis paucis retro plagulis declaratæ, & alibi edocemur, hoc inſulæ dividendi ius etiam inter privatos obtinere. Deinde non eſt dubium, quin uſus in Iure publ. vel gentium potius, appareat. Verbi cauſſa, ſi quis ab altero populus flumine ſeparetur, quo in flumine naſcatur inſula: nullam uterque populus, aut ambo principes, hac dividendæ ex æquo & bono inſulæ commodiorem ſequi rationem poterunt. Conf. hac de re Cel. *Ioh. Iac. Moſer*, in *Comp. Iur. publ. L. IV. c. 20. §. 19. p. 551. edit. An. 1748.* Quæ tamen ibi profert, maxime de fluminibus maioribus, uti Rheno, & in Saxonia Albi, ſunt intelligenda. Doctrinam Iuris Romani, de inſulis in flumine natis, quid circa eas iuſtum

 ſit,

ſit, uberius & apte admodum exponit, caſibusque ſingularibus probe illuſtrat, præclarus interpres, *Arnold. Vinnius* in *Comment. ad §. 22. Inſt. de rer. diviſ.* item *Bergerus* in *Oecon. Iur. L. II. T. II. §. 15. n. 4. & not. 1. 2.*

SYMBOLAE LITTERARIAE, OPUSCULA VAria philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numismata, gemmas, & monumenta medii aevi, nunc primum edita, complectentes. Volumen III, ornatum Tab. V. aere, aliisque pluribus buxo inciſis.

Florentiæ, 1749. 16 plag. in 8.

Quod in illuſtrandis veterum gentilium monimentis adhuc poſuit indefeſſum ac nobile ſtudium, in poſterum maximam partem edendis Antiquitatibus Chriſtianorum impendere conſtituit Cel. *Gorius*. Atque hanc viam ingreſſus eſt, edito tertio Volumine ſymbolarum, quo non niſi eiusmodi monimenta ſacra continentur & explicantur. In præfatione huius Voluminis, ſpem *Martyrologii Lapidarii*, e ſepulchrorum & cryptarum titulis eruendi edendique, fecit laudatus *Gorius*, Martyrologium Romanum hac ratione inſigniter aucturus. Nos Viro doctiſſ. auctores ſumus, ſi coepta perſequi velit, ut per Italiam, in primis Romam, iter faciat ipſe, lapides inſpectum ac deſcriptum, quo marmora Chriſtianorum veterum ſine mendis & accuratius edita habeamus, quam quidem ab *Aringhio, Boldetto, Bottario*, aliisque Romæ ſubterraneæ editoribus, factum. Proluſionem Gorianam excipiunt *Anſelmi Coſtadoni*, Veneti, Monachi Ordinis S. Benedicti, e congregatione Camaldulenſi, ac eiusdem Monaſterii Bibliothecarii, *Obſervationes in graecam pervetuſtam iconem ligni SS. crucis, in monaſterio S. Michaelis de Mariano adſervatam, ad ampliſſimum Senatorem Flaminium Cornelium*. In medio tabulæ huius eburneæ, cuius deſcriptionem cum ectypo
Pag. 7. ære inciſo cap. I. dedit Rev. Auctor, ab artifice græco anaglypho opere ſculpta eſt crux, in qua repoſita dicitur particula ligni, ex quo Optimus Salvator noſter pependerit.

Iuxta

Iuxta crucem, a dextris Constantinus M. a sinistris Helena Augusta conspiciuntur, quorum nomina adiecta inscriptio græca, eademque perpendiculariter exarata, declarat. In explicando digrammate Ⓐ quod voci *Constantinus* præpositum, multus in primis est Cl. Auctor cap. II. Putaverat initio, græcum cælatorem, quum lineola transversa inclusæ litteræ A pæne invisibilis sit, signum triangulare pro spiritu articuli O sculpsisse, quemadmodum etiam in antiquis Codicibus MSS. Bibliothecæ Venetæ S. Marci animadverterat: postea vero, mutata ea opinione, rectius contendit, littera A Ἅγιον denotari, ut adeo Ⓐ explicandum videatur Ὁ Ἅγιος; id quod auctoritate veterum Codicum, numorum, & operum musivorum, egregie confirmatur. Hac ratione Cl. Auctori præbetur occasio, tum de titulo ὁ Ἅγιος generatim, tum etiam de cultu Constantini M. cap. III. differendi.
Ecclesia orientalis Constantinum cum Helena Augusta, com- Pag. 15.
muni consensu, in sanctorum numero reposuit, cultu utrique tributo, ut ex Menæis & Menologiis græcis, ad d. XXI. Maii, vel maxime apparet: latina vero ecclesia illum fastis sanctorum adscribere hucusque recusavit, ob Arianismi notam, quam ei inusserunt Hieronymus, Lucifer Calaritanus, aliique; quamvis vestigia cultus Constantini deprehendantur in Anglia, ubi vulgo ortus creditur. Argumentum sanctitatis Con- 20.
stantini, a nimbo ductum, qui caput eius in icone circumstat, cap. IV. infirmatur, siquidem Imperatores, aliosque viros illustres, haud quaquam vero sanctos, hac nota cohonestare consueverant Romani, teste *Servio in Aeneid. III. 590.* Præterea quatuor prioribus a C. N. sæculis, usum nimbi, ad or- 21.
nandas sanctorum imagines, Cl. Auctor vindicare studet ex monimentis superstitibus vetustis, sed perquam rarum fuisse; Sæc. vero V. frequentiorem fieri coepisse, ac tandem post tempora Iconomachorum, præcipue post mortem Theophili Imperatoris, a. 842. restituto per Theodoram Augustam imaginum cultu, ad sanctorum imagines reservatum fuisse, ait. Hinc nonnisi rarissime, & ex adulatione artificum duntaxat, nimbo redimitas cerni effigies Imperatorum subsequen-

tis ætatis. Corona, qua Conſtantinus in icone decoratur,
Pag. 26. Cl. Auctori cap. V. videtur eſſe camalcucium, ſimile ei, quo Iuſtinianus uſus eſt, quod Procopius κατ' ἐξοχὴν *Iuſtinianeum* nominavit. Auctor quidem Chronici Paſchalis ſeu Alexandrini, ac Cedrenus, diadematis inventionem & uſum Conſtantino adſcribunt; ſed verba eorum de camaleucio proprie intelligenda ſunt, quum Imperatores iam ante Conſtantinum diadema geſtaverint. Trabea, quam Conſtantinus in ico-
29. ne indutus eſt, erudite cap. VI. expoſita, Cl. Auctor ad map-
31. pam, illud conſulare inſigne, cap. VII. progreditur, manibus Conſtantini & Helenæ inditam. Apoſtolos quoque, aliosque Sanctos, immo ipſum Salvatorem noſtrum, eiusmodi volumen, quod fortaſſe Evangeliorum librum denotet, læva manu ferentes, conſpici in antiquis monimentis, a Ciampinio editis, adnotat. Præter mappam, manibus Imperatoris globum & ſceptrum indere, quum cælatori iconis minus conveniens videretur, inſignia hæc imperialia poſuit in manibus angelorum, in margine adſtantium. Pictoribus quippe frequens mos fuit, ea quæ in tabulis abſque confuſione deſcribere non poſſent, in ornamentis adiicere. Cum eruditionis appa-
34. ratu Cl. *Coſtadonus* cap. VIII. commentatur ſuper globo Imperiali, qui mox nudus, ut in hac icone, mox ita, præſertim in numis, conſpicitur, ut ſuper eum vel Victoriola, lauream coronam Imperatori porrigens, vel crucicula emineat. Primus, qui in Byzantinis numis, erecta cruce parvula ſupra globum uſus, apparet Valentinianus, apud Nicæam Imperator adlectus a. 364. Sæc. vero VI. frequentior coepit eſſe uſus globorum crucigerorum in Byzantinis numis. Quatuor Evangeliſtarum ſymbola in angulis extremis iconis, ſub animalium Ezechielis ſpecie exſtant, quibus ſimillimæ imagines in antiquis operibus teſſellatis, a Ciampinio editis, repræſen-
40. tantur. Quapropter Cl. Auctor cap. IX. in exterum vulgus invehitur, quod Venetorum Leonem alatum, nimboque redimitum, ludibrio habeat. Scilicet ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ ritu, ſymbolicum animal Marci Evangeliſtæ, Venetæ reip. patroni, hac eadem forma pictum fuiſſe, variis ex operibus perantia-

antiquis musivis evincitur. Dissertationi denique Costadoniæ cap. X. obiicitur forma crucis, cuius stipes duplici ligno Pag. 44.
decussatus est, uti in icone spectatur. Eiusmodi crux dicitur vulgo *Patriarchalis* seu *Hierosolymitana*, quippe Hierosolymitanis aliisque Patriarchis gestari solita. Crucem ita auxerunt Patriarchæ, ex mente Auctoris nostri, ut ab aliis inferioribus Episcopis semet distinguerent. Nec minus hæc gemina crux nuncupatur *Apostolica* a Scriptoribus Rerum Hungaricarum, quippe qui huiuscemodi crucem, tamquam Apostolatus insigne, una cum corona a Pontifice Romano transmissam Stephano, Hungarorum regi & Apostolo, commemorant, potestate ei data, ad posteros reges illam transferendi, veluti Apostolica legatione effulgentes. Geminæ crucis formam primum reperit Cl. Auctor in numis Leonis Isaurici. Explicato 48.
monimento suo, in ætatem eius diligentius cap. XI. inquirit, & ex imaginibus duriusculis ac rudibus, nec non litteris quadratis & rotundis, in eo obviis, antiquitatem eius probare studet. Speciatim vero id sæculo X. adscribere nullus dubitat, quum schemata huius tabulæ simillima sint iis, quæ aliis in monimentis dicti Sæculi, præcipue in Menologio Basilii Porphyrogennetæ, ceteris Menologiis præstantiori, conspiciuntur. Verus huius Menologii auctor, variis ex rationibus, statuitur Imp. Basilius iunior, adversus Baronium, qui ad A. 886. Basilio Macedoni id tribuit. Quæ Cl. Auctor, sub fi- 51. sq.
nem Dissertationis, de mirabili iconis translatione in Monasterium Murianense Venetum, & cultu & miraculis portionis S. Crucis in icone reconditæ, ac de multiplicatione enormi huius S. ligni, per totum quasi orbem facta, tradidit, merito omittimus, quippe pro vulgo credulorum scripta. Ceteroqui observationibus distincta est hæc Diatribe, quibus eximia Cl. Auctoris notitia rerum antiquarum, præsertim Byzantinarum, proditur. Dissertationi Costadoniæ adiectum est opusculum, quod inscribitur: *Crux e vitali ligno Sanctae Crucis, in qua sculptus Iesus Christus Nazarenus, capite mitrato, quae adservatur in thesauro Basilicae Baptisterii Florentini, Commentario illustrata ab* Antonio Francisco Gorio, *eidem Basilicae Prae-*

 posito.

poſito. Præſtantiſſimus huius opuſculi Auctor, de patria ſua, æque ac de omni re litteraria, optime promeritus, cui Florentia grata ſtatuam honoris cauſſa poneret oppido dignus, quamvis tot tantisque præclaris ingenii monimentis editis iam immortalis ſit, cimelia ſacra Baſilicæ Baptiſterii Florentini, cuius præſidio cum ſummo honore fungitur, edere atque illuſtrare aggreditur, ex quibus in medium profert pervetuſtam crucem, quam e ligno crucis dominicæ confectam nobis perſuadere conatur. Anaglypho opere, mox depreſſiori, mox eminentiori, ſed admodum rudi, ſculptus in ea cernitur Chriſtus, quatuor clavis adfixus, ab umbilico pæne ad genua uſque femorale ſeu ſubligaculum indutus, &, quod maxime commemorandum eſt, mitra ſeu tiara pontificia ornatus. Monimentum illud, cuius altitudo paullulum excedit uncias quatuor pedis Romani antiqui, latitudo vero tres uncias æquat, craſſitudo quo-
Pag. 82- quoverſus unciam fere unam complectitur, a Cel. *Gorio*
101. prioribus Diſſertationis huius capitibus copioſius deſcribitur, & imago in æs inciſa repræſentatur. Primis quatuor a C. N. ſæculis haud obtinuiſſe morem, in picturis, vel ſculpturis, Chriſtum cruci adfixum repræſentandi, variis ex rationibus, & illis quidem valde probabilibus, ingenue fatetur eru-
102. ſeq. ditiſſimus Auctor cap. V. confutata eorum ſententia, qui ex verbis Paulli: κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, ἐσταυρωμένος, ad *Gal. III*, 1. ſimile quid exſculpere anniſi ſunt. Symbolicis tamen imaginibus, Chriſtum, vel ſub ſpecie *Paſtoris boni*, vel *Agni immaculati*, vel *Evangeliorum voluminis*, vel *Monogrammatis*, proponendi, primævos Chriſtianos omnino fuiſſe uſos, evincere ſtudet ex vitreis eorum pateris & vaſculis, lucernis, ſarcophagis, ſepulcris, tribunalibus Eccleſiarum antiquis, triumphalibus arcubus, muſivo opere pictis, ingenti copia a *Ciampinio in Vet. moniment.* editis. Invehitur propterea *Gorius* noſter in *Sam. Baſnagium*, qui eiusmodi argumenta *vitrea* dixerit, & ornamenti tantum gratia picturas ſculpturasve vitreis calicibus & pateris olim additas, adeoque ſacrarum imaginum numero eiiciendas eſſe adfirmaverit. Nos quidem medii ſumus, & neutrius partis ſtudioſi: putamus

tamus tamen, Ven. *Gorium* nondum ſatis probaſſe, quod imagines iſtæ adorationi & cultui fidelium, in ſacris veterum Chriſtianorum ſynaxibus, expoſitæ fuerint; hoc enim eſt, quod *Basnagius* cum ratione negaſſe videtur. Lectu vero ſane quam digniſſima, quæ cap. VI. de monogrammate Chri- Pag. 120.
ſti, referente eius nomen & crucem, itemque cap. VII. de 135.
ritu pervetuſto, elevandi, & in ſublimioribus Eccleſiarum locis, nempe triumphalibus arcubus, apſidibus, tribunalibus, thronis, ac Ciboriorum verticibus, glorioſa monogrammata iſta ponendi, haud ſine ſuffragio veterum monimentorum allata ſunt. Ex locupletiſſimis Adverſariis ſuis quum porro Cel. *Gorius* cap. VIII. ea ſupplevit, quæ Auctores de Cruce par- 151.
tim prætermiſerunt, partim non ſatis accurate expoſuerunt, ad imagines crucis cum Chriſto ſuſpenſo propius accedit cap. IX. quarum veſtigia, vergente demum Sæc. VII. & ineunte 172.
VIII. invenire potuit. Neque tamen ante Sæc. XI. imagines Chriſti cruci adfixi opere anaglypho elaborari coeptas, ſed graphio duntaxat cælatas, vel pictas eſſe, primus fortaſſe obſervat doctiſſimus Auctor. Tandem in cauſſam, quamobrem in monimento ſuo, quod illuſtrandum ſuſcepit, mitrato capite ſculptus ſit Chriſtus, cap. X. inquirit, veroſimillime coniiciens, 191.
Redemtorem noſtrum, tamquam Sacerdotem & Pontificem Eccleſiæ ſummum, ita fuiſſe adumbratum. Quæ hac occaſione de *mitra*, Pontificis inſigni, eiusque varia forma & ornatu, ſecundum ſeriem temporum, tradidit, rerum antiquarum ſtudioſo non poſſunt non eſſe iucundiſſima. Tertio ſymbolarum volumini coronidem imponit Paulli Mariæ Paciaudii, *Cler. Reg. Presbyteri, de veteri Chriſti crucifixi ſigno, & antiquis Crucibus, quae Ravennae ſunt, Diatribe, cui accedunt monumenta alia nondum edita.* Antiquiſſimam Crucem Ravennatem, cum adpenſa imagine Chriſti, panno lineo contecta, §. 1. deſcripſit Cl. Auctor. Neque tamen crux 112.
hæc eſt *immiſſa*, nec *commiſſa*, nec *decuſſata*, ſed lignum bifidum & furcatum, quod figuram litteræ Υ repræſentat. Hanc enim veram veteris furcæ ſpeciem fuiſſe putat, quam ſubobſcure definivit Suidas: Φοῦρκα παρὰ Ῥωμαίοις ξύλον διδυμον. Mirum eſt, Lipſium dixiſſe, furcæ formam in veterum

terum ſcriptis parum dilucide traditam: fugiſſe eum videtur locus *Varronis de L. L.* IV. ubi de vallo, *quod extrema bacilla furcillata figuram habeant litterae* Υ. Plus firmamenti ſententiæ ſuæ ex aliquot Plutarchi locis dedit Cl. Auctor, confutatis iis, qui furcæ ſpeciem ad litteram Π conſtituerunt. Furcam quoque pro crucis genere habet, ac ſervos fugitivos, latrones, ſicarios, alioſque ex fæce plebis morte damnatos, non modo illam ad locum ſupplicii deportare debuiſſe, ſed in illa ipſa furca, veluti huic fini aptiſſima, etiam ſuffixos fuiſſe, opinatur, auctoritate potiſſimum Calliſtrati ICti *l. 28. §. 15. D. de poen.* ſuffultus. Per iniuriam itaque *Raevardo* & *Schultingio* vapulat *Tribonianus*, quod in excitata lege pro *cruce* poſuerit *furcam.* In idem crucis genus ipſum Salvatorem noſtrum fuiſſe actum, ad maiorem ei inurendam infamiam, inſuper coniicit Cel. *Paciaudius*, additque, quoſdam Aſcetas ſcripſiſſe, crucem Chriſti in hunc modum fuiſſe conformatam, ut vaticinium impleretur: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Nec ſententiæ ſuæ obverti poſſe credit Cl. Auctor noſter, quod crucem in littera T præſignaverit divinus vates, Ezechiel. Sat enim eſt, ſi ſymbola aliquid ſimilitudinis præ ſe ferant. Equidem nos putamus, ſub ſigno *Ezech. IX. 4.* eodemque haud definito, nequaquam eſſe figuratam crucem Chriſti; ſententiam quoque Paciaudianam ſuper forma crucis Chriſti, aliis rationibus veroſimiliorem reddi poſſe: niſi forte quis exiſtimet, eam conciliatu difficilem eſſe cum *Matth. XXVII. 37.* Denique adnotat Cl. Auctor, crucem hanc Ravennatem eſſe ſine ligno arrectario, quo cruciarii quaſi vectabantur & inſidebant, atque etiam ſine ſuppedaneo, quod plerumque eſt commentum ſequioris ævi. De huius ſimulacri ætate vero, quod multa iam tulit ſæcula, nihil certi ſtatuere audet. Reliqua crucis ſimulacra, ut & antiquitatis monimenta profana, quæ Ravennæ & in vicinia exſtant, haud minus eleganter quam docte deſcripſit & explicavit Cel. *Paciaudius*, ex quibus pro ſpecimine adferimus gemmam, quæ exſtat Ravennæ in ſacrario S. Vitalis. Gemma, quæ ex veteri encauſto bicolori eſt, cinctum quadrinodem & ma-

num

num repræsentat, auriculæ summis digitis attrectantem & vellentem, cum lemmate: ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ ΜΟΥ. Similem in *Museo Florentino Tab. XXII. 1. 2.* prolatam Ven. *Gorius* ita explicaverat: *adhortatio est ad amasium, amasiamve, ut mutui amoris recordaretur.* Cupidinem vero, Deorum natu minimum, negotiis suis ritum vellendi aurem accommodasse, negat Cl. *Paciaudius*, gemmamque potius referre asserit pestiferum illud veterum dogma, & perditissimum morem, quo mortis memoria sese ad voluptates excitabant, & huius recordatione in Venerem & Bacchum fiebant effusiores. *Virgilius* sub finem poematii, quod *Copa Syrisca* inscribitur:

Pone merum & talos; pereat, qui crastina curat;
Mors, aurem vellens: vivite, ait, venio.

Cinctus vero quadrinodis Cl. Auctori ἀφροδίσιον σχῆμα, & fortasse fascinus esse videtur, quo in re amatoria veteres turpissime usi sunt. *Tibull. I. 9.*

Ipsa Venus, magico religatum brachia nodo,
Perdocuit multis non sine verberibus.

ORATORUM ET RHETORUM GRAECORUM, quibus statuae honoris caussa positae fuerunt, decas, edit a a FRID. GOTTHILF FREYTAG, I. C. & Societ. Ienens. Lat. pariter atque Teuton. Collega honorar.

Lipsiæ, sumtibus hered. Lankisianorum, 1752. in 8. pl. 4½.

Tantum quod Auctor doctissimus *analectis suis litterariis* orbi erudito coeperat innotescere, Eminentissimus nuper R. E. Purpuratus *Quirinus*, qui quicquid ubique ingeniorum est, liberaliter amplectebatur prolixeque fovebat, voluntatem ipsi suam litteris, humanissime scriptis, peramanter significavit. Cui Viro summo ut gratias, quas deberet, ageret, hanc oratorum, positis statuis quodam tempore cultorum, *decadem*, ab se collectam, in eius nomine apparere voluit. Totius vero disputationis summa quæ sit, ex indice illius intelligi facile potest. Quum uni nempe oratores ita quondam in laude §. 1.

omnium ac prædicatione, vivi adhuc ſpirantesque, eſſent,
quod ne poetis quidem, ſaltem horum pauciſſimis, contigit;
atque ipſa eloquentia, aiente *Pacuvio* apud Cic. L. II. de
§. 3. orat. c. 44. *flexanima* haberetur, & *omnium rerum regina:* utriſ-
que maxima erant expoſita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes,
vel ad dignitatem. Cuius generis erant inſignes *tituli, ſti-*
4. *pendia, acclamationes, plauſus, coronae, ſigna, ſtatuae.* Atque
illa quidem quum ab aliis iam diligenter pertractata ſint, ut a
Cl. Gruſaeo de Boze in academiæ regiæ inſcriptionum commen-
tariis & S. R. *Io. Georg. Walchio in diatriba de praemiis veterum
Sophiſtarum, Rhetorum, atque Oratorum*, Ien. 1718. aliisque:
5. ipſe de *ſtatuis* tantum exponendum ſibi putavit, quæ oratori-
bus, neque omnibus illis, ſed decem tantum, decretæ olim
6. fuere. Eos, ſervato temporis ordine, quo quisque floruit,
7. ita enumerat, ut primo loco ponatur *Pericles*, Athenienſis,
& novem tropæis clarus, & eloquentiæ laude tam conſpicuus,
ut in eius labris leporem habitare dicerent. Duabus itaque
ſtatuis, virum, qui urbem patriam inaurare pulcrioremque red-
dere (*καταχρυσοῦν καὶ καλλωπίζειν*) dicebatur, merito
ſuo colebant; quarum altera in templo *ἑκατομπέδῳ*, Mi-
nervæ ſacro, altera in arce Athenienſi, haud procul a ſtatua
Minervæ *πολιάδος*, poſita erat. *Pauſan.* in Atticis p. 23. 26.
ed. Wech. Plutarchus tradit, eas, quum oblongo ac plane de-
formi capite natus ipſe eſſet, unde poetæ illum *σχινοκέφα-
λον* dicerent, omnes galeatas fuiſſe. Alter, eodem honore
8. conſpicuus, fuit *Andocides*, bellica virtute non minus, quam
pacis artibus, eloquentia potiſſimum, illuſtris. Cui ſtatuam
fuiſſe poſitam ex *Fulvio Urſino* diſcimus, qui Hermam aere
exprimendum curavit, cum hoc titulo: ΑΝΔΟΚΙΔΗΣ
ΛΕΩΓΟΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Quod quum nemo veterum
ſcriptorum memoriæ prodiderit amplius, ambigue admodum
9. dictum nobis quidem videtur. Tertius eſt *Gorgias* Leontinus,
Siculus, cuius admiratione quum inſanirent propemodum æta-
tis eius homines, in templo Apollinis Delphici, ſtatua ſolido
ex auro, ab univerſa Græcia, ei ponebatur, eaque ipſius per-
ſonæ ſimilis atque *ἰσομέτρητος*. Eumolpus, Deicratis pro-
nepos,

nepos, eidem, Olympiæ, aliam dedicavit ſtatuam. Quartus §. 10.
Iſocrates, cui, quum inter parietes aleret eam gloriam, quam nemo quidem poſtea, Cicerone iudice, conſecutus eſt; Timotheus, Cononis filius, æream, Alphareus, ipſius filius adoptivus, item aeream, poſuerunt. Alia porro, eumdem adhuc puerum, cum equo ſingulari certantem, referens; alia denique in ſepulcro eius, triginta cubitorum altitudine, columna, cui ſeptem cubitorum Siren impoſita erat, erigebatur. Quintus eſt *Lycurgus*, cui ſtatua, ex ære confla- 11.
ta, publico decreto, in Ceramico, item alia lignea collocabatur; poſt mortem autem columna a filio Abrone, ante palæſtram, quam ipſe exſtruxerat, erigebatur, cui omnia, quæ geſſerat, facinora inſcripta erant. Sextus, ſtatuarum honore 12.
decorus, *Iphicrates* eſt, cuius duæ commemorantur orationes, altera περὶ τῆς εἰκόνος, ſeu πρὸς Ἁρμόδιον; altera περὶ τῆς προδοσίας. Statua vero illius ad ingreſſum arcis conſpiciebatur. *Demoſthenes* ſeptimus eſt, cui, ſummo merito eius, 13.
hunc honorem detulerunt Athenienſes, ſed poſt mortem demum, maiore ſui dedecore, quam divini oratoris culpa. Accepto enim de illius obitu nuntio, non ſolum in foro, iuxta duodecim deorum aram, ſtatuam æream ei decreverunt, ſed ei quoque, qui natu maximus e Demoſthenis familia erat, victum in Prytaneo, & primum in certaminibus locum, conceſſerunt. Octavo loco commemoratur *Demades*, in nul- 14.
lius ſchola rhetoris, remigando inter maris fluctuantis tumultus, naturæ ſolius inſtinctu. ingeniique beneficio, factus orator & demagogus Athenienſium, qui cum Demoſthene adeo de principatu contenderet. Cui, quamquam rempublicam eius eloquentia & conſiliis corruptam & proditam iudicet Plutarchus, cives tamen, tamquam optime de ſe merito, ſtatuam æneam in foro collocarunt. Sequitur *Phocion*, cuius 15.
eloquentiam vel ipſe reveritus eſt Demoſthenes, cui viro egregio necato, ut nefarii ſceleris ab ſe commiſſi quaſi maculam abluerent Athenienſes, æneam ſtatuam poſuiſſe feruntur. Ultimus eſt *Demochares*, cui mortuo ænea ſtatua, 16.
ſub ingreſſu in Prytaneum, decreta eſt, ita quidem, ut gladio cinctus, & cum veſte, primus effingeretur. Singu-

lorum vero vitas simul eleganter tradit doct. *Freytagius*, de orationibus eorum exponit, dicendi formam, χαρακτῆρα Græci dicunt, breviter adumbrat, magnamque lectionis copiam ubique prodit.

DISSERTAZIONI SOPRA LE ANTICHITA ITALIANE,

i. e.

DISSERTATIONES DE ANTIQUITATIBUS Italiae, olim latino sermone compositae ac publicatae, cura Auctoris LUDOVICI ANTONII MURATORII, ab eodem postea in compendium & linguam Italicam redactae. Opus posthumum, luci datum a IOANNE FRANCISCO SOLI MURATORIO, eius nepote.

Tom. I. Alph. 3. plagg. 11. *Tom.* II. Alph. 3 plagg. 10½. *Tom.* III. Alph. 3. plagg. 11½.

Mediolani, 1751. 4. Apud Ioannem Baptistam Pasquali. Cum licentia Superiorum.

Edidit Lud. Anton. Muratorius, cuius merita historica nullum exedet vel oblitterabit tempus, Tomis VI. forma chartæ maxima, *Antiquitates Italicas medii aevi, sive Dissertationes de moribus, ritibus, religione, regimine,* &c. in urbe Mediolani. Prodierunt in lucem Tomus I. anno 1738, Tomus II. 1739, Tomus III. 1740, Tomus IV. 1741, Tomus V. 1741, Tomus VI. 1742. Diximus de summa Tomi I. in his Actis ad a. 1741, p. 1. de Tomo II. ad a. 1742, p. 241. de Tomo III. ibidem p. 625. de Tomo IV. ad a. 1744. p. 577. de Tomo V. ad annum 1745 p. 433. Quanta fuerit in Muratorio notitia rerum Italiæ medii ævi, ex opere ipso satis elucet. Postularunt igitur Itali merito, ut illud etiam sermone Italico compendiose exhiberetur. Adnuit postulatis eorum, ac amicorum precibus, haud immerito, nec invitus. Perduxerat

rat id anno 1748. fere ad umbilicum, cum vergente anno cum defluxu humorum conflictari coepit ita, ut per aliquot menses proximi inde anni dextram scribendo inhabilem sentiret. Restabant pauca, nempe finis Dissertationis LXIX. & tota Dissertatio LXX. Ultima igitur perfecit addiditque *Petrus Hercules Gherardi*, Probibliothecarius Estensis, ac Linguarum hebraicæ & græcæ Professor academiæ Mutinensis. In interpretatione hac operis compendiaria omissum est nonnihil. Huc refer *documenta* latina, & varia *Chronica*, Italo lectori haud profutura. Nihilominus Muratorius passim correxit alia, alia supplevit, prouti visum fuerat. Disseruerat Vir ille doctiss. *de Servis Libertis veterum*, opere peculiari, quod insertum adparet Tomo I. operis, cui titulus est: *Memorie della Società Colombaria di Firenze*, anno 1747. Hinc Muratorius non pauca in Dissertationis XIV. initio huc transtulit. Supersunt in latino Dissertationes V, quemadmodum videtur, in compendium haud missæ. At earum in compendio utique habita fuit ratio. Pasqualius recudit, certe constituit recusa dare, opuscula Muratorii, forma chartæ maxima. Epistolæ Muratorii variæ conspicientur in ipsius *Vita*. Reliquæ edentur uno eodemque Volumine. Præfationem præmisit Muratorius compendiariis suis Dissertationibus, qua de instituto ac adminiculis historiæ medii ævi exposuit. Ultima desiderantur. Nepos igitur ipsius suam addidit præfationem, qua Muratorium suum, eiusque merita in historiam Italiæ medii ævi, merito laudavit, & Dissertationes patrui Principi Plombino, D. Caietano Boncompagno Ludovisio, consecravit, quod in eius prædio, dicto *di Vignola*, L. A. Muratorius primam lucis usuram susceperat. Ex Diss. XIV. liceat pauca cum Lectoribus ad gustum communicare. Omittimus conditionem servorum, apud Romanos nondum Christianos tritam. Quamprimum Itali doctrinam Iesu receperant, *excommunicationi* vel *poenitentiae biennii* fuerunt illi subiecti, *qui* *servum proprium sine conscientia iudicis occiderant*. Rex Liutprandus vetuit, servum ex templo christiano per vim extrahi, Tom. I. Pag. 144.

 sta-

ſtatuens, ut ſacerdotes, vel adminiſtri iuſtitiæ, profugum ſervum cum domino reconciliarent. Si dominus eum invitaſſet & recepiſſet, veniam pollicitus, nihilominus tamen in illum animadvertiſſet, ob illam culpam poſtea, obnoxius erat multæ XX. auri ſolidorum. Carolus Magnus edixit, *ne mancipia venderentur, niſi in praeſentia Epiſcopi, vel Comitis, aut Archidiaconi & Centenarii, aut Vicecomitis - - aut ante bene nota teſtimonia.* Ius, quod in ſervum erat domino, dictum fuit *mundium*, & is, qui eo erat inſtructus, *Mundius.* Inde intelligitur poteſtas & compoſitio genuina vocabuli noſtri *Vormund*, ſeu *vicarius domini*, illiusque poteſtatis, quæ erat domini. Rotharis Rex lege 223. confirmavit dominis facultatem, ſervos ſervasque manumittendi, ſeu *thingare* per *garinthix.* Muratorius vocabulum hoc poſtremum interpretari omiſit. Servis Monaſteriorum ſæpius erant feminæ ſeu uxores *liberae*,
Pag. 147. quarum liberi manſerunt ex iure natalium liberi. Servi nati habebantur ad inſtar boum & vaccarum, nec non equo-
148. rum, ob numorum penuriam. Signum ſervitutis *iunctae manus.* Servorum genealogiæ adſervatæ, ad ſtatum eorum ſervilem comprobandum. Domi habebantur *ſervi miniſteriales;* foris & ruri *ſervi caſati.* Ex his *ſervi beneficiati* exorti ſunt, quorum primus adpellatus fuit *maior*, unde noſtrum vocabulum *Maier* profluxit. Maior olim dictus *maſſarius*, qui & ſervus & liber eſſe poterat, adpellatus ex maſſa, manſa, manſo agrorum. In Legibus Langobardorum indicatur *ſervus ruſticanus, qui ſub maſſario eſt.* Servi, qui fiſco regio
150. ſerviebant, dicti fuerunt *fiſcales, fiſcalini, camerae ſervi.* Operas ſervientes, maſſarium adiuvantes, vocare ſolebant *angurias* Itali ac Franci, immo *ſuccidiales* i. e. ſubſidiales, *Unterſaſſen.* Agros, eccleſiis monaſteriisque donatos, eosque remotiores, habuerunt ſervi, cenſum annuum ſolventes, partim proventuum, partim pecuniæ. Hæc fuit origo elocationum agrariarum, *Verpachtungen.* Muratorius docet, Ludo-
152. vicum III. Imperatorem a. 902. ex Provincia in Italiam feciſſe expeditionem, ac rediiſſe a 905. qui in quodam diplomate ipſius dicitur *annus quartus Caeſaris.* Servi caſati di-

cti

cti fuerunt *condomae*, genere masculino. Du Cange & La Cerda hoc vocabulum misere interpretati sunt, per *domum cum curia*, per locum laxationi corporis destinatum. Si, Domino qui adpellatus fuit *patronus*, sciente, servus militiam sequeretur, hoc ipso servus erat liber. Servi sæculo X. in Italia, & sermone latino corrupto, dicebantur *homines de Masnada*, societas servorum casatorum *Masnata*; quisque autem eorum *homo de masnada*, *masnata*, *maxinata*, *mazinata*. Nomen hoc iis quoque inditum, qui erant vasalli; hi militiam sequi, ita volente domino, debebant. *Faidae*, seu lites armatæ, heris isthæc suaserunt, & hæc officia servis imponere docuerunt. Solent etiam *homines de masnada* distingui a militibus, mercede olim non conductis; nam illi erant pedites, hi equites. Peditibus nomen erat *la masnada*, *manentes*, *tributarii*, *mansionarii*, *alloderii*, *adscriptitii*, *servi glebae*. Nolebat Carolus Magnus servos servasque amplius tonderi, vel velari, seu ordini ecclesiastico monasticove tradi. Monuerat iam Canon IV. Concilii Chalcedonensis, *fastigium sacerdotii non bene componi cum servili vilitate*. Idem senserunt Imperatores alii. Servus manumissus nomen habuit *amund*, id est expers mundii, *ane mund*. Secundum legem Salicam, patronus vel hera, servum pronuntiaturi liberum, manu sua ex manu huius excusserunt denarium, & ire ipsum, quo vellet, permiserunt. Solemnis manumissio in templis coram Episcopo, sacerdotibus, & populo, plerumque ob *animae remedium* circa altare, *ante sacri altaris cornu*, peracta sæpius a domino; servis, qui in libertatem erant adserendi, interea præferentibus manu candelam. Manumissi per denarii excussionem, dicti fuerunt *homines denariales*, & a *charta*, libertatis indice, *chartularii*, *chartulati*, *cartulati*. Commendati vero, *Commenditi*, *Commendatarii*, erant homines liberi, qui se patrocinio potentioris, hoc est *mandiburdo*, seu patrono, commendaverant, ut ab aliorum infestationibus tuti essent. *Aldiones*, seu *Aldii* Langobardorum, erant non quidem servi, sed manumissi potius, nec tamen ab omnibus servitiis, patrono præstandis, liberi. Isti in Gallia, imperante Carolo Magno, vocati fuerunt

Pag. 154. (beside line 1) · 156. (beside line 5) · 165. (beside line 20) · 170. (beside line 35)

fuerunt *fiscalini, lidi, servi glebae.* Manumissa eiusmodi dicta fuit *Aldia,* quæ per legem 218. Regis Rotharis libertatem amittebat, si ad maritum in domum alienam intrasset. *Litis* seu Litonibus fuerunt proprii agri, propriæ domus, propria supellex. Saxones, qui erant divisi in Nobiles, Ingenuos ac Litos, iussit Carolus Magnus templis christianis novis dare servos &
173. ancillas, nec non decimam partem opum. Litorum fuit, ecclesiis vel Nobilibus quasdam singulis annis operas præstare, cum peculii possessione coniunctas. Ex quo coeperunt numi ac pecuniæ servorum sec. XIII, XIV, XV, augeri; ipsi autem dato pretio, vel reluctando, in libertatem pervenerunt. Usuras pecuniarias Florentini seculo XII admodum diligenter urserunt, ac circa a. 1226. mercaturam iam per Gallias & Germaniam exercuerunt, dicti *Lombardi* & *Caorsini.* Hi vero erant proprie incolæ civitatis Cadurcii in Gallia, unde omnes usurarii dicti fuerunt *Cadurcini, Corsini.* Suffecerint hæc speciminis loco.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae
Calendis Augusti Anno MDCCLVI.

NOUVEAU TRAITE' DE DIPLOMATIQUE, &c.

i. e.

NOVI COMMENTARII DE ARTE DIPLOMAtica, cuius fundamenta expenduntur, regulae documentorum distinguendorum constituuntur, & characteres bullarum Pontificalium aeque ac diplomatum omnium seculorum exponuntur, cum illustrationibus quamplurimarum rerum historicarum, chronologicarum, & criticarum, ac defensione tabulariorum celeberrimorum contra varias obtrectationes, editi a duobus Monachis Ordinis Benedictini Congregationis St. Mauri.

Tomus II.

Parisiis apud Guilielmum Desprez, 1755. 4 Alph. in 4. cum tabb. æn. 33.

Pergunt igitur monachi Benedictini e congregatione Sti Mauri in Gallia, orbem litteratum, quem præstantissimis patrum ecclesiasticorum editionibus iam illustrarunt, rei diplomaticæ itidem explicatione ditare, & hoc pacto, famam, quam immortalis gloriæ eorum socius, *Io. Mabillonius*, ordini ipsorum conciliavit, conservare & augere. Cum nimirum unus ex eorum familia, *Carolus Franciscus Tustinus*, in eo esset occupatus, ut novam operum *Theodori Studitae* editionem adornaret; cui quidem negotio nostram Academiam codicem MStum insignis pretii commodasse no-

vimus: quem *Cel. Boernerus* quondam noſter, in peculiari recitatione coram *Sereniſſimo Principe Regio Saxonici Electoratus herede*, in atrio bibliothecæ Paulinæ habita, eleganter deſcripſit, quæque inter orationes eius iunctim editas p. 233. comparet: cum igitur in eo *Tuſtinus* elaboraret, liber quidam *Rothomagi* excuſus, fidem chartarum cuiusdam monaſterii in dubium vocans, ab iſto labore eum retraxit, effecitque, ut in libro eo confutando omnem poneret operam, imo, ſucceſſu temporis, ſuaſu *patris* ordinis ſui *generalis*, una cum alio ordinis & doctrinæ ſocio, *Renato Proſpero Taſſino*, ad præſens opus, in quo plurima *Mabillonio* nondum obſervata ſuppleret, compilandum animum appelleret. Prior eiusdem tomus, fundamenta artis diplomaticæ tradens, ac varia tabularum & tabulariorum genera, chartæ itidem & atramenti diverſas ſpecies exhibens, deque antiquiſſimis litteris nonnulla diſputans, a quodam e noſtris a. 1754. menſe Decembre deſcriptus eſt; quem, quo minus alter hic, cuius notitiam nunc damus, illico exciperet, & paulo ſerius evulgaretur, tam laboris magnitudo, quam ſuperveniens Tuſtini mors effecit, cuius vitæ deſcriptio, una cum elogio ſepulcrali, eius memoriæ dicato, in præfatione huic tomo præmiſſa comparet. Telam vero in præcedente volumine coeptam, hic pertexunt Auctores Celeberrimi. *Tertia* etenim *ſectio*, quæ totum volumen occupat, in origine, figura, & mutationibus litterarum *latinarum* ediſſerendis occupata eſt. Origines harum litterarum a Græcis derivandas eſſe, pro certo
Pag. 9. ſumunt, multisque argumentis confirmant. Antiquiſſimas Græcorum litteras latinorum litteris fuiſſe ſimiles docent, ac dubia, contra moveri ſolita, confutant. Hiſtoriam alphabeti latini & græci texunt, ac obſervationes notatu admodum dignas, multamque lectionem ſpirantes, afferunt quam-
32. plurimas. Notabilis eſt *Gregorii Turonenſis* locus, quando
51. *Hiſt. Franc.* L. V. c. 45. *de Chilperico* Rege narrat: *Addidit autem & litteras litteris noſtris, id eſt ω ſicut Graeci habent, ae, the, uui, quarum characteres ſubſcripſimus. Hi ſunt* Ω. Ψ. Z. Π. *& miſit epiſtolas in univerſas civitates regni ſui, ut ſic*

pueri

pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti planati pumice rescriberentur. Varias doctorum hominum sententias circa hunc locum Cell. AA. afferunt. *Eckardi & Schoepflini* observationes inprimis valde perstringunt. Suam deinde opinionem addentes, ope MSti cuiusdam Cameracensis, ex quo & figuram harum litterarum afferunt, ω, exemplo Græcorum, ut *o* longum & breve distingueretur, ab eo esse introductum, contendunt; Ψ diphtongum ae exprimere iudicant; Z idem valere ac *th*, ex figura ד & ל veluti compositum, statuunt; Δ ex V efformatum hodiernum W efficere, dicunt. De veritate istorum dictorum ipsimet lectores iudicent: nos, multo cum ingenio & doctrina hanc defendi ab AA. Cell. sententiam, ingenue fatemur. Litteras græcas apud Latinos, & latinas apud Græcos, sæpius usurpari in monumentis publicis fuevisse, haud difficulter credimus. Litteras *Ephesias* & *Thracicas* in Græcis occurrere, & usibus magicis inserviisse, existimant. Per litteras *ecclesiasticas*, maioris molis chartas, in certos tomos digestas, & a *voluminibus*, quæ quidem complicabantur, diversas intelligunt. Litteras hebraicas olim per Galliam usurpari fuevisse, contra nonnullos negant. Litteras quasdam Etruscas, noviter, & post editionem prioris tomi inventas, supplementi loco afferunt. De fatis Runicarum litterarum quoque disputant. Alphabeti *Islandici* antiquitatem suspectam videri, non dissimulant. Hieroglyphicas Ægyptiorum figuras, nomen litterarum non mereri censent. Quamplurima de diversis veterum scribendi rationibus, de materia cui litteræ inscribebantur, atramento, & hisce similibus, coacervant: ubi nobis argumentum, in priore operis tomo iam tractatum, repetiisse videntur, prout ex iis, quæ unus ex nostris loco supra citato p. 683. disputavit, intelligitur. De *chrysographis, calligraphis, & tachygraphis*, quorum artes vel ex ipsa illorum compellatione intelliguntur, disputant. Integros libros rubris characteribus quondam describi fuevisse, contra *Struvium* negant. Usum vero rubri characteris, qualis revera fuerit, operose ostendunt. Litteras initiales, quibus imagines ornamenti causa sunt inditæ, inde a seculo sexto introduci & effingi coepisse, contendunt. Alia porro littera-

Pag. 55. 64. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 74. 88. seq. 106. 110. 118.

rum ornamenta seculo octavo & decimo usitata, describunt.
Pag. 119. Animalium etiam figuras litteris appingi seculo septimo & octavo
121. suevisse, narrant. Seculo postea decimo tertio, usque ad decimum quintum, figuræ absurdæ atque monstrosæ characteribus litterarum adpingebantur, ex quibus nescimus quod ornamentum codicibus accedere, delirum librariorum sibi persua-
123. debat ingenium; usque dum successu temporis picturæ, non ipsis litteris, sed fronti chartarum inditæ, ornamenta illa, quæ
124. Galli *Vignettes* dicunt, exhiberent. Varios Scriptores, qui va-
126. ria collegerunt alphabeta, deinceps commendant AA Cell. eaque de re in priori iam volumine varia se attulisse profitentur. *Baringii clavem diplomaticam* in hunc censum referentes, plurima eius compilatorem, ex Mabillonio, aliisque de-
137. scripsisse, observant. Immo vero totum hoc, quod in forma alphabetorum describenda occupatur, negotium, neutiquam ad-
139. huc esse perfectum, & consummatum, contendunt. Præcepta circa ætatem veterum monumentorum, e modo scribendi, & ductu litterarum cognoscendam, afferunt quamplurima, variosque Auctores, ac sigillatim *Scipionem Maffeum*, & *Io.*
169. seq. *Harduinum*, corrigunt. Litteram *H*, quibusdam nominibus præfixam, uti est in *HCarolus. HLudovicus*, certum genuini
203. diplomatis characterem non constituere, contra *Papebrochium* urgent. Ante seculum decimum quartum, litteræ *i* nullum
210. imponi suevisse punctum observant: unde monumenta, antiquitatem seculo isto maiorem iactantia, in quibus *i* puncto instructum comparet, ipsis adulterina videntur. *Caroli* M. nomen, antequam imperiale fastigium conscenderet, per C, postea vero per K scribi suevisse, dixerat *Mabillonius*: id quod falsum esse, exemplis quamplurimis Cell. AA. ostendunt; alium præterea Scriptorem, *Blancum* nomine, qui in tractatu *de nummis Caroli* M. sententiam Mabillonii prave retulit, ex merito casti-
219. gant. Successorum Caroli M. nomina, per *C* & *K* promiscue scribi, largiuntur; *Mabillonium* autem, qui litteram K unice usurpatam hic fuisse censuit, corrigunt, & Cl. *Eckardi* sententiam, qui Mabillonium eo nomine iam reprehenderat, novis exemplis
222. confirmant. Sententiam *Baringii*, qui in *clave diplomatica* figuram

guram ſ inde a ſeculo duodecimo indolem litteræ finalis induiſſe contendit, profligant; ſiquidem variæ ſeculi duodecimi & Pag. 265. decimi tertii deprehenduntur chartæ, in quibus ſ oblongum finalis litteræ vicem obtineat. *Germonium* quoque ex merito caſtigant AA. Cell. quod ex ductu litterarum neutiquam certo conſtitui poſſe, an monumentum aliquod genuinum ſit, nec ne? pronuntiavit. Ignoſcendum tamen eſt monachis, quando *incredulos*, quo nomine dubio procul omnes a ſacris pontificiorum alienos intelligunt, hanc Germonii ſententiam adoptare, eaque mirifice delectari, ſomniant. Fontes poſtmodum illi, 302. ex quibus figuras alphabeti latini, æri inciſas, inque certas ſeries diſtinctas, hauſerunt, indicant: unde illos, non modo omnis generis libros, qui monumenta & inſcriptiones antiquas continent; & quorum inſignem numerum afferunt, excuſſiſſe, 306. verum etiam infinita pæne manuſcripta, in bibliotheca Regia Pariſienſi partim, partim alibi aſſervata, in uſus ſuos convertiſſe, clarum eſt. Hiſce ſubſidiis inſtructi, immenſo ſane labore, quo tempore quævis litterarum figuræ in uſu eſſe coeperint? quando fuerint immutatæ? quando novam litteræ figuram induerint? quomodo una figura ex altera fuerit prognata, oſtendunt. Multis inde modis contra Pyrrhoniſ- 308. mum hiſtoricum diſputant. Sententiam eorum, qui documenta antiquiſſima inprimis ſuſpecta eſſe cenſent, tanquam abſurdam, profligant; immo diverſitatem ſcripturæ unius cuius- 347. que ſeculi & nationis efficere, ut, an codex quidam genuinus ſit, an minus, ſatis certo poſſit conſtitui, evincunt. Plurima, quæ 350. *Harduinus* & *Germonius*, ad fidem veterum documentorum labefactandam in medium protulerunt, magno labore confutant. Merita eorum, qui hoc artis criticæ genus illuſtrarunt, recen- 358. ſent, & prædicant. *Scipionem Maffeum* quoque reprehendunt, 374. ſeq. qui ex ductu litterarum illico cognoſci poſſe, quo ſeculo quæque charta fuerit perſcripta, iactaverat. Sententiam quoque *Cel.* 377. *Pfaffii*, qui de antiquiſſimorum codicum ætate nihil certi poſſe conſtitui exiſtimat, reprobant. Notas chronologicas, 382. quæ codicibus addi nonnunquam ſolent, non ſine examine & cura aſſumi, & ad ætatem codicum definiendam adhiberi debere,

Pag 385. bere, urgent. Mox Præcepta, ætati codicum cognoſcendæ inſervi-
386. entia, proponunt. Codicum antiquorum lectionem iam olim
410. admodum fuiſſe difficilem, inde probant, quod verba, non uti
hodie fieri aſſolet, fuerint rite diſtincta, ſed integra pagina
unam conſtituere lineam videretur. Plurimos inde errores
in deſcripta codicum exemplaria irrepſiſſe, imo ipſos nonnunquam codices a ſcribis, verba, ut commodius ea poſſent le-
411. gere, ſignis diſtinguentibus, fuiſſe corruptos dolent. *Mabil-*
415. *lonium*, omnium primum lectionem diplomatum alios docuiſſe,
contendunt. Artem ſcribendi, aiunt, apud veteres Romanos
417. ſummo in honore fuiſſe, & admodum diligenter coli ſueviſſe, ſequiori autem ætate uſque adeo coepiſſe negligi, ut vel ipſi
Principes ſæpius eſſent ἀναλφάβητοι. *Carolum* M.
artis ſcribendi ab initio rudem omnino fuiſſe, poſtea operam
ei arti dediſſe, minus perfecte tamen didiciſſe, recte ad-
421. firmant. Neque ſummam clericorum eius temporis igno-
423. rantiam, hac occaſione data, diſſimulant. Quam incertam ea
427. res artem diplomaticam reddat, egregie oſtendunt. Seculo
decimo quarto in uſum revocari, & ſtudioſius tractari ars
ſcribendi demum coepit. Præcepta critica, quorum ope
genuinæ chartæ a ſuppoſititiis diſcerni posſint, quamplurima
440. & egregia proponunt, digniſſima certe, quæ attente perlegantur. Diverſa hinc ſcribendi genera, apud Romanos quondam introducta, in ſcenam producunt, *Leonem Allatium* confutantes,
qui litteras unciales, quales in nummis & marmoribus viſun-
480. tur, Romanis unice familiares fuiſſe putaverat. Diſtinctionem
inter characterem *Gothicum, Longobardicum, Saxonicum*, &
Franco-Gallicum, neutiquam eſſe reiiciendam, contra *Maffeum*
484. oſtendunt. Optimam interim, & in primis commodam
characterum diviſionem eam eſſe, quando in lapidarem, metallicum, eum qui in Codd. MStis regnet, & qui in di-
488. plomatibus uſurpetur, in univerſum omnes diſpeſcantur. Litteras unciales & maiores, uſque ad ſeculum decimum quartum, in nummis, marmoribus, tabulisque æneis, unice uſur-
497. pari ſueviſſe, obſervant. Dicunt, in codicibus MStis initiales primo litteras, & librorum titulos, ita efformari, poſtea, uſque ad
ſeculum

ſeculum decimum, integros nonnunquam libros ea forma
deſcribi ſolitos. Varias deinde litterarum maiuſcularum affe- Pag. 498.
runt ſpecies, prout ratione figuræ variant. Hiſtoriam artis ſcri-
bendi apud Latinos texunt: quamvis primas nonniſi lineas
ſe duxiſſe, neque opus perfeciſſe, profiteantur. Seculo potiſ- 514. ſeq.
ſimum tertio, ſcripturam latinam a priſca elegantia, quam ſub
Auguſti imperio obtinuerat, deficere coepiſſe, comprobant.
Quintum vero ſeculum, queruntur, artem ſcribendi inprimis cor- 528.
rupiſſe, & litteras, barbaris familiares, repente introduxiſſe. Sub 529.
Carolo M. antiquum ſcripturæ latinæ ſplendorem, veluti poſt-
liminio rediiſſe, prædicant. Scripturam in nummis & inſcri- 530.
ptionibus uſurpari ſolitam, in rei diplomaticæ ſtudio probe in-
telligendam eſſe, cum ſæpe actus publici eiuſmodi monu-
mentis inſculpi ſueverint, recte monent. De his ipſis igitur ſcri- 535.
pturæ characteribus, quos æri inciſos, & in certas claſſes di-
viſos lector inveniet, operoſe itidem agunt AA. Cell. De Go- 537. ſeq.
thicis poſtea litteris diſputant, quarum originem a ſeculo duo-
decimo repetunt. Quomodo, ex immutato litterarum lati- 659.
narum ductu, Gothicus ille character ſurrexerit, oſtendunt. In
Italia, circa annum 1430. iam in deſuetudinem abiiſſe iſtum cha- 660.
racterem, in Gallia diutius perduraſſe, tamen etiam *Henrico* II. 664.
ibi regnante oblivioni penitus eſſe datum, monent. Germanos
inde ab anno 1470. nuntium miſiſſe huic litterarum figuræ,
quantum ad latina ſcripta attinet, coniiciunt. Cum tamen 665
hodienum in ſcriptis theotiſco idiomate compoſitis iſte chara-
cter regnet, eam rem efficere, ut exteros tædium linguæ iſtius
capiat, & libros Germanicos illi faſtidiant, autumant. Chara- 666.
cterem inſuper Gothicum, qualis in nummis ac marmoribus
viſitur, in *maiorem* & *minorem*, ratione moduli litterarum ha-
bita, diſpeſcunt, in certas claſſes itidem digerunt, quæ æri
inciſa comparent, & quarum explicatio uſque ad finem huius
voluminis producitur. Nos, egregii operis continuationem
vehementer optamus.

*CONIECTURA PHYSICA CIRCA PROPAGA-
tionem ſoni ac luminis, una cum aliis Diſſertationibus
analyticis &c. Auctore LEONH. EULERO.*

Beroli-

Berolini, sumtibus A. Haude viduæ & I. C. Speneri Bibliopol. Reg. & Acad. Scient. privil. 1750. pl. 21. Tab. æn. unica. in 4.

Pag. 1. Alter hic est *Tomus Opusculorum* Cel. *Euleri*, quorum *primus* in lucem prodiit a. 1746. *Primum* in eo locum occupat *Coniectura* in Titulo notata. Iam satis ex iis, quæ in *Dissertatione* de *Luce & Coloribus* (dicto *Tomo I.* contenta) disseruit V. C. patet, qua ratione in definiendo motu soni versari conveniat. Cum enim motum fluidorum intestinum nondum perfecte ad leges mechanicæ revocare licuerit: coactus fuit *Newtonus*, in determinanda propagatione pulsuum per medium elasticum, hypothesin, experimentis tamen confirmatam, de propagatione soni uniformi, in subsidium vocare; quæ quidem hoc magis ei condonanda est, quod in fine ipsa e calculo abeat. Fit vero exinde, ut theoria eius experientiæ adversari videatur, cum vi illius pulsus singulis minutis secundis spatium 979 ped. Lond. conficiat, quod per hanc repertum est 1140. ped. Causam huius quidem in natura particularum aeris positam esse arbitratus est; sed nimis magnis premitur hæc sententia difficultatibus. Potius itaque statuit *Eulerus* V. Cl. nullum esse verum theoriæ ab experientia dissensum; sed casum, ad quem theoria est accommodata, prorsus differre ab eo, ad quem experientia. In illa enim unicum tantum pulsum considerari; in hac vero celeritatem soni, hoc est ingentem pulsuum se insequentium seriem, quos eadem celeritate per medium elasticum propagari debere, nullibi in theoria probatum est; quin potius verosimile, velocitatem istam accelerari debere. Hinc elicit, maiorem illam celeritatem, quam experientia ostendit, ipsi pulsuum frequentiæ tribuendam esse, & generatim affirmat, quo maior sit pulsuum sonum quempiam constituentium frequentia, hoc celerius eum per aerem propagari debere: quam tamen sententiam non pro veritate apodictica, sed tantisper pro coniectura saltem physica venditat. Duæ sunt rationes, quæ pro ea inprimis militant. Primo, quod aeris particulæ a pulsibus

pulſibus antecedentibus iam ſint in motu conſtitutæ, adeoque pulſus ſequentes inde accelerationem nanciſci debeant; dein quod in quolibet pulſu, particulæ aeris, motu reciproco agitentur, quo ipſo in particulas pulſus antecedentis vim quandam exerant, eamque hoc maiorem, quo pulſus ſint magis frequentes, unde propellantur magis pulſus præcedentes a ſequentibus, ſicque augeatur ſoni celeritas. Obſtant hic quidem experimenta *Derhami*, qui omnes ſonos, ſive debiles, aut vehementes, ſive graves, aut acutos, eadem velocitate propagari reperiit; cum ſecundum coniecturam hancce acutiores celerius propagari debeant, quam graviores. At regerit *Eulerus*, nec in ſenſus incurrere poſſe diſcrimen illud, nec vel ipſam obſervationem, in rigore, ab omni errore penitus eſſe poſſe immunem. In dubio itaque videri manere, quod celerius ſoni acutiores propagentur, quam graviores: cum nec per theoriam definiendum eſſe videatur, nec & per experimenta; niſi forte id tentetur ab auribus acutiſſimis in concentu muſico, ubi nempe, vi coniecturæ allatæ, Baſſus paulo tardius e longinquo exaudiri deberet vocibus acutioribus. Sed fortius nunc argumentum, pro adſtruenda iſta ſententia, in medium profert Cel. Auctor, e congruentia propagationis ſoni ac luminis deſumtum. Cum enim in huius per ætherem propagatione, celeritas pulſuum ab eorum frequentia pendeat: veroſimillimum iudicat, idem in ſono per aerem propagato fieri. Illud autem probat e diverſa refractionis ratione, in radiis diverſicoloribus obvia. Cum enim, vi theoriæ ſuæ lucis, colorum varietas in nulla alia re poni poſſit, quam in varia pulſuum, quibus quiſque color repræſentatur, frequentia; ſit vero, (vi ibidem oſtenſorum), in tranſitu lucis ex uno medio in aliud, ſemper ſinus anguli incidentiæ, ad ſinum anguli refractionis, in ratione celeritatis pulſuum in medio priori, ad eam in poſteriore; quæ ratio pro variis coloribus conſtanter eſt varia: ſequitur exinde, celeritatem iſtam pulſuum variam, a varia eorundem frequentia debere proficiſci. Hiſce præmiſſis, iam ad ipſum calculum progreditur, quo celeritatem iſtam pulſuum determinare conatur. Si quidem

dem unicus ſit pulſus, qui a nullis ſequentibus acceleratur, eius celeritas per quodvis medium elaſticum haud difficulter definitur. Si vero ſint plures ſe inſequentes, diſquiſitio hæc eſt maxime ardua, cum non conſtet, quænam hypotheſis pro augmento celeritatis ſecundum frequentiam pulſuum ſtatui debeat. Varias igitur hypotheſes ſimpliciores aſſumit, & quomodo eæ ad phænomena accommodandæ ſint, oſtendit; quæ cum iam absque ipſo calculo intelligi non poſſint, in his amplius ſequi non licet Auctorem celeberrimum.

Pag. 23. Sequuntur tres *Diſſertationes analyticae*, & quidem 1) de *Numeris amicabilibus*, maximam huius *Tomi* partem occupans. Numeros amicabiles conſtat eſſe par numerorum, ita comparatorum, ut ſumma partium aliquotarum unius æqualis ſit alteri numero, & viciſſim ſumma partium aliquotarum alterius priori numero. Hos primo detexit *Stifelius*, ſed forte fortuna tantum ad binos eiusmodi numeros 220. & 284. deductus eſſe videtur; cum ipſe Analyſin ineptam putet, cuius ope plura eiusmodi numerorum paria inveniantur. *Carteſius* dein Analyſin ad hoc negotium in uſum vocare eſt conatus, regulamque tradidit, qua tria talium numerorum paria elicuit. Eodem tempore multum in hac inveſtigatione deſudaſſe videtur *Schatenius*; ſed præter hæc plura eruere non valuit. Poſt id tempus neglecta eſt ab Analyſtis hæc quæſtio. Cum tamen ex eiusmodi diſquiſitionibus, etſi in ſe haud adeo magnam utilitatem habere videantur, in Analyſeos tamen incrementum fructus quidam ſemper redundet: non abs re fore putavit Cel. *Eulerus*, ſi hanc quæſtionem denuo reſumeret, methodumque traderet, plura id genus numerorum paria inveniendi. Facile patet, illius reſolutionem pendere ab indole diviſorum & partium aliquotarum; adeoque huic doctrinæ novam hic lucem accendi. Primo Lemmata proponuntur varia circa ſummam diviſorum numerorum. Numeri vel primi vel poteſtatis cuiusvis ſummam diviſorem facile invenire docet, tabulamque exhibet, qua idem pro numeris primis, millenario non maioribus, ſiſtitur, quæque utiliſſima eſt in quæſtionibus circa diviſores & partes aliquo-

tas

tas resolvendis. Eius enim ope, non solum talium numerorum, sed generatim numeri cuiusvis propositi, summa divisorum facile potest colligi. Regula hæc est: Resolvatur numerus in suos factores primos, horumque ii, qui inter se sunt æquales, coniunctim, h. e. per potestates, exprimantur. Sit itaque numerus huius formæ: $m^{\alpha}. n^{\beta}. p^{\gamma}.$ &c. existentibus $m, n, p,$ &c. numeris primis: erit summa divisorum numerorum $m^{\alpha}, n^{\beta}, p^{\gamma}$, e Tabula dicta depromendis. Quod iam ad ipsam quæstionis palmariæ indagationem attinet, fatendum est, generalem eius solutionem vires Analyseos adhuc superare; contentosque nos esse debere regulis particularibus, pro eiusmodi numeris inveniendis. Formulas itaque varias speciales, etsi in se adhuc magno gaudentes ambitu, pro expressione talium numerorum considerat Cel. Auctor. Ante omnia nempe ponit, numeros istos habere inter se factorem communem, adeoque quæstionem hanc iam satis restringit. Hic iterum variæ formæ expressiones pro eorum alterutro assumit, atque e singulis varia eiusmodi numerorum paria elicit.

Facile iudicabunt Lectores, methodum ipsam, qua in hac investigatione utitur Cel. Auctor, nos hic exhibere non posse, nisi transscribere velimus integram fere Dissertationem, Præterea, cum disquisitio numerica adeo particularis ad paucorum Lectorum palatum futura sit, nobis suffecerit, quid hic quærere debeant curiosi, indicasse. Monemus itaque saltem, variis artificiis analyticis elicuisse eum tandem 60. paria numerorum amicabilium, quorum & tabulam exhibet.

Offert sese iam 2) *Demonstratio gemina Theorematis Newtoniani, quo traditur relatio inter coefficientes cuiusvis aequationis algebraicae, & summas potestatum radicum eiusdem.* Pag. 108. Satis celebre est inter Analystas Theorema, a *Newtono* in *Arithm. Univ.* traditum, quo, in æquatione quavis algebraica rationali, summa potestatum omnium radicum, pro quovis ordine, definitur per summas potestatum ordinum inferiorum, & per coefficientes æquationis. Cum ab ipso Auctore absque demonstratione sit propositum, hanc concinnare conati

ſunt varii, ſed illæ plerumque regulis combinationum, adeoque inductione ſaltem fundatæ deprehenduntur. Exhibet itaque Cel. *Eulerus* duplicem hic demonſtrationem, non ex inductione ulla petitam: alteram quidem principiis Analyſeos infinitorum, alteram ipſi Theoriæ æquationum ſuperſtructam. Prior huc potiſſimum redit. Poſito $x^n - Ax^{n-1} + Bx^{n-2}$ &c. $= Z$, æquatio $Z = o$ conflata concipitur ex æquationibus radicalibus $(x-\alpha)(x-\beta)$ &c. $= 0$. Hinc ſumendo logarithmos, differentiando, & dividendo per dx, fit $\frac{dz}{zdx} = \frac{1}{x-\alpha} + \frac{1}{x-\beta}$ &c. Convertendo nunc ſingulas has fractiones in ſeriem infinitam, harumque omnium ſummam capiendo, habetur $\frac{dz}{zdx} = \frac{n}{x} + \frac{1}{x^2}\int\alpha + \frac{1}{x^3}\int\alpha^2$ &c. (ubi $\int\alpha$ denotat ſummam radicum, $\int\alpha^2$ ſummam quadratorum earundem, &c.) Sed differentiando $Z = x^n - Ax^{n-1}$ &c. habetur $\frac{dz}{zdx} = \frac{nx^{n-1} - \overline{n-1}.\,Ax^{n-2}}{x^n - Ax^{n-1}\ \&c.}$ &c. Aequando igitur duas has expreſſiones ipſius $\frac{dz}{zdx}$, & multiplicando utramque per $x^n - Ax^{n-1}$ &c. habentur duæ ſeries, quarum terminos binos quosvis, eandem ipſius x poteſtatem gerentes, inter ſe comparando, elicientur totidem æquationes, quibus ſtatim ipſiſſima relatio, a *Newtono* indicata, exprimitur, & lex progreſſionis earum ſponte eſt manifeſta. Sed cum hæc demonſtratio, etſi mira ſe ſimplicitate commendans, e principiis tamen haud penitus genuinis, utpote differentiatione in ſubſidium vocata, deducta videri poſſet: aliam, e ſola natura radicum petitam, ſubiungit Cel. Auctor, priori elegantia nequaquam cedentem. Ad eius vim clarius perſpiciendam, eam ſtatim ad æquationem determinati gradus accommodat. Aſſumendo nimirum æquationem quinti gradus $x^5 - Ax^4 + Bx^3$ &c. $= 0$, ſubſtituendo ſucceſſive radices α, β, &c. habentur totidem æquationes particulares $\alpha^5 - A\alpha^4$ &c. $= 0$, $\beta^5 -$

$A\beta^4$

$A\beta^4$ &c. $=$ o, &c. quas omnes in summam coniiciendo, habetur statim summa potestatum quartarum, per summas potestatum tertiarum, secundarum, &c., & coefficientes aequationis, expressa; adeoque patet veritas Theorematis, pro hoc casu aequationis quinti gradus. Sed non minus, multiplicando eam successive per x, x^2 &c. elicietur summa potestatum sextarum, septimarum &c.; & vicissim dividen o eam successive per x, $x,^2$ &c. emerget summa potestatum quartarum, tertiarum &c., sed per potestates simul negativas expressa. Ut ergo hae expressiones ad illas Theorematis reducantur, sequenti artificio utitur cel. Auctor. Format, retentis coefficientibus aequationis assumtae quinti gradus, aequationes inferiores $x - A = 0$, $x^2 - Ax + B = 0$, &c. Harum radices, etsi inter se maxime discrepantes, tamen in singulis constituunt eandem summam *A*, eandem summam productorum e singulis binis *B*, &c. Ergo & eandem constituent summam quadratorum; &, simili argumento, eandem summam cuborum. Sed, per praecedentia, habebatur summa radicum in aequatione $x - A = 0$, summa quadratorum in aequatione $x^2 - Ax$ &c. unde, substituendo hosce valores, habebuntur expressiones propositae pro aequationibus illis inferioribus. Eodemque ratiocinandi modo facillime patet Theorematis veritas, pro aequatione cuiusvis gradus.

Ultimo loco comparent 3) *Animadversiones in Rectificationem Ellipsis.* Constat, rectificationem Ellipseos indefinitam nondum eo usque esse perfectam, ut arcus elliptici cum rectis, imo saltem cum arcubus circularibus aut parabolicis, comparari, seu, quod idem est, ad quadraturam circuli, vel hyperbolae, reduci queant. Exinde tamen non sequitur, arcum quendam definitum, e. g. totam perimetrum, eiusmodi comparationem non admittere; id quod in innumerabilibus curvis potest fieri. Missa itaque rectificatione ellipseos indefinita, satius duxit Cel. Auctor, definitam tentare, ac experiri, annon tota perimeter possit ad mensuras cognitas, quo & comprehenduntur logarithmi & arcus circulares, per expressiones finitas revocari. Quem scopum etsi non attigit, Pag. 121.

 hac

hac tamen in disquisitione deductus est ad varia, quibus theoria curvarum haud parum promovetur; praetereaque insignia quaedam invenit artificia analytica, tam in calculo integrali, quam in doctrina serierum utilissima. Totam itaque hanc investigationem hic distincte exponere, haud abs re fore iudicavit. Initio concipit, super data recta, tanquam semiaxe descriptos infinitos quadrantes ellipticos, & e singulis horum extremis erigi alteri axi normales, longitudine ipsis quadrantibus respective aequales; & curvae sic oriundae naturam considerat. Ad inveniendam nempe eius aequationem, exprimendus est quadrans ellipticus e datis semiaxibus per seriem infinitam. Resolvendo itaque differentiale arcus elliptici in seriem, quaerendum est singulorum terminorum integrale, non indefinitum quidem, sed id solum, quod prodit, ponendo ordinatam semiaxi dato, id quod eo redit, ut inveniatur generatim $\int \frac{y^m \, dy}{\sqrt{(1 - yy)}}$, posito post integrationem $y = 1$. Hoc invento exprimitur ordinata curvae ex abscissa ope seriei infinitae, quae quidem satis convergit posita abscissa valde parva, sed nimis lente posita hac paulo maiori. Varia itaque, circa summam huius seriei, tentavit Auctor artificia. Verum enim vero parum hoc modo ad cognitionem curvae perveniri, inficias iri nequit; cum nequidem aequatio elementaris, idque saltem circa initium eius, exhiberi queat. Aliam ergo viam elegit, quaerendo aequationem finitam, sed quam differentialia secundi gradus ingrediantur. Notatu hic dignum, regulas ordinarias, pro diiudicanda forma seriei, in quam aequatio differentialis transmutanda sit, neutiquam in praesenti casu usuvenire. Patet deinde ex ea, curvam quaesitam eius esse indolis, ut ne minima quidem eius portiuncula cum curva quapiam algebraica comparari possit; sed ad logarithmos redeat. Eo itaque rem reducit, ut ope logarithmorum inveniat seriem satis convergentem, pro aequatione dictae curvae. Hinc tandem, e datis axibus ellipseos, exprimere docet perimetrum eius in numeris quamproxime.

GEORGII

GEORGII DAVIDIS KYPKE, Philosophiae & Linguarum orientalium Professſ. Extraord. in Academ. Regiomont. Obſervationes ſacrae in Novi Foederis libros, ex auctoribus potiſſimum graecis, & antiquitatibus.

Tom. I. quatuor Evangeliſtas complexus, Alph. 1. plag. 6.
Tom. II. Acta Apoſtolorum, Epiſtolas & Apocalypſin complexus, Alph. 1. plag. 8.

Wratislaviæ, 1755. in 8. mai.

Quo triſtior imminere videbatur Theologiæ, quæ ab interpretandis illuſtrandisque ſacræ Scripturæ libris nomen Hermenevticæ tulit, quaque nihil potius antiquiusque eſſe poteſt illi, qui nomen ſacrarum litterarum ſtudioſi vel ſaltem aliqua ex parte tueri cupit, calamitas; eo, quod philologica eſſe deſinat, & cum, poſthabita optima quæ a grammaticis præceptis petitur interpretandi ratione, neglectis optimis interpretandi ſubſidiis, relictis denique optimorum, quæ nobis ad imitandum præterita dies propoſuit, interpretum exemplis, variis potius iisque præiudicatis opinionibus ſuſcipiatur, & ſtudio quodam ex arbitrio quævis coniiciendi, & de ſignificatu vocum phraſiumque græcarum philoſophandi, plane ita corrumpatur, ut ne veſtigium quidem illius ſupereſſe videatur: hoc præſtantior, utilior, &, ſi quoque ex temporum noſtrorum ratione addere liceat, rarior eorum videtur opera eſſe, qui non, ut malorum medicorum mos eſt, ſolum affirmant & obteſtantur rem ad ſummum diſcrimen eſſe perductam, nihilque ſalutis & ſpei ſupereſſe, ut ſcilicet gloria eo maior ipſos, ſi res proſpere ſupra omnem expectationem ceſſerint, maneat; ſed quoque in eo elaborant, & in illud ſtudium omni qua par eſt diligentia incumbunt, ut huic malo medeantur, & faciem priſtinam Hermenevticæ ſacræ, ſitu quaſi deformem, inſtaurare & repurgare allaborent. Anno, qui præteriit, tam felici inprimis eſſe contigit, eiusmodi interpretes S. S. & præcipue N. T. nanciſci, qui

qui antiquiorum eorumque præstantissimorum interpretum vestigia secuti, optimam libros novi foederis interpretandi rationem eligerent, & difficiliora loca explicarent, ex auctoribus optimis græcis illustrarent, & hoc modo, qua via illi calamitati optime obviam iri, & illa depelli possit, demonstrarent. Insigni prorsus & eleganti conatu non minus, quam lætissimo successu, inprimis hoc in se suscepit munus Clarissimus Kypke, Professor Regiomontanus doctissimus, (cuius iam ante duos, & quod excurrit, annos, labores Grammaticæ ebræo Chaldaicæ Danzii illustrandæ & perpoliendæ impensi, orbi litterario tantopere se probarunt, ut desiderium excitarent, eiusdem Viri doctissimi opera etiam interpretem Danzii ebræo chaldæum tam egregie illustratum videndi,) elegantissimo suarum observationum sacrarum in N. T. libro, in quibus ita versatus est, ut quamvis ex auctoribus græcis libros N. T. illustrandos sibi sumeret, tantum tamen absit, ut profanus nimisque temerarius esse videatur interpres, ut potius has, quas sacras appellavit observationes, ob insigne & maximopere laudandum summi numinis & domini nostri Iesu Christi gloriæ promovendæ studium, quod ubique elucet, iure meritoque suo hoc nomine appellandas esse publice profiteamur necesse sit; si vero sive divitias doctrinæ, sive observationum copiam, sive modestiam, egregiam interpretis virtutem, sive denique integritatem animi admodum sinceri spectes, reliquis, qui hoc anno eo in genere clari prodierunt, quibus tamen nihil de sua laude & publicis præconiis detractum volumus, palmam præripuisse videatur. Quo certius itaque est, Clarissimum Auctorem, orbem eruditum, inprimis vero Hermenevticæ sacræ studiosos, beneficio magno demereri, eo gratius nobis erit, si muneri, quod iam in nos recepimus, ita satisfacere possimus, ut in publicum quasi utilitas & præstantia huius libri prodeat, in pluribus autem cupido illum perlegendi incendatur, iis denique, quæ iam diximus, fides sua constet. Consilium, quod in observationibus suis secutus est, ipse in præfatione, docte conscripta, & priori Tomo præfixa, aperit. Nimirum, se offerre dicit observationes philologicas in N. T. libros

libros, in quibus quid agere voluerit, satis quemque intellecturum esse, si quid Lamb. Bosius, Hombergius, Raphelius, Elsnerus, & Io. Alberti, in observationibus suis in libros N. T. præstiterint, meminisse voluerit. Quantum vero laudis huic consilio sit tribuendum, & quam præclara sint illa quæ hoc nomine studium Hermenevticum ab hoc viro sibi polliceri debeat, quilibet perspicere poterit, qui quantum laudis & gloriæ magna illa interpretum & philologorum nomina ab erudito orbe iam dudum reportaverint, cogitaverit. His tamen consilium suum limitibus circumscripsit, ut, cum sibi subiiceret, & apud animum proponeret, ingenii sui monumenta in publicam lucem emittere, & gratiam ab orbe litterario inire, lectoribusque suis prodesse, in id quanto posset opere incumberet, ut perspectum sibi redderet, quid in eodem argumento ab aliis iam occupatum, quid contra suæ industriæ sit relictum, ne sexcenties dicta repetiisse, & e centenis veteribus scriptis novum aliquod procudisse videatur. Rationes instituti, quod in his observationibus persequitur, inprimis eo spectant, ut maximam & præcipuam industriam in voces & phrases N. T. impenderet, inprimis rariores & difficiliores, & earum veros significatus, vim atque emphases, e scriptoribus græcis curatius exponeret. E vocabulis rarioribus illorum præsertim curam habuit, quæ ἅπαξ λεγόμενα dicuntur, & in quibus interdum hæsitant & laborant interpretes. Operam deinde navavit locutionibus infrequentioribus, earumque rarioribus significatibus, imo & iis vocabulis, quæ ut satis crebro in N. T. libris occurrunt, in scriptoribus profanis tamen rarissima sunt. Cum etiam non ignoraret, quantam vim, & quam egregium ornatum secum ducant græcæ linguæ particulæ, & quæ dicuntur ellipses, ideo significatibus quoque harum eruendis, & ellipsibus notandis & confirmandis, navasse operam dicit, ita ut multis in locis Bosii libello de ellipsibus non exigua accessio facta esse videatur. Nec perperam eum, aut temerario vanoque consilio rem aggressum fuisse, ex iis exemplis, quibus singulas partes consilii eius illustraturi & confirmaturi sumus, apparebit.

rebit. Elegimus tantum quædam exempla, in quibus recensendis nostra versabitur opera, quoniam fieri non potest, ut singulas præstantissimas observationes, quæ ubique eminent, & quarum optio difficili opera instituitur, describamus. Rariorum vocum & locutionum inprimis, per totum librum, a Cl. Auctore rationem habitam fuisse constat, v. c. *μετριοπαθεῖν* Ebr. V. 2. quam vocem nondum ex profanis produxisse alios dicit, significare moderate se gerere, moderatione uti, iram continere, alterius malis & infirmitatibus adfici, adeoque non immodica severitate uti. Confirmat hoc, quod dixit, ex Ioseph. Ant. l. 12. c. 3. ubi, cum Iosephus Vespasianum & Titum laudasset, quod quantumvis Iudæis ob pertinaciam & rebellionem irati, tamen iis Antiochiæ & Alexandriæ ius civitatis non ademerint, addit: *Ὀυεσπασιανοῦ δ' ἄν τις καὶ Τίτου τὴν μεγαλοφροσύνην εἰκότως ἐκπλαγείη, μετὰ πόλεμον καὶ τηλικούτους ἀγῶνας, οὓς ἔσχον πρὸς ἡμᾶς μετριοπαθησάντων*, h. e. nihil immoderate in nos statuerunt: ita apud Appian. bell. Hisp. p. 529. ed. Tollii quærunt Numantini obsessi ex Scipione, *εἰ μετριοπαθῶς σφίσι χρήσεται παραδοῦσιν αὐτούς*, an clementer, si sese dederent, ipsos accepturus sit. Generatim *μετριοπάθειαν* moderationem & continentiam affectuum animi notare: hinc apud Stobæum serm. 1. Porphyrius asserit, virtutem politicam niti *μετριοπαθείᾳ τοῦ ἀλόγου*, & *τὰ ἄμετρα τῆς ἀλογίας*, adfectuum incontinentiam, opponit *τῇ μετριοπαθείᾳ*.

Phrasin 1 Cor. VIII. 10. *ἡ συνείδησις οἰκοδομηθήσεται* significatum adeo rarum hic plerisque habere videri, ut etiam nonnulli locum ipsum medicina indigere putaverint; eam igitur interpretatur ita: incitatur, seu impellitur conscientia ad comedenda idolis immolata. Phrasi simillima uti dicit Iosephum, Ant. lib. 16. c. 6. de Herode narrantem, quod ad coercendum fastum filiorum Mariamnes Antipatrum honoribus evexerit, non quod omnia in illum conferre vellet, sed potius *εἰς νουθεσίαν τὴν ἐκείνων οἰκοδομῶν αὐτὸν*, ut ad castigationem seu afflictionem eorum illum incitaret, seu impelleret. Sed, quoniam ipse fatetur, locum hunc Iosephi sua obscuri-

obscuritate laborare, quin etiam vocem οἰκοδομεῖν de ipsius Antipatri in statum meliorem evectione accipi posse: dubitamus, an solus hic locus sufficere possit interpretationi Cl. Auctoris stabiliendæ & confirmandæ, præsertim cum ex Grotii opinione ad h. l. optime & huic loco frequentior illa huius vocis vis ac significatio, qua Paulus in suis epistolis, quod veluti inductione quadam, ut dialectici dicere solent, plane ostendi potest, notione confirmandi uti solet, accommodari possit.

Verba 2 Petr. II. 3. ἀργεῖ & νυστάζει notionem habent rariorem & emphaticam. Hoc loco dicit Cl. Auctor τῷ κρίματι καὶ τῇ ἀπωλείᾳ tribuuntur prædicata, quæ Deo iudici proprie competunt. Sensum horum verborum hunc esse: perniciem his hominibus non solum dudum ac certo a Deo destinatam esse, sed & prope iam imminere, & Deum eandem dudum molitum, & in inferenda illa veluti occupatum fuisse. Confirmat hunc sensum auctoritate scriptorum græcorum, qui iisdem verbis hoc sensu utantur, ut Polyb. l. 3. c. 5. de labore suo historico cum dicit, οὐκ ἀργήσειν τὴν ὑπόθεσιν, non neglectum iri hoc argumentum, etiamsi morte impeditus illud absolvere nequeat: Plut. in Numa p. 63. ed. Xylandr. Qui excitat, neque obsolescere patitur, καὶ ἀργεῖν τὴν ἐν σοὶ τοσαύτην δικαιοσύνην, neque otiosam esse tantam tuam iustitiam. Phrasi posteriori νυστάζειν, hoc Euripidis in Hecuba ἀντίτυπον est, ὡς οὔποθ' εὕδει λυπρά σου κηρύγματα, ut nunquam dormiunt tristia tua præconia. Miramur autem, Cl. Auctorem, tam in græcis auctoribus versatum, ἀντιτύπῳ tantum fuisse huius vocis contentum, cum tamen, sicut apud latinos dormitandi verbum, pro negligentem esse, neque attendere, sumitur, ita quoque apud Platonem de Leg. l. 5. ubi de scientia numerorum agit, eadem vox, eodem sensu, quem Petrus ei tribuit, deprehendatur: τοῦτο δὲ μέγιστον, ὅτι τὸν νυστάζοντα καὶ ἀμαθῆ φύσει (quæ vox priorem explicat) ἐγείρει; & Plut. Symp. lib. 5. χρὴ πολυμαθοῦς καὶ οὐ νυστάζοντος, (quod prius ex oppositionis lege illustrat,) ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς πράγμασιν ἀνδρός.

Eadem quoque via procedit Vir Cl. in expediendis explicandis-

candisque vocibus difficilioribus, v. c. vox Matth. XIX. 28. ἡ παλιγγενεσία, quæ longo iam abhinc tempore doctissimorum interpretum ingenia ita exercuit, ut mirum in modum a se invicem discederent, sic ab Auctore Cl. explicatur, ut, postea quam varias species vel μετεμψυχώσεος Pythagoricæ, vel instaurationis mundi Stoicæ, post illius exustionem futuræ, vel restitutionis reipublicæ Iudaicæ, quæ apud Iosephum occurrit, vel resurrectionis hominum & reditus in vitam, recensuisset, & auctoritate scriptorum græcorum roborasset, quæ cunctæ sub παλιγγενεσίᾳ tamquam suo genere continentur: tandem ipse quid intelligat, aperiat. Nimirum in verbis Christi intelligi per παλιγγενεσίαν, ait, 1) totam mundi, seu rerum omnium mutationem & instaurationem, 2) resurrectionem hominum ad vitam futuram. Per hanc vero rerum omnium redintegrationem & instaurationem, hominumque resurrectionem, non tantum ipsum actum, sed & inprimis totum illum statum, intelligendum esse, qui resurrectionem sequitur, in æternum usque duraturum. Sententiam rationibus quibusdam confirmatam, Cl. A. loco quodam Ciceronis Ep. ad Attic. L. VI. ep. 6. illustrat, ubi Cicero omnem conditionem suam, & statum, qui revocationem ab exilio excipiebat, παλιγγενεσίαν suam vocat. Sed tantum abest, ut Ciceronis locus sententiæ Cl. A. quam de παλιγγενεσίᾳ amplectitur, confirmandæ ac illustrandæ, patrocinii atque lucis aliquid afferat, ut potius contrarius ipsi videatur, & aliam potius sententiam, quæ omnino vera & accurata est, confirmet. Perplacet enim Collegæ nostri, V. Cl. Ernestii, huius vocis & nostri loci explicatio, quam in indice græco latino, Clavi Ciceronianæ adiuncto, voce παλιγγενεσία, affert. Dicit nimirum, se non dubitare, quin eadem vox, quæ hic apud Ciceronem occurrat, παλιγγενεσίας, qua dignitatem suam, quam revocatus ab exilio, recuperaverat, proconsulari etiam imperio suscepto, appellat, ita quoque apud Matthæum capienda sit, ut instaurationem & recuperationem pristinæ gloriæ, quæ ei contigit cum a morte in vitam revocatus, & in coelum sublatus esset, indicet; quoniam Christus ipse τὴν παλιγγενεσίαν explicat, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ. Hoc enim tem-

tempore discipulos Christi, Sp. S. repletos, auctoritatem consecutos, quid credendum sit, nec ne, quid bonum, iustum, Deo iucundum, nec ne, definiendi.

Nec minus eleganter quoque versatur Cl. A. in explicandis difficilioribus verbis. Matth. XXIII. 15. ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν. Hæc verba nimirum ait vulgo verti: facitis eum filium gehennæ duplo magis, quam vos; h. e. ut duplo gravior eorum sit poena, qui decipiuntur & pervertuntur, quam qui alios decipiunt & pervertunt. Hanc vulgarem sententiam, ait, vel ex hoc capite sibi non probari, quoniam in nulla lingua eiusmodi numeralia multiplicativa & proportionalia, vi significationis suæ, gradus comparationis admittere certum sit. Non dicere latinos, duplex, duplicior, triplex, triplicior; nec græcos, τριπλότερος, τετραπλότερος. Et si hic sensus subesset, dicere debuisse Matthæum, διπλοῦν ὑμῶν s. διπλῆ ὑμῶν, duplo magis, quam vos: quid hoc autem sit, se non intelligere. Numeralia vero, si in aliam transeant significationem, per gradus comparationis omnino flecti posse. Sic dici: fecundior, fecundissimus, pro felicior, felicissimus. Ita si ἁπλοῦς sincerum hominem denotet, dici posse ἁπλούστερος, ἁπλούστατος. Hoc se in eam trahere sententiam dicit, ut putet, vocem διπλότερος, quæ in comparativo nusquam apud profanos compareat, & in N. T. quoque ἅπαξ λεγομένη est, denotare hominem fallacem, simulatorem, hypocritam. Multis deinde profanorum scriptorum locis, hanc huic voci subiectam vim stabilit, & illustrat. Rationes tandem suas ad hunc modum colligit: quemadmodum ἁπλοῦς est simplex, sincerus, & ἁπλότης simplicitas, sinceritas, ita διπλοῦς fallax, simulator, & διπλόη hypocrisis, fraudulentia. διπλότερον esse adiectivum in accusativo, & ita interpretandum, facitis illum filium gehennæ, qui fraudulentior, imo insignior sit hypocrita, quam vos estis. Hanc quoque, addit, interpretationem eleganter respondere nexui & consilio verborum Christi.

Eadem diligentia, parique ingenio, versatur in explicandis verbis ἅπαξ λεγομένοις; usum enim vocis eiusmodi constitutum, & locis ex Auctoribus græcis confirmatum, ad lo-

cum N. T. in quo illius mentio fit, refert, illumque breviter explicat. Ita v. c. φυλακτήριον Matth. XXIII. 5. ex usu vocis græcæ, re ipsa ut satis nota supposita, explicat: notare enim dicit 1) munimenta, quibus scilicet animus hominis ita muniatur, & in tuto collocetur, ut simul ac ipse eadem conspiciat, cavere discat a peccando. Sic Iudæos תפלין gestasse, ut ea conspicientes memores essent mandatorum Dei: 2) amuleta, qualia e collo aut alibi suspendere solebant gentiles, ut mala a se amolirentur. Idem de ligamentis suis precatoriis credidisse Iudæos, inesse illis vim ad mala quævis propulsanda, & ad dæmones fugandos: 3) quamlibet tutelam & præsidium, quo se quis tueatur. Hunc significatum generalem reliquos comprehendere; ita & Iudæos sua precantium insignia robur & munimentum vocare, quo & hostibus sint formidandi.

Verbum φρυάσσειν Act. IV. 25. de equis proprie adhibetur, cum illi collo altius sublato hinniunt & ferociunt. Sic Callimach. hymn. in lavacr. Pallad. v. 2. τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομέναν τᾶν ἱερᾶν ἐσάκουσα. Ad homines deinde si hoc vocabulum transferatur, significat inflatum esse, & ob animi fastum, verbis vel factis insolenter agere. Ita quoque Philonem de charitate p. 716. ed. Gelen. hominem superbum ita vivis quasi coloribus depingere: incedere in summis pedum digitis, καὶ τὸν αὐχένα μετέωρον ἐξαίρει φρυαττόμενος, cervicem in equi morem erigens ferocit. Ἱστορῆσαι Gal. I, 18. reddit, ut Petrum cognoscerem, ut notum mihi redderem. Hanc enim esse notionem verbi, quod de rerum insignium & memorabilium contemplatione & notitia præcipue occurrat. Sic Iosephum B. I. l. VII. c. 7. Iulianum quendam centurionem, ut virum fortissimum laudare, & de eo dicere: οὐκ ἄσημος ὢν ἀνὴρ, ὃν ἐγὼ κατ' ἐκεῖνον ἱστόρησα τὸν πόλεμον, qui mihi in isto bello innotuit.

Quam docte in particulis græcæ linguæ explicandis versatus fuerit, vel ex his quæ adducemus exemplis clare demonstrabitur. Ita v. c. Luc. XIX. 42. ὅτι εἰ ἔγνως, voculam εἰ per *utinam* esse vertendam, egregie admodum loco quodam Plutarchi, ubi de notione hac particulæ εἰ *apud Delphos p.* 386.

386. ed. Xyl. agit, confirmat: οὐχ ἧττον οἴονται τῆς πευστικῆς τὴν εὐκτικὴν τὸ γράμμα περιέχειν δύναμιν. εἰ γὰρ ὄφελον Φησὶν ἕκαστος τῶν εὐχομένων. καὶ Ἀρχίλοχος, εἰ γὰρ ὡς ἐμοὶ γένοιτο χεῖρα Νεοβούλης θίγειν, καὶ τοῦ εἴθε τὴν δευτέραν συλλαβὴν πάρελκεσθαί Φησιν: ita & Ioseph. Antiquit l. XIIX. c. 8. εἰ γὰρ ἀφίκοιτο ποτὲ ἡμέρα, utinam veniret tandem illa dies. Versu 43 καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου, voculam καὶ per *quum*, sive relative *quibus* interpretatur, & confirmat elegantem huius particulæ vim, partim ex locis parall. Matth. XXVI. 45. Marc. XV, 25. partim profanis Scriptoribus, ut Xenoph. Exped. Cyri l. 2. erat iam circa tempus pleni fori, καὶ ἔρχονται παρὰ βασιλέως καὶ Τισσαφέρνους κήρυκες, cum a rege & Tissapherne legati venirent. Ad Act. I, 1. τὸν μὲν πρῶτον λόγον, observat, particulam μὲν eleganter a Scriptoribus græcis poni, si in libris posterioribus, ad libros priores a se scriptos provocent, eorumque summa capita breviter repetant. Fieri hoc ab Herodiano, initio singulorum fere librorum, & a Philone, de vita Mosis, initio libri II. & III. & ubi librum, *quod omnis probus liber*, his inchoat verbis: ὁ μὲν πρότερος λόγος. Act. XVI. 37. οὐ γὰρ ἀλλὰ particulas, explicandas esse, non sane, minime vero, & asseverationem in se continere, qua ad quæstionem quandam responderi solet; ut apud Lucian. dial. mort. Men. & Aeac. annon amplius aureum illud femur habes? Pyth. οὐ γὰρ, ἀλλὰ φέρε ἴδω, non sane, sed age videbo. Rom. V, 3. οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα, &c. formulam hanc connectendi Paulo solennem esse, & Rom. V. 11. IIX. 23. IX. 10. occurrere, indicare autem, adiectum iri aliquid a priori diversum, idque vel cum gradatione quadam, vel sine illa: in hoc loco gradationem adesse, & verti posse, quinimo, quod maius est. Similiter Philo de vita Mosis p. 625. ed. Gelen. Hebræos asserit, cum affligerentur Ægyptii, nonnisi calamitatum alienarum fuisse spectatores, καὶ οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ μαθημάτων τὸ κάλλιστον καὶ ὠφελιμώτατον, ἀναδιδασκομένους εὐσέβειαν, imo quod maius est, etiam tales, qui doctrina pulcherrima & utilissima pietatis eruditi essent.

In

In locutionibus ellipticis sive confirmandis, sive notandis, ita quoque versatus esse videtur, ut multis locis N. T. illustrandis eximia prorsus lux sit allata. Ita Matth. XIV. 13. vocabulum πεζῇ, quod elliptice pro ἐν πεζῇ ὁδῷ positum sit, a plerisque *pedibus*, *pedestri itinere*, verti ait, quod tamen huic loco non satis accurate quadret, potius illud iter terrestre denotare, sive pedibus aliquis incedat, sive curru vel iumento vehatur. Usum huius ellipticæ locutionis confirmat ex Demosth. orat. 2. in Philipp. nunquam Philippus classe in Atticam venisset, οὔτε πεζῇ βαδίζων ὑπὲρ τὰς Πύλας καὶ Φωκέας, neque pedestri itinere supra Pylas & Phocenses pervasisset; & Xenoph. Cyrop. l. IIX. p. 159. ed. Bas. de itinere Persarum, quod equis per stationes dispositis fiebat, dicit: ὅτι γ... τῶν ἀνθρωπίνων πεζῇ πορειῶν αὕτη ταχίστη τοῦτο εὔδηλον, manifestum est, hoc itinerum, quæ terra homines suscipiunt, velocissimum esse. Phrasis Marc. VII. 4. ἀπὸ ἀγορᾶς - - - οὐκ ἐσθίουσι, elliptica, neque ab omnibus intellecta, varietatem lectionis pariens, per participium ὄντες s. γενόμενοι, quæ subaudiatur, explicatur, uti apud Aristot. Problem. Sect. V. διὰ τί τοῖς ἐκ τῶν γυμνασίων καὶ φαρμακοποσιῶν οὐκ εὐθὺς προσφέρουσι τροφήν, cur iis, qui ab exercitationibus aut potu medicamentorum veniunt, non statim cibum adferunt? Aristoph. in concionatr. p. 745. ed. Port. Genev. προσπίπτουσαι τοῖς ἀπὸ δείπνου, ad genua cadentes iis, qui cœnarunt. Aelian. var. hist. l. XII. c. I. ἔτυχε μὲν ἀπὸ δείπνου ὤν. Locus Luc. XXIV. 47. non mediocriter interpretes vexavit, inprimis lectio, explicatio, & constructio participii ἀρξάμενον scrupulum iniecit, ut plerique censerent ἀρξάμενον construi debere cum verbo κηρυχθῆναι, ita ut illud veluti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum sit: sed Cl. A. hoc loco putat cum Lamb. Bos in ellipsibus, subintelligi posse vocabulum πρᾶγμα, ita ut ἀρξάμενον in appositione positum censeatur cum vocibus μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, hoc sensu: necesse erat prædicari poenitentiam & remissionem peccatorum, quæ res incipere debebat Hierosolymis. Participia enim & adiectiva quælibet neutro genere, voce πρᾶγμα subintellecta, cum sub-

stantivis

ſtantivis diverſi generis coniungi ſolere, iam ad Matth. VI. 34. pluribus exemplis confirmavit; & locum Athenæi l. 3. p. 103. ed: Caſaub. ex Platone Comico affert ſimillimum noſtro: πότους ἑωθινοὺς πίνει διά σε νῦν, πρότερον οὐκ εἰθισμένον (ſc. πρᾶγμα), potus matutinos propter te nunc bibit, rem ipſi antea non ſolitam. Verba Rom. I. 15. τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον plerique per duplicem ellipſin ſupplenda explicant, ita ut plene dicendum fuiſſet: τὸ κατ᾽ ἐμὲ (ὂν) πρόθυμόν (ἐστι), quantum in meis viribus ſitum eſt. Sed hic verba impeditius fluere ſibi videri, ait, & in tam paucis vocibus duriorem eſſe & duplicem ellipſin; credere ſe potius, apoſtolum, ſi hic eſſet ſenſus, ſaltem perſpicuitatis gratia dicturum fuiſſe: τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμός εἰμι; ſimplicius eſſe, ut nonniſi unicum verbum ἐστὶ ſubaudiatur, & artic. τὸ referatur ad vocem πρόθυμον, eo ſenſu, ut τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον idem ſit ac τὸ πρόθυμόν μου, quod ſubſtantive adhibitum, idem ac προθυμίας, promtitudinem, deſiderium ſignificet, præſertim cum præpoſitio κατὰ cum Accuſ. ſæpe ponatur pro genitivo, ut εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον pro Ματθαίου. Notiſſima omnibus S. S. ſtudioſis res eſt, quanto ſtudio interpretum opera atque meditatio in explicando loco Paulino Rom. III. 25, & inprimis vocabulo ἱλαστήριον verſata fuerit; & quantum præſertim in eo elaborarint, ut, quæ ſit vox per ellipſin omiſſa, voci ἱλαστήριον ſupplenda, docerent. Lamb. Bos, ſedulus atque doctiſſimus ellipſium indagator, tria potiſſimum ſubaudienda eſſe cenſet vocabula, quibus ſenſus ſuppleri commode poſſit, ἀνάθημα, θῦμα, & πῶμα vel ἐπίθεμα: ita tamen, ut ſi ἱλαστήριον, quod natura ſua adiectivum eſt, pro ſacrificio propitiatorio, ut noſtro loco, ſumatur, ſubaudiri debeat θῦμα, ut χαριστήρια, ἐπινίκια, σωτήρια, apud exteros ſcriptores; ſi vero operculum illud propitiatorium denotet, ut Hebr. IX. 5. tunc ſupplendam eſſe vocem πῶμα ſ. ἐπίθεμα. Ex parte ſequitur Lamb. Boſium Cl. Auctor, (cui quoque locum ex Dionis Chryſoſtomi orat. XI., ubi ἱλαστήριον pro dono propitiatorio uſurpetur, aperte militare profitetur,) quando in explicando noſtro loco ad Romanos, vocem ἱλαστήριον de ſacrificio expiatorio ſe intelligere ait, ita ut θῦμα, ἱερεῖον, aut

ſimile aliquid, ſubaudiatur; illam enim interpretationem, quæ ad operculum arcæ foederis alludi putent, ſubtiliorem & obſcuriorem videri, nec, ob varia incommoda, quæ ſecum ferat, eam interpretandi rationem admittendam eſſe. Auctor ſine dubio Cl. Kypkio, ut in eam iret ſententiam, fuit Io. Clericus, qui in ſuis annotationibus, quas Hammondianis adiecit, & iterum Bibl. Sel. Tom. XIII. Art. II. p. 121. opinatur, nullam in oratione Paulina alluſionem eſſe ad operculum arcæ, ſed ἱλαστήριον dici, ſubintelligendo ἱερεῖον, aut θῦμα, victimam, quod illico mentio fiat ſanguinis, cui nulla ſit cum operculo affinitas; eoque nomine Lockium ſuum reprehendit, quod Grotium ſecutus, hoc vocabulum de propitiatorio arcæ operculo explicarit. Tantum vero abeſt, ut, quod pace Viri Cl. fiet, huic ſententiæ, quam cum Clerico amplectitur atque tuetur, ſubſcribamus, & rationibus ab illo allatis perſuaſi credamus, non ſub ἱλαστηρίῳ πῶμα ſubintelligi debere, ſed θῦμα: ut potius, graviſſimis argumentis inducti, credamus, eam ſententiam interpretum, quæ πῶμα ſ. ἐπίθεμα ſubintelligi vult, & gravitate, & perſpicuitate, quam maxime ſe nobis commendare. Illud, quod docti deſiderabant, ut ex Auctore quodam oſtenderetur, ἱλαστήριον ſignificare ſacrificium expiatorium, nec a Cl. Auctore ex Chryſoſtomi loco effectum eſſe videtur; ubi, ipſo Lamb. Boſio teſte, ſub ἱλαστηρίῳ non θῦμα, ſed ἀνάθημα ſubintelligendum eſt. Subtiliorem autem & obſcuriorem noſtram huius loci explicationem eſſe, ſi cum ipſis LXX. interpretibus, qui Exod. XXV. 17. כַּפֹּרֶת per ἱλαστήριον ἐπίθεμα interpretantur, eandem vocem ſupplendam eſſe dicimus, veremur an cuiquam perſuadere poſſit: præſertim ſi cogitet, egregie comparationem inſtitui poſſe inter typum & antitypum; communem hanc fere omnium veteris eccleſiæ chriſtianæ interpretum, eorumque optimorum, teſte Suicero in Theſ. Eccleſ. T. I. f. 1449. explicandi hunc locum rationem fuiſſe; antiquiſſimos Iudæos hanc occultam ſignificationem non negaviſſe; egregie denique conſilio Pauli eam ſatisfacere; cruentam Chriſti ſatisfactionem, & meritum, verum eſſe noſtrum propitiatorium, ſanguine

guine olim a ſacerdote verſus arcæ operculum ſparſo adumbratum; & quemadmodum ἱλαστήριον arcæ ἐπίθεμα, tabulas legis, minas item ac maledictiones, violatoribus eius intentatas, ita tegebat, ut in nullius unquam venirent conſpectum, ita Chriſtus, merito ſuo, maledictionem, quam tabulæ legis arcæ incluſæ minabantur, ita texit ac ſuſtulit, factus pro nobis ἐπικαταράτοις κατάρα, ut Deus ea reſipiſcentibus & in Chriſtum credentibus imputare, & in futuro iudicio in conſpectum producere nolit, quemadmodum egregie docet S. V. *Deylingius*, ὁ μακαρίτης, obſ. Sacr. T. II. Obſ. XLI. Eleganter quoque acutiſſimus P. *Iurieus*, in Hiſt. Critiqu. P. II. c. I. p. 235. ea de re diſſerit: Pourquoi le couvercle de cette Arche étoit-il appellé propitiatoire? c'eſt par ce qu'il couvroit la Loy, en quoi il étoit figure de la mort & de la ſatisfaction de Ieſus Chriſt, qui couvre les pechés, que nous commettons contre la Loy, & c' eſt pourquoi il s'appelloit le Propitiatoire. Par alluſion à cela St. Paul dit, que Dieu a mis Ieſus Chriſt pour propitiatoire par ſon ſang; c'eſt à dire, qu'il l' a ordonné pour la couverture des nos pechés par ſon ſang.

Opera hæc, quam ſecundum inſtituti ſui rationes in ſe ſuſceperit, quantam utilitatem ad iuvandam librorum N. T. interpretationem afferat, neminem fore dicit Cl. A. qui non intelligat. Lectorum enim multum intereſſe, qui & ſuos & aliorum animos cognitione ſalutari ex his ſacris litteris imbuere velint, ut non ſolum verborum locutionumque ſacrarum accurate cognitos ſibi ac perſpectos reddant ſignificatus, ſed ut quoque de perſpicuitate & certitudine interpretationis quam maxime perſuaſi eſſe poſſint. Hæc enim duo ſartam tectamque tueri codicis ſacri integritatem. Non itaque ultima laus, ſed omnino palmaria debetur interpreti S. S., ſi muneri ſuo, quod in ſe ſuſcepit, obeundo ſatisfaciat, hoc quoque nomine, ut religionis chriſtianæ, quæ S. S. tanquam firmiſſimo fundamento nititur, ſtabiliendæ, confirmandæ, ac defendendæ auctor ſit egregius. Hæc laus noſtro inprimis debetur *Kypkio*, qui in his obſervationibus ita verſatus eſt, ut in defendendis oraculis divinis, & in univer-

ſum veritate religionis chriſtianæ propugnanda, tantum omni occaſione praeſtiterit, quantum illi, qui ex inſtituto præſtantiam librorum N. T. & veritatem ex his libris demonſtrandam ſibi ſumſerunt, vix præſtitiſſe videantur. Noceri enim putabat cauſæ Reip. Chriſtianæ optimæ, illique detrahi, tantum abeſt ut illius patrocinium ſuſcipiatur, ſi eiusmodi interpretationibus oraculorum divinorum utaris, quæ, quoniam optimis interpretandi litteras ſacras regulis non reſpondent, prorſus nihil proſunt, immo irriſoribus & veritati chriſtianæ adverſis calumniandi & ſcommatibus eam proſcindendi copiam atque occaſionem præbent. Ideo quoque profitetur, ſe in maculis ſordibusque, quas Lucianus, Phrynichus, aliique græcitatis magiſtri, his & ætate & auctoritate inferiores, multis N. F. vocabulis phraſibusque, ſub Barbariſmorum & Soloeciſmorum nomine adſperſerint, eluendis & abſtergendis, pro virili elaboraſſe. Ne vero temere hæc affirmaſſe videatur, exemplis quibusdam confirmare, quæ dixit, volumus. Contra Phrynichum v. c. Barbariſmi N. F. libros accuſantem, defendit Matth. XV. 16. voculam ἀκμὴν, adhuc, ut non ſatis elegantem hoc ſenſu; cum tamen ſit apud Ioſeph. Ant. Iud. l. XVII. c. II. τὺς πολίτας ἰδιώτην ὄντα ἀκμὴν, σφάζειν ἐν ἱερῷ μὴ ἀποτετραμμένον, qui cives, cum privatus adhuc eſſet, in templo mactare non dubitaverit; & l. XIX, c. I. λανθάνοντος ἀκμὴν κακȣ͂, ignoto adhuc malo. Occurrit & apud Polybium. 1 Theſſ. IV. 11. πράσσειν τὰ ἴδια, agere quod ſuum eſt, quod ſui eſt officii, nec ſe aliorum immiſcere negotiis, quod opponitur τῷ περιεργάζεϑαι 2. Theſſ. III. 11. a Demoſthene ſimili modo adhiberi exord. orationum p. 143. ed. Wolfii Frf. ἄν δ' ἔχειν ἡσυχίαν τις παραινῇ, καὶ τὰ ὑμέτερα αὐτῶν πράττειν, ſi quis moneat, ut quieti ſimus, & noſtra agamus negotia; & item a Lyſia orat. 18. ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἦν τὰ ἑαυτȣ͂ πράττειν, Ἀριςοφάνης δὲ ȣ̓ μόνον τῶν ἰδίων, ἀλλὰ καὶ τῶν κοινῶν ἐβȣ́λετο ἐπιμελεῖσϑαι. Notari poſſe hunc locum, ait Cl. A. contra Phrynichum, qui Atticos præcipiat dicere, τὰ ἐμαυτȣ͂ πράττω, non vero τὰ ἴδια πράττω. 2. Petr. II. 6. ὑπόδειγμα, exemplar, perperam damnari a Phrynicho

nicho, ostendit locis quibusdam, v. c. Ioseph. Bell. Iud. l. II. c. 28. ἀλλ' ἐκ εἰς ὑπόδειγμα τῶν ἄλλων ἐθνῶν καταφλέξειν μὲν τὴν ἱερὰν πόλιν, quod non in exemplum aliarum gentium urbem hanc combusturi sint. Contra Lucianum defendit 1 Cor. XVI. 9. verbum ἀνέωγε, quod neutraliter acceptum in Soloecismis ponitur, apud Lucianum in Soloecista p. 984. ed. Salmur. Usum tamen esse illo ipsum Lucianum satis frequenter. Sic dial. Merc. & Charont. τῦ σκαφιδίε τὰ ἀνεωγότα, navigii rimas; Strabonem Geogr. l. V. p. 357. ed. Amstel. ἀνέωγε τ' ἐντεῦθεν σπήλαια ὑπερμεγέθη, atque inde ingentes aperiuntur speluncæ; Iosephum Ant. l. VI. c. 14. σπήλαιον βαθὺ καὶ κοῖλον εἰς πολὺ καὶ μῆκος ἀνεωγὸς καὶ πλάτος. Contra alios græcitatis magistros, Soloecismi maculam libris N. T. adspergentes, tuetur v. c. Matth. XIV, 10. contra Salmasium, vocem ἀποκεφαλίζειν, quam ille ut plebeiam & nemini veterum usurpatam vellicaverat; vindicans eam loco quodam, (præter illa loca quæ Raphelius in annot. Polyb. & Cel. Alberti ad h. l. adduxerat,) Dion. Cassii Excerpt. Val. p. 717. ὥστε ἀποκεφαλισθέντος, ἐδὲ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ ἰδεῖν ὑπέμεινεν, ut nec præcisum eius caput intueri sustinuerit. Vocabulum Ioh. XII. 6. γλωσσόκομον, loculum, arculam ad recondendam pecuniam, contra eundem Salmasium defendit, qui illud plebeium & idioticum dicit: occurrit tamen apud Ioseph. Ant. l. VI. c. I. qui cistulam illam, in quam Philistæi aureos mures & quinque icones coniiciebant, γλωσσόκομον appellat; & apud Arrianum in Peripl. mar. erythr. p. 153. ed. Blanc. ubi in insula Dioscoridis testudines reperiri scribit, e quibus γλωσσόκομα καὶ πινακίδια, loculos & tabellas pugillares confecerint. His autem loculis inprimis ad recondendam pecuniam usos fuisse, probare Plutarchum in Galba p. 1060. ubi de hoc dicat: ἐκέλευσεν αὐτῷ κομισθῆναι τὸ γλωσσόκομον, καὶ λαβὼν χρυσᾶς τινὰς ἐπέδωκε τῷ Κανῷ. Messem soloecismorum Act. XV. 22. 23. 25. reperisse sibi visi sunt Viri eruditi non pauci, sed in lectione græcorum aut non satis versati, aut non satis attenti. Verba sunt: τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις - - ἐκλεξαμένες

 ἄνδρας

ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι. Ἐκλεξαμένες hic & v. 25. ἔδοξεν ἡμῖν γενομένοις ἐκλεξαμένες ἄνδρας in Dativo putant poni debuisse, ut cum verbo ἔδοξε, & dativo præcedente, construatur. Fuisse quidem ait nonnullos, qui huic loco, ne Soloecismi vitio videretur laborare, medelam allaturi, dicerent: ἐκλεξαμένες cum ἄνδρας construendum, & passive vertendum esse, viros electos. At cum rarius sit, tempora medii significationem habere passivam, ostendendum antea fuisse, etiam hoc ipsum ἐκλέξασθαι in medio significatione passiva occurrere. Tutius se Soloecismum posse amoliri hac regula credit Cl. A.: Si verbum aliquod finitum cum infinitivo iungitur, casus nominis adiecti, mox tempori finito, mox infinitivo respondet. Potuisset tribus modis constructio formari: 1) cum dat. quod usitatissimum, ἔδοξε τοῖς ἀποςόλοις ἐκλεξαμένοις; 2) cum nominativo, ἔδοξε τοῖς ἀποςόλοις ἐκλεξάμενοι, uti statim v. 23. occurrit γράψαντες. Nominativus hic etiam multos male habuit; putabant, quoniam præcedat ἔδοξε τοῖς ἀποςόλοις, etiam scribi debuisse γράψασι. At pro accus. cum infin. græcos æque frequenter ponere nominativum, multis locis ostendit Auctor ad hunc versum, neglectis aliis quæ afferri potuissent exemplis, addit tantum ea, ubi similiter adest δοκεῖν. Lucian. in Encom. Demosth. sub initium, p. 915. ed. Salmas. ἀωρὶ γάρ τοι τῶν νυκτῶν ἐξαναςὰς ἔδοξέ μοι χρῆναι τοῖς Ὁμήρε γενεθλίοις τῆς ποιητικῆς ἀπάρξασθαι, visum est mihi intempesta nocte surgenti, Homeri die natali poeseos primitias offerri debere. Ubi pro ἐξαναςὰς poni potuisset ἐξαναςάντι. Thucyd. l. III. p. 68. ed. Bas. Hervag. ἔδοξεν αὐτοῖς, - - - - ἐπικαλῦντες τήν τε ἄλλην ἀπόςασιν, decretum fecerunt - - quum & ipsam defectionem incusarent; ἐπικαλῦντες pro ἐπικαλῦσι. 3) Accusat. ἐκλεξαμένες πέμψαι, ut eligentes mitterent. Accus. ponitur, ut apud latinos, cum infinitivo, pro ἵνα ἐκλεξάμενοι πέμψωσι. Eadem construendi ratio occurrit Luc. VI. 4. ὃς ὐκ ἔξεςι φαγεῖν εἰ μὴ μόνες τὲς ἱερεῖς pro εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις. Sic Xenoph. Cyrop. l. VII. p. 125. ed. cit. ἔξεςι δέ σοι ἰδόντι ταῦτα, ἐλθόντα ἔτι καὶ περὶ τῆς ἁρπαγῆς βελεύσασθαι; & Thucyd. l. I.

1. I. non longe ab initio, ἔδοξεν αὐτοῖς ἐλθοῦσιν ὡς τοὺς Ἀθηναίους συμμάχους γενέσθαι. Actor. XV. 28. occurrit πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, præter hæc neceſſaria; quam conſtructionem neque græcam eſſe, neque tolerabilem, aſſeruit Salmaſius, qui proinde ἐπ' ἀνάγκης legere iubet. Miratur Vir Cl. tam præclarum virum, in græcis litteris, quamprimum de verbis diſceptetur, tam ſe hoſpitem oſtendere. Ἐπάναγκες adverbium eſt, & idem valet ac neceſſario. Multis huius adverbii uſum exemplis, ex optimis quibusque Græciæ Oratoribus, Demoſthene, Aeſchine, Andocide, confirmat Auctor; v.c. Demoſth. adv. Macart. p. 665. ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐπάναγκες, quæ cognatos oportet neceſſario facere. Nonne vero hac interpretandi ratione, qua utitur Cl. Auctor, & cuius exempla ubivis in his obſervationibus proſtant, integritatem codicis ſacri, inprimis N. T., ſartam tectamque defendit, & ab impetu atque inſultibus hoſtium veritatis tuetur?

Communis fere omnium irriſorum hæc fuit conviciandi ratio, qua libros N. T. proſcindere tentarent, ut puritatem græci ſermonis, ſimul vero eius integritatem, hoc inprimis nomine ſollicitarent & impugnarent, quod eiusmodi voces & phraſes rariores, adeoque plebeiæ, in iis ab rudibus & illiteratis illis hominibus uſurpatæ occurrant, quas nuſpiam in ſcriptis veterum græcorum, eodem modo, eodemque ſenſu ſe legiſſe meminerint, & quæ, tantum abſit ut ex iis illuſtrari posſint, ut potius coniiciendo vim atque ſignificatum earum utplurimum aſſequi oporteat. Inſultibus hiſce hoſtilibus, quibus integritas S. S. petitur, obviam ire Cl. A. ſuarum etiam partium eſſe duxit, ſuis obſervationibus oſtendens, librorum ſacrorum vocabula, vocabulorum notiones, conſtructiones, & genera loquendi, non ita ex infimæ plebis, ut aiunt, circulis petita eſſe, ut non aliqua ſaltem illorum veſtigia in Scriptoribus Græciæ florentis & liberæ antiquis, aut potius in auctoribus, qui & tempore & loco viris θεοπνεύστοις propiores erant, proſtent, ex quibus luce iis affuſa, puritati quoque eorum conſuli posſit. Libros quidem ſacros

N. T.

N. T. non opus habere, ut nitidioris ſermonis cultu & ornatu ſe commendent, multum potius intereſſe, ut ſenſus eorum ſit perſpicuus, & ut accuratior eorum intelligentia firmo nitatur fundamento. Perplacet nobis illa obſervatio Cl. Auctoris, qua ſimplicem illum & popularem, cum nativa quadam pulchritudine magis quam exquiſitiori ornatu coniunctum ſermonem, a ſordido & plebeio illo loquendi modo, ex infimæ plebis circulis ſervorumque piſtrinis petito, probe diſtinguit; nec contra magni eſſe videri momenti dicit, utrum ſcribendi genus, quo uſi ſunt viri θεόπνευστοι ad veterum græcorum, e. g. Demoſthenis, Xenophontis, aliorumque nitorem & elegantiam aſſurgat, (quæ ornamenta nullus in græcis hoſpes omnibus N. T. ſcriptoribus tribuat,) an potius ii vocibus & locutionibus ex uſu potiſſimum vulgari petitis, doctrinas ſacras expoſuerint, iis loquendi generibus non plane faſtiditis, quæ in vitio ponebant homines, qui pluris facerent gratiam atque veneres ſermonis, quam veritatum explicandarum gravitatem & pondera. Hæc duo ſedulo admodum inter ſe ſunt diſtinguenda; neque dici ſatis poteſt, quantum damni confuſum illud cum populari ſermone ſordidum dicendi genus rei chriſtianæ attulerit. Auctoritas & reverentia, quæ verbo divino, ab Apoſtolis litteris conſignato, tribuenda eſt, haud permittit, ut barbariſmos, ſoloeciſmos, aliaque frequentiora plebeii ſermonis veſtigia, in ſtilo ſacro admittamus; perſpicuitati enim & ſanctitati librorum N. T. hoc modo inſidias ſtrui, & damnum irreparabile fieri, tam certum eſt quam quod certisſimum. Experientia enim conſtare magiſtra, aſſerit Cl. Auctor, ſermonem plebeium & barbarum anguſtis plerumque limitibus contineri, ita ut in ſingulis regionibus, quin fere ſingulis urbibus plebs in ſermone vulgari aliquid ſibi ita vindicet, & proprium reddat, ut illud aliarum regionum incolæ intelligere nequeant; cultiorem vero linguam & curatiorem, ſingulis regionibus communem, non eruditis ſolum tritam, ſed & plebi in pluribus locis intellectu faciliorem eſſe ſolere. Cogi ex his dicit, quanto plura libris ſacris inſint barbara, ſoloeca, & idiotica, hoc magis eos lectoribus, in tam disſitis orbis terrarum partibus, obſcuros fuiſſe; quin

etiam

etiam tempore Apostolorum, quo græca ubique legebantur, libri N. T. ab Apostolis conscripti, nec ab hominibus græcis, sive genere, sive institutione, sive conversatione iis, intelligi potuisse. Accidere deinde graviorem illam rei christianæ & libris N. F. calamitatem, ut admissis illis sermonis vitiis, omnis librorum sacrorum interpretatio incerta & ambigua reddatur, & sic demum frequens illa, cuius tamen tanta sit necessitas & utilitas in exegesi sacra, ad regulas grammaticas provocatio sit exulatura.

Multum quoque Cl. A. in his observationibus, eradicandis opinionibus præiudicatis, quibus nonnulli interpretum tenentur, operæ impendisse, cuivis accurate eas legenti apparebit. Talis est v. c. Philosophismus exegeticus, quo capti sibi persuadere conantur, tunc se optime interpretis munere functos, ubi de voce & phrasi græca, non ex indole linguæ & usu loquendi disputent, sed philosophentur, & coniectura sua id, quod mente præconceptum fuit, assequi, refragante licet totius græcæ linguæ indole, conentur; dicentes, non adeo rigide exigendum esse sermonem sacrum ad regulas Grammaticorum, & usum loquendi græcum, notiones vocabulorum ex coniectura interdum esse petendas, nec debere mirum cuiquam videri, si sermo græcus N. T., quoniam sit plebeius, in aliis Græciæ elegantioris scriptoribus non reperiatur. De Hebraismorum, ubivis præter necessitatem effingendorum obtrudendorumque, pruritu, ita præcipit: non parum in eo se studii & industriæ posuisse, ut tot hebraismos sermoni sacro infusos profligaret. Facile se quidem largiri, non omnes N. T. voces & locutiones, ab hebraismi aut alterius alicuius linguæ idiotismi suspicione posse purgari: attamen de eo quoque certum se esse, multas peperisse peregrinitatum accusationes, vel græci sermonis imperitiam, vel in versandis Græciæ scriptoribus negligentiam. Sed, quod pace Viri Cl. dixerimus, quamquam ii nequaquam sumus, qui omnium omnino Hebraismorum, quos nimium sedula interpretum φιλεβραίων ubivis deprehendit indagatio, patrocinium adfectemus: tamen fatemur, Cl. Auctorem nobis, multis in locis, ni-

mio græcarum litterarum ſtudio, profanos auctores iudices vocum ſacrarum conſtituiſſe, videri; quid quod parum abfuerit, quin hebraicum loquendi idioma, quo ſapientiſſimo Dei conſilio Scriptores librorum N. F. θεόπνευστοι uti debebant, & quod ipſe Cl. A. interdum conceſſit, ad ſoloeciſmorum aliorumque ſermonum peregrinorum vitia referret, & errores eorum interpretum, quos ſibi evitandos propoſuit, (quosque interdum nimis magnifice de illis antiquitatis reliquiis ſenſiſſe, & ad eas tamquam ad regulam voces & locutiones N. T. græcas exegiſſe, conſtat,) ipſe imitaretur. Quamplurima poſſemus afferre exempla ex obſervationibus hiſce, ea ſingula quæ diximus confirmatura: tamen ſufficiet adduxiſſe pauca, ut dictis noſtris fides ſua conſtet. Proſcribendum itaque hebraiſmum cenſet v. c. ex Matth. XX. 12. ubi verbum ποιεῖν laborandi vim habet; XXI. 5. υἱὸν ὑποζυγίου, de pullo aſini; XXIII. 15. ξηρὰ, terra; Luc. II. 38. verbo ἀνθομολογεῖσθαι, laudandi gratiasque agendi notione, & v. 8. φυλάσσειν φυλακὰς; XXI. 19. verbo κτήσασθε τὰς ψυχὰς, conſervate animam; Ioh. V. 27. κρίσιν ποιεῖν, iudicium exercere; VII. 24. κρίνειν κατ' ὄψιν, quod idem eſt ac κατὰ προσωποληψίαν κρίνειν; Act. II. 1. phraſi, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν; XIX. 21. phraſi, ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι; 2 Petr. II. 7. ἡμέραν ἐξ ἡμέρας; Iacob. V. 11. ἀκούειν, notione legendi, ſeu quocunque modo aliquid cognoſcendi, (ubi Cl. A. non opus habebat, hunc tam late patentem ſignificatum, e more veterum, quo non ſolum Auctor libri, ſcripta ſua recitans, a pluribus audiri ſolebat, ſed & doctores iunioribus ſcripta veterum prælegere & explicare ſueverant, repetere); 1 Cor. XI. 23. verbo παραλαμβάνειν, παραδοῦναι, vi diſcendi, docendi. In his, & quamplurimis aliis locis, negat Vir Cl. Hebraiſmum eſſe, quem tamen Grotius, aliique eximii interpretes, non ſolum admittunt, ſed quoque ex inſtituta cum hebraico ſermone collatione probant & confirmant.

Tantum tamen abſit, ut, quia non ubique Cl. Kypkii ſententiæ accedimus, propterea detractum de eius laudibus quidquam velimus: ut potius nimio quodam græcarum litterarum, in

in quibus versatissimum esse cognovimus, studio quasi abreptum excusemus, & profiteamur ingenue, cum optimi interpretis N. T. partes, & in hoc egregie tueri, quod sensum grammaticum, ex indole linguæ & usu græcorum depromtum, non autem ex arbitrio & cerebro cuiusque interpretis excogitatum, commendet; quod ex LXX. illis Alexandrinis interpretibus oracula N. T. illustraverit; quod ex ritibus antiquis Iudæorum non magis quam græcorum, multis S. S. locis lucem affuderit. qua in re provide cavit, ne singula, quibus similitudo aliqua cum ritibus sacris esse videretur, ea absque selectu congereret; quod in hoc doctrinæ genere multa sint, quorum maior sit pompa quam fructus. Abstinuisse quoque se, ait, ab attexendis narrationibus mythologicis, in quibus alii commentatores copiosi sint; sibi enim talia cumulare non modo parum utile videri, sed interdum quoque, plus quam reris, periculosum. Interpretis grammatici munere functum esse illum, apparet ex multis locis; v. c. ex Act. X. 36. τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτός ἐστι πάντων κύριος. Multa in hunc locum interpretes commentati sunt. Omnes omnium explicationes, & sua simplicitate, & perspicuitate, vincere videtur, ea quam tradidit Cel. Heumannus. Construit ille τὸν λόγον cum verbis versus 37, a nostro commate non avellendis, ὑμεῖς οἴδατε, ita: verbum quod misit filiis Israel --- vos nostis, ut igitur verba: οὗτός ἐστι πάντων κύριος, pro parentheticis habeantur. Videtur tamen hæc vox κύριος, ob nexum inter versum 35 & 36 obscurum, immo nullum, & ob duriorem hanc parenthesin, Cl. Auctori adiective intelligenda, & ad vocem λόγος referenda esse, hoc sensu: verbum, quod misit filiis Israel, pacem per Iesum Christum annuntians, illud in omnes habet potestatem. Sic omnia arcte cohærere dicit Cl. A. cum antecedenti & sequenti versu. Observandum tamen esse, λόγον sequi casum relativi ὃν, & pro λόγος positum esse; deinde vocem κύριος adiective de personis & rebus dici, quæ valorem, potestatem, & auctoritatem habeant: quod pluribus ex scriptoribus græcis confirmat. Ebr. XII. 1. τὴν εὐ-

περίστατον ἁμαρτίαν, interpretatur peccatum impeditissimum sive calamitosissimum. Explicandam censet hanc vocem ex cognatis περίστασις, ἀπερίστατος, περιστατικός. Περιστάσεις haud raro impedimenta notare, difficultates, molestias, pericula denique & adversitates, variis veterum Græciæ Philosophorum locis probat; putare se igitur, ἁμαρτίαν εὐπερίστατον esse περιστατικὴν, περιστάσεων γέμουσαν, cum multis impedimentis & molestiis coniunctam; hanc igitur si homo retinere velit, non posse expedito ad metam properare cursu. Optime igitur vertendum esse, peccatum perquam impeditum, eo sensu, quo locos impeditos, iter impeditum vocant, ea quæ homines impediunt: εὖ autem augere significatum, ut in εὐμεγέθης permagnus, εὐμήκης perlongus.

Magno quoque commodo, LXX. interpretes, in explicandis illustrandisque N. T. oraculis consuluit. Ita v. c. Matth. XVI. v. 22. phrasis ἵλεώς σοι κύριος egregie ex LXX interpretibus illustratur, qui hebræam particulam חלילה, absit, interpretantur ἵλεώς μοι, vocem θεὸς subintelligentes, nimirum hoc sensu, propitius mihi sit Deus, & eam avertat a me mentem, ne hoc vel illud faciam. Phrasin hanc ellipticam apud LXX. ait multis locis occurrere, ut 1 Sam. XIV. 46. 2 Sam. XX. 20. XXIII. 17. Porro phrasis Matth. XVI. 23. ὕπαγε ὀπίσω μου, explicatur ex Ies. I. 4. ubi interpretes Alexandrini ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω, & Ier. XV. 6. ἀπεστράφης με, ὀπίσω πορεύσῃ, interpretati sunt. Ita quoque Matth. XXII. 9. διέξοδοι illustratur per Numer. XXXIV. 4. Ps. LXIIX. 21. ubi οἱ ὁ תוצאות per διεξόδους interpretantur. Verbum ἀθετῆσαι Marc. VI. 26. vertitur, noluit fidem datam illi fallere, seu periurus contra illam esse, ut idem sit ac πίστιν ἀθετεῖν: quod confirmatur præsertim testimonio interpretum Alexandrinorum, qui voce ἀθετεῖν utantur, varia verba hebræorum transferentes, idque cum Accusativo personæ, vel nude, vel cum præpos. εἰς. Exempla sunto: מעל Dan. 9. 7. & פשע Ies. I. 2. בגד Ies. XXXIII. 1. & שקר Ies. LXIII. 8.

Quanta denique industria, in ritibus Iudæorum explicandis, omni

omni in his obſervatt. data occaſione verſatus fuerit, vel ex Matth. VI. 16. apparet, ubi *ὑποκριταὶ σκυθρωποὺς ἀφανίζοντας τὰ πρόσωπα αὐτῶν*, egregie ex ritibus ieiunii iudaici illuſtrat. Similiter locus Matth. VIII. 21. ex officio filiorum apud Iudæos & Græcos, parentum ſepeliendorum curam habendi, illuſtratur. De oſculatione pedum apud hebræos, diſſerit ad Luc. VII. 38; de ritu adorandi apud eosdem, exponit locum Ioh. XX, 17.

Tres ſibi potiſſimum tuliſſe leges, quæ in hoc opuſculo elaborando oculis obverſarentur, affirmat Cl. Auctor: primum, ut omnia quæ ſcriberet, ad ſummi Numinis & domini noſtri Ieſu Chriſti gloriam; ad tuendam diligentiſſime verbi divini maieſtatem; & ad promovendam veritatum ſanctiorum, in his libris contentarum, ampliorem & pleniorem intelligentiam, tenderent. Non id quidem ſe egiſſe, ait, ut præcepta moralia, & doctrinas ad pietatis cultum pertinentes, e libris ſacris proponeret: ſed in inquirendo ſolo litterali, qui dicitur, ſenſu ſubſtitiſſe, hoc enim ad emendationem animi noſtri plurimum conferre. Non capi ſe illa ad pietatem inſtitutione, quæ ſacris effatis nitatur perperam intellectis; quaslibet enim S. S. interpretationes ſatis pias eſſe, quæ ſatis ſint accuratæ. Deinde cupide elaboraſſe, ut quam pauciſſima diceret, quæ eſſent dicta & trita ab aliis; & ut libellus, quem ederet, ſuus, non aliorum, eſſet. Nova igitur non pauca lectoribus pollicetur, eaque ad accuratiorem librorum ſacrorum intellectum profutura: & ſi non adeo frequentes explicationes protulerit, quæ prorſus novæ eſſe videantur, ſæpe tamen & veteres ſententias argumentorum quadam novitate defendiſſe, & novitates ab aliis tentatas refellere ſtuduiſſe, haud raro etiam voces & phraſes, ab aliis iam enodatas, diverſis tamen exemplis & probationibus illuſtraſſe, ita ut vel hoc etiam nomine, quæ dixerit, nova eſſe dici, & ſe rerum non minus gravitate & dignitate, quam novitatis gratia commendare poſſint. Denique, ut brevis eſſet, elaboraſſe, & ab excurſionibus conſulto abſtinuiſſe; cum etiam erudite dicta non magnopere placere ſoleant, ſi loco minus idoneo ſint.

 Virtu-

Virtutes, quibus doctrinam suam insignem excellentiorem reddidit, ita sunt comparatæ, ut non modo ubique appareant, sed eum quoque hoc magis commendent, quo rariores illæ plerumque apud eruditos huius generis esse solent: nimirum, modestia singularis, & animus sincerus; quibus factum est, ut hominem se esse, & lapsum in hoc negotio, ubi sæpe in distinguendis vocum notionibus maxime vicinis cardo rei vertitur, admodum facilem esse agnoverit; a doctis viris si dissentire coactus fuerit, id semper studuisse, ut reverentiam illis debitam servaret, nec ullo modo læderet, nemini vero, quod hominem se esse prodiderit, dicam scripsisse. Nec etiam diligentia & arte sua defuit his observationibus in lucem proferendis, Bibliopola, Vir honestus; ut etiam, si typorum & formæ elegantiam chartæque nitorem spectes, se omnibus vel ex eo quoque capite probare liber videatur. Sufficiat, hæc ad commendandas Cl. Auctor. observationes attulisse, ex quibus satis superque, ut confidimus, intelligetur, quantum huic egregio labori pretium sit statuendum: estque omnino optandum, ut multi sint, qui huius vestigia sequi, & de litteris sacris recte interpretandis præclare mereri cupiant.

DE MENIDE SACRO ANTIQUORUM CODIcum Ornamento, Commentarius criticus; cui accessit de Lunulatis veterum Gentilium Insignibus Exercitatio parergica, Auctore IO. CONRADO STIGLIZIO.

Erfordiæ, impensis Tob. Henr. Schroederi, 1747. in 4. pl. 8.

Quamquam serius ad manus nostras pervenerit eruditus hic libellus, commemorabilis tamen vel maxime visus est nobis propterea, quod Μηνὶς in lucem e tenebris, ubi adhuc latuit, a nemine antehac protracta sit, aut satis exposita; quin vetustate etiam plane interiisset hoc monimentum, nisi nominis eius memoriam unus ille prodidisset Ausonius, *Epigr. in Profess. Burdig. XXV.*

Quos

Quos legis a prima deductos Menide libri,
Doctores patriae scito fuisse meae.

Atque adeo locus ille Ausonii classicus est huius materiæ. Explicata *Menidis* originatione, interpretatio lunati istius monimenti Barthiana §. III. in medium profertur, sed & refu- Pag. 5.
tatur. Scilicet, *menides* pro *uncis* librorum habuit C. Barthius. At esto, veteres voluminibus suis, ad lora inserenda & alliganda, *uncos* addidisse: de qua re probabilibus ex rationibus dubium est: mutatio tamen distichi illius Epigrammatis Porphyrii Optatiani:

Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
Ut quondam, scriptis ambitiosa tuis:

quam præsidio sententiæ suæ conciliando tentavit Barthius, τῷ *intus* resecto, & pro eo *uncis* posito, tum sensui Optatiani contraria, tum inanis prorsus videtur esse. Adhæc, *κορωνὶς*, quæ, teste antiquo Aristophanis interprete *ad Plut. II. 1. 253. γραμμὴ βραχεῖα, καμπήν τινα ὑποκάτω ἔχουσα*, puta *unci* figura fuit, & Menidi, auctore Hesychio *Voc. κορώνιος*, respondit, ex eadem, qua Barthius nititur, ratione, pro instrumento haberi posset, cui lora, libros constringentia compescentiaque, fuissent annexa: quod tamen manifesto falsum est. Potius in litteris librorum primis, seu *capitularibus*, ut latinitate media dicuntur, quæ iam Ausonii ætate admodum amplificari, & variis picturis ornari coeperunt, lunæ corniculantis imaginem fuisse depictam, ac proinde *primam Menidem* Ausonio dictam, §. IV. Cl. Auctor contendit. 9.
Quum Bibliothecas suas, Deorum simulacris, tanto studio excoluerint veteres gentiles, ac Iudæorum volumina avide arripuerint, species numinum suorum in iis expressum, prout videre est ex Hasmonæorum libro *cap. III. com. 48.* nullum superesse potest dubium, quin, religione ac suopte ingenio adducti, libros quoque Deorum imaginibus insigniverint, servis *exornatoribus*, qui librariorum nomine comprehendebantur, operas eam in rem Romæ conferentibus. Atque eo referenda in primis videtur *Menis*, tamquam symbolica Minervæ imago; siquidem Minerva olim eadem forma finge-

singebatur, ac Luna, h. e. sub symbolo Lunæ repræsentari & coli
solebat, proinde Σεληναία Ἀθηνᾶ dicta; id quod copiose satis §.
Pag. 15. VII. ostenditur. Hinc etiam ratio impositi Minervæ cognominis
Tritogeniae, seu *Tritoniae*, §. VIII. traditur, testimonio Val.
19. Harpocrationis Voc. τριτομηνὶς potissimum firmata, confutatis iis, qui a Tritone, amne Libyæ, vel Tritonide lacu, cognomen hoc arcessiverunt. Cognitionem ac scientiam litterarum, donum esse Deorum, in primis Minervæ, eruditæ antiquitatis consensus est, immo præcipuum poematum homericorum argumentum: hinc ad fidem maxime probabile red-
21. ditur §. IX. monimentum nostrum μηνοειδὲς, ex voto Palladi ab eruditis fuisse dicatum. Quum porro sapientioribus veterum gentilium, qui in Deorum rerumque divinarum naturam, præeuntibus antiquissimis Græciæ Theologis, paullo magis vulgo penetraverant, nonnisi ipsa supremi Numinis divini Providentia esse videretur Ἀθηνᾶ, quasi ἡ Θεονόη pro-
26. pterea Platoni dicta: symbolicam Minervæ imaginem sine dubio in libris ea quoque mente ponendam curarunt, ut quasi sub umbra huius Deæ tuti laterent libri, & perpetuo conservarentur, quo nil magis interfuisse constat veterum Βιβλιοφίλων. Caussam vero, propter quam Ausonius *Menidem* dixerit pro initio libri, derivavit El. Vinetus a primo Iliadis Homeri commate. Μῆνιν ἄειδε, θεά. Vossius *Etymolog. L. L. voc. Menis* reponit: *μῆνις facete μήνιος. at Ausonius non menie, sed menide dixit, ut adeo puerilis sit error iste.* Quid enim? neque Vinetus rem acu tetigit, nec Vossius Vineti mentem penitus perspexit; quin illi ipsi Vossio πα-
30. ρόραμα grammaticum §. XII. tribuitur, fictum auferendi casum *menie* a μήνιος deducenti. Nempe, potius scribere debuisset *meni* pro *menie*, si rationem grammatices habuisset; nec vocabulo μῆνις genitivum impurum μήνιδος denegare, quod propterea fecisse videtur Vossius, quia in Homero accusativum μῆνιν observaverat: utrique autem genitivo voculæ μῆνις nihilominus locus esse potest, etsi neuter in ullo scriptorum veteris Græciæ deprehenditur, si fides habenda Cl. Auctori. Quod ad Vineti sententiam, prima Iliadis dictio
non

non nisi integram Homeri Iliadem improprie olim significavit, quemadmodum ex Aristotelis loco in *Sophist. II. 4.* & illo quidem admodum depravato, sed §. XIII. emendato & restituto, intelligitur. Atque adeo ad *Menidem* illam Ausonianam haud quaquam applicari potest τὸ: Μῆνιν ἄειδε, θεὰ; nec eo indicari cuiusvis libri initium, id quod sibi perperam persuasit Vinetus. Sicuti vero *Coronis*, signum illud in calce librorum appingi solitum, ac *Menidi*, ut in confesso est, tantum non congruens, in Martiale *X. Epigr. I.* aliisque, *finem* libri verosimillime denotat: ita *Menidem*, in fronte librorum, quæ splendida & ornata, auctore Pindaro *Olymp. Od. VI. 4. 5.* esse debebat, & sequiori præsertim ævo in litteris initialibus collocatam, Ausonius μετονυμικῶς pro *initio* libri, & lepide quidem, usurpasse videtur. Accedit, quod omne *principium*, Minervæ iuxta ac Iano fuerit sacrum; quæ §. XIV. copiosius exponuntur. Meminimus Cl. Auctorem Pag. 34.
in *Fontibus Iuris ciuilis Romani Spec. I. p. 99.* lexicon linguæ Deum ac hominum promittere & spondere, ubi plura exspectamus super ipsa voce μήνη, quam Orpheus ad linguam mortalium retulit. Tandem §. XV. contra Turne- 38.
bum & Hermannum Hugonem adstruitur, Martialem aliosque, per *cornua librorum* neutiquam designasse Menidem, sed *umbilici* extremitates, vel *umbilicum* ipsum. De usu lunatorum insignium apud veteres Madianitas, Hebræos, Arabes, ac Saracenos, potissimum vero apud Græcos & Romanos, Cl. Auctor erudite differit in parecbasi adiuncta, unde specimina quædam observationum excerpendo delibabimus. Origo consuetudinis, cingendi *meniscis* capita statuarum, quæ Deos & Heroes referebant, §. XVI derivatur ex illo Home- 41.
ri loco, ubi aurea nube, h. e. fluido lumine, caput Achillis circumsepsit Pallas. Atque hinc eiusmodi tegmina capitis dicta videntur *nimbi*. Quia inopertum caput olim fuit humilitatis & servilis conditionis signum, quod proinde ab excelsitate Deorum Divorumque abhorruit; idcirco capita eorum oportebat quomodocunque esse tecta, & quasi pileata. Arnobium vero & alios perplures, qui umbellas lunatas ar-

cendis avium sordibus perhibent accommodatas, eoque religioni gentilium illudunt, fefellit Aristophanis locus in *Avib. 114. seqq.* ubi ridicula hac ratione morem illum magis perstrinxisse videtur Comicus, quam veram rationem indicare voluisse. Hac occasione, differentia traditur inter statuarum genera, quæ εἴδωλα, ξόανα, βρέτεα, ἔικελα & ἀνδριάντες dicuntur. Statii interpetibus, qui in trinoctio Iovis, cum Alcmena peracto, invenisse sibi videntur caussam, cur Alcmena Statio *VI. Thebaid. 229.* dicatur *tergemina crinem circumdata luna*, §. XVIII. opponitur Propertius II. XXIII. 25. 26. Lo-
Pag. 47. cus Plauti *Epid. V. I. 33. 34.* super *lunulis*, Lucinæ imaginibus, quas natalitiis diebus mutuo missitare consueverant Romani, per interpunctionem emendatur, & hac ratione interpretum lis facili negotio componitur §. XIX. Luna Pa-
49. triciorum calceis adsuta, proprie litteram C. repræsentari constat: neque tamen centenarii numeri nota, ut eruditi hucusque putarunt, verum *Consulatus* insigne fuisse videtur, secun-
50. dum §. XX. Consulere enim, teste Fabio I. 6. verbum perantiquum est, quod idem ac *ius dicere, iudicare*, significavit; qualis potestas, ex instituto Romuli, penes Patricios fuit. Plura alia tacemus. Cognitio insignis rerum antiquarum, & græcarum litterarum, quibus, raro inter Ictos exemplo, tinctus est Cl. Auctor, undique etiam proditur in hoc libello, quem consecravit Ant. Franc. Gorio, Viro Cel. quippe qui in edendis *sacris & profanis antiquorum codicum ornamentis & picturis* versatur, ut ex perelegantibus litteris Cl. Auctoris ad laudatum Gorium, huic Diatribæ præmissis, intelleximus.

NOVA LITTERARIA.

Quem nuper, edendis *Rudawskii* Annalibus Poloniæ intentum, in his Actis nostris debita laude ornavimus, *Laurentius Mizlerus, de Kolof*, Med. Doct. & Aulæ Consiliar. Vir Clarissimus, egregium opus, quale nuper *Schwandtnerus* V. Cl. opitulante b. *Matthia Belio*, Viro summo, & de Patria sua immortaliter merito, Hungariæ illustrandæ instituit, molitur.

litur. Scriptores nimirum, de rebus Poloniæ & Magni Ducat. Lithuaniæ, quotquot ſunt, emendationibus atque obſervationibus ſuis, forte & aliorum doctorum virorum, ditatos, XIII. circiter Voluminibus, prodire in publicum iubebit; daturus operam, ut ea ratione, qui adhuc plerumque, ob raritatem, paucis legebantur, rerum Polonicarum Scriptores, ſint impoſterum in omnium manibus, adeoque ad illuſtrandam Regni Poloniæ Hiſtoriam hoc facilius transferantur. Quod conſilium, etſi honeſtum in ſe, & Viro docto, patriam amante, omnino dignum eſt, adeoque noſtra commendatione non eget: tamen laudari a nobis propterea debet, quod, qui Editoris diligentiam ſuſtentant, *Zaluskius* & *Malachovskius*, Comites, bonarum litterarum amore ducti, quam dudum Poloniæ litteratæ gloriam tuiti ſunt, præclaro iſthoc conſilio pergunt tueri. Ut igitur lectoribus noſtris, qualenam *Mizleri* V. Cl. inſtitutum ſit, innoteſcat, quæ edito Programmate ipſe ad Eruditos, utinam latinius, ſcripſit, heic annectimus. Sunt autem huiusmodi. *Arduum, tandem, & diu iam ante meditatum opus aggredior, editurus brevi Scriptorum hiſtoriarum Poloniae & magni Ducatus Lituaniae, quotquot ab initio reipublicae Polonae ad noſtra uſque tempora extant, omnium, ordine chronologico digeſtam, collectionem magnam, partim ob exemplarium raritatem, cum annotationibus meis & correctionibus, iterum impreſſorum, partim ex autographis celeberrimae bibliothecae Zaluſcianae, primum nunc editorum, cum copioſiſſimis indicibus. In Tomo primo continentur Scriptores topographici omnes, nempe ſequentes:* I. POMPONIVS MELA *de Sarmatia, cum commentariis* IOACHIMI VADIANI. II. AENEAE SYLVII, *poſtea ſummi pontificis* PII II, *relatio de Polonia, Lituania, & Pruſſia.* III. ERASMI STELLAE, *Libanothiani, Libri duo, de Boruſſiae antiquitatibus.* IV. ALEXANDRI GVAGNINI, *Veronenſis, ſeu potius* STRIGOVII, *Poloni, (Guagninus enim fuit plagiarius,) Chorographia totius Poloniae, Lituaniae, Pruſſiae, & Livoniae.* V. MARTINI CROMERI, *epiſcopi Varmienſis, Polonia, ſive de ſitu, populis, moribus, magiſtratibus, & republica regni Poloni, Libri duo.* VI. MATTHIAE *a* MICHOVIA, *Med. Doct. & canonici Cracovienſis,*

fis, de Sarmatia Asiatica & Europaea Libri duo: VII. SIGISMVNDI *lib. Bar.* in HERBERSTEIN, *descriptio Lituaniae.* VIII. HARTMANNI SCHEDELII *commentariolus de Sarmatia.* IX. STANISLAI SARNECII *descriptio veteris & novae Poloniae, ut & Russiae ac Livoniae.* X. IOAN. CRASSINII *Polonia, Bononiae* 1574. *Liber rarissimus, qui duodecim aureis numis saepius fuit emtus.* XI. SIMONIS STAROVOLSCII *Polonia, cum additamentis & annotationibus Martini Boehmii, Prof. gymnas. Thorunens. ex autographo bibliothecae Zaluscianae.* XII. SIGISMVNDI SWIENCICII *descriptio ducatus Masoviae, ad Stanislaum Lubienscium, episcopum Plocensem, missa, ex autographo bibliothecae Zaluscianae.* XIII. ANDREAE CELLARII *novissima descriptio regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, omniumque regionum iuri Polonico subiectarum, una cum regni huius geographica delineatione.* XIV. LVCAE OPALENII *Polonia defensa contra Barclaium.* XV. DAVIDIS CHYTRAEI *Vandalia, regionum ad mare Balthicum, Pomeraniae, Prussiae, Livoniae, Moscoviae, Poloniae principes, & statum reipublicae & ecclesiae, summatim exponens.* XVI. *Descriptio succincta regni Poloniae, una cum ducatibus eiusdem, palatinatibus, atque regionibus, ex Germanica lingua translata.* XVII. *Descriptio Ukrainae, auctore de* BEAVPLAN, *ex Gallico translata.* XVIII. MARTINI ZEILERI *descriptio regni Poloniae & Lituaniae.* XIX. CAROLI OGERII, *Galli, iter Polonicum.* XX. BERNHARDI CONNOR, *Angli, Med. Doct. antiquus & praesens Regni Poloni status historicus, geographicus, physicus, politicus & ecclesiasticus.* XXI. IO. BAPT. PACICHELLI, *Itali, de statu ac finibus Poloniae, ex historia itinerum per Europam christianam, (memorie de viaggi per l'Europa).* XXII. AVGVSTIN. *lib. Bar.* de MAYERBERG, *de Polonia, ex libro qui inscribitur: iter in Moscoviam.* XXIII. LAVRENTII CORVINI *ode Sapphica de Polonia, & eius metropoli Cracovia.* XXIV. CONRADI CELTIS *carmen ad Vistulam fluvium.* XXV. *Eiusd. Salinaria.* XXVI. ADAMI SCHROETERI, *Silesii, iter Salinarium Sarmaticum.* *Tomus secundus huius collectionis Scriptores omnes genealogicos comprehendet, de quibus, tomo hoc primo absoluto,* differe-

differemus. In tertio Tomo ipsa historia Polona ordine chronologico sequetur, adiectis semper variis annotationibus, correctionibusque, iis in locis, ubi scriptores Poloni manifesto hallucinati sunt. Unusquisque tomus novem alphabetis in folio, seu ducentis plagulis, totum autem opus circiter tredecim tomis constabit, qui Varsaviae omnes, mea sub inspectione, typis novis typographiae Mizlerianae, cum Serenissimi Regis privilegio exacte erunt & nitide, iisdem, ac hic leguntur, typis impressi. Forte Polonia nunquam tam magnum, tam utile, tam sumtuosum opus speravit, neque sperare potuisset, nisi tria feliciter simul extitissent. Primum est alma pax, qua Polonia ultra viginti annos iam gaudet, musis litterisque arridens. Secundum bibliotheca Zalusciana, quae omnia ad hoc opus congessit, & in patriae usum benigne suppeditat. Tertium, vir talis, qui tam magnum laborem in se suscipere posset & vellet, simulque sumtus ad tam magnum opus imprimendum inveniret. Primum Polonia debet Serenissimo Regi, divino nostro AUGUSTO III, *alterum celsissimo episcopo Cracoviensi, & illustrissimo regni Referendario, Zalusciis fratribus, bibliothecae publicae gloriosissimis fundatoribus, tertium non tam mihi privato, quam potius illustrissimo supremo regni Cancellario,* IO. MALACHOVSKIO *comiti, adscribendum. Hic enim Maecenas in Poloniam me adduxit, in eaque me sustinens haec otia dedit, & praeter ea, in erigenda typographia, ad imprimendum hoc magnum opus, singulari ex gratia adiuvit. Quartum nunc Vestrum est, ut alacriter subscribendo, omni modo hoc institutum promovere simul velitis. Si verum est, quod historia salutaria consilia ad iuvandam rempublicam suppeditet, si verum, quod ea prudentiam civilem administret, si verum denique, quod illa commodum publicum augeat, per reipublicae salutem, per Vestrum posterorumque & publicum commodum vos rogo, obtestorque, ut in Poloniae honorem, Vestrorumque nominum gloriam, ad hoc opus, Vobis posterisque Vestris utilissimum, contribuere recto tempore haud recusetis. Cum Rudawskii annales, regnante Io. Casimiro, Pol. rege, nuper a me editos, nec non acta litteraria regni Poloniae, benigno animo acceperitis, spero fore, ut hoc opus maioris longe momenti & utilitatis, eadem benigni animi testificatione accipia-*

 tis,

tis, cum illa levia tantum ſpecimina fuere, me ad hunc maiorem laborem non plane eſſe ineptum. Ratio mihi nunc danda, cur primus tomus ſcriptores topographicos, ſecundus genalogicos contineat, & cum tertio demum ipſa hiſtoria ordiatur. Rerum ordo, qui omnia gubernat, hoc exigere videtur. Certum enim eſt, lectores, qui exacte, regni vel populi cuiusdam hiſtoriam cognoſcere in animo habeant, hoc melius intelligere eam & in luce verſari ubique, ſi prius mores regionum, diviſiones, urbium maiorum deſcriptiones, viros illius populi magnos, familiasque illuſtres, cognoverint generatim. Utrumque docet geographia & genealogia, hiſtoriae oculi: quique Chronologia, manu quaſi hiſtoriae dextra, ducitur, ubique apertis oculis firmo pede incedit, omniaque accurate circumſpiciens, non facile a veritatis via aberrat. Ad opus ipſum quod attinet, varii de rebus Polonis ſcriptores, ex Polonorum, Gallorum, Germanorumque idiomatibus, Latinitate erunt donati, ita ut haec collectio magna, ſcriptores alicuius pretii, de rebus Polonis, comprehendat ad unum omnes, exceptis tamen Rudavskii annalibus, quos nuper edidi, quorumque ſufficiens adhuc exemplarium proſtat Lipſiae & Varſaviae copia. Neque Zaluſcii epiſtolae, pluribus tomis in folio comprehenſae, huc pertinent, licet ſint hiſtoricae, quia facile acquiri adhuc poſſunt, ipſa autem facta ex iis erunt extracta, ſuo loco & ordine propoſita. Etſi autem iam aliqui Veſtrum varios rerum Polonarum ſcriptores poſſideant, haec tamen collectio magna Vobis prae illis commoda erit utiliſſimaque, quia ſcriptores non ſolum correctiores erunt in papyro melioris notae excuſi, eorumque loca obſcura enodata, ſed indices etiam copioſiſſimi, qui in antiquis editionibus omnibus fere deficiunt, unicuique tomo adiecti, ita ut omnia, quae deſiderantur, ſine temporis diſpendio, ſtatim inveniri poſſint; ne quid dicam de ſcriptoribus, primum nunc ex autographis editis, quique ſeparatim haberi haud poterunt. Si praeter omnem ſpem autographa quaedam alicuius pretii, in bibliothecis invenirentur, de quibus nunc non conſtat, tunc ea materiam ad ſupplementa, abſoluto opere, dabunt. Tabulae etiam aeneae variae, in quibus monumenta publica repraeſentantur, numi etiam, tam antiqui, quam recentiores, in hac collectione, ad illu-

ſtrandam

ſtrandam hiſtoriam reperientur; in ſumma, omnem movebo lapidem, ut hoc opus tam abſolutum ac utile ſit, ac fieri per diligentiam poteſt. Supereſt, ut conditiones pro iis, qui pro toto opere ſimul ſubſcribere haud poſſunt, proponam. I. *Impresſio huius operis incipiet hoc anno, medio Novembris, quem in finem omnia praeparantur, & typi novi iam fuſi ſunt. Abſolutus erit tomus primus circa feſtum S. Michaelis anni futuri, & ſubſcriptoribus diſtributus. Quicunque igitur nunc usque ad d. 16. Novembris ſolvit aureum numum, quem ducatum dicunt, iuſti ponderis, ſeu duos imperiales viginti groſſos Saxonicos, tomum primum huius collectionis magnae accipiet dicto tempore, ea conditione, ut recipiendo tomum primum ſolvat aureum numum pro tomo ſecundo, recipiendo tomum ſecundum, iterum aureum numum pro tertio, & ſic porro, in cuius fidem datur Syngrapha. Qui vero pro duodecim exemplaribus ſubſcriptiones colligit, & pretium duodecim aureorum ſimul numerat, is tredecim accipiet exemplaria, id quod ad bibliopolas exteros etiam extendimus.* II. *Nullum exemplar, neque unicum, poterit acquiri, niſi ſubſcriptione, & qui emere velit tomum primum iam impreſſum, ſine ſubſcriptione, hac conditione emet, ut pretium ordinarium, quatuor imperiales, pro tomo primo numeret, & ſimul aureum numum pro tomo ſecundo ſubſcribendo ſolvat, & ſic cum reliquis. Exactus valde ero in obſervanda hac lege, ne, ut aliquoties fieri ſolet, mihi obiici posſit, alios etiam non ſubſcribentes, operibus iam impresſis, eodem ac ſubſcriptores pretio, acquirere ea poſſe. Qui unicum exemplum in contrarium adducere poteſt, ei debeo integrum exemplar totius operis, ſine ulla ſolutione.* III. *Ii, qui in charta ſcriptoria hoc opus impreſſum habere volunt, ſolvunt praeter aureum numum adhuc tres tynfones & duos ſextarios, ſeu 18 groſſos Saxonicos, id quod ſubſcribendo ab initio tantum locum habere poteſt, quia plura, quam deſiderantur, in charta ſcriptoria non erunt impreſſa.* IV. *Omnium ſubſcribentium nomina, una cum dignitatibus, ordine alphabetico tomo primo erunt praefixa, nominibus procerum ſeorſum poſitis.* V. *In Polonia ſubſcribitur apud me Varſaviae, in ſic dicta platea cereviſiae: Gedani apud ſpectabilem Dom.* IO. NICOLAVM OEMCHEN, *meritisſimum civitatis Geda-*

Gedanensis Scabinum, & I. C. Schusterum, bibliopolam: Thoruni apud nobilissimum Dom. GILLER, *civitatis Thorunensis Secretarium: Elbingae apud nobilissimum Dom. Sigism. Mich.* SIEFFERT, *civitatis Elbingensis Secretarium: Lipsiae apud Io. Friedr.* GLEDITSCH, *bibliopolae, & Heinsii heredes, apud omnes denique in Germania bibliopolas, qui commercium cum his Lipsiae habent. Ubi quis subscripsit, ibi etiam syngrapham & exemplar recipit, sine ullis expensis.*

Varsaviae, pridie Id. Augusti A. R. S.
MDCCLVI.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLVI.

Pars I.

Historische Beschreibung der Chur- und Mark Brandenburg,

i. e.

ELECTORALIS MARCHIAE BRANDENBURgicae historica descriptio, collecta atque adornata a IOANNE CHRISTOPHORO BEKMANNO, olim D. & Prof. Theol. in Acad. Francof. Sod. Societ. reg. Scient. Berolinensis: suppleta, continuata, & edita, a BERNHARDO LUDOVICO BEKMANNO, Prof. Gymnas. Ioachimicae vallis ac Sod. Academiae reg. Berolin. Scient.

Vol. I. Berolini, apud Christianum Fridericum Voss. 1751. fol. 3 alph. 5 plagg. cum Tabulis XX. æri incis.

Operosa Cel. *Bekmannorum* diligentia, in usus publicos, ac gloriæ Brandenburgicæ monumentum perenne, adornavit hoc opus, cuius Volumen I. salivam nobis movet evolvendi, quæ restant, partes reliquas. Docemur inibi Marchiæ Electoralis originem, incolas, statum naturalem, aquas, provincias, oppida, monasteria, ecclesias potiores, Dominos, eorum acta politica æque ac religiosa, insignia, sigilla & numos, progenies celebriores, tum nobiles, tum ingenuas, incrementa scientiarum atque artium. Auctores profe-

 cerunt

cerunt e fontibus, haurientes ex obſervationibus tum ſuis, tum aliorum, ex libris, ex tabulariis, ex diplomatibus editis ineditisque. Volumen hoc I. *Regi Auguſtiſſimo Friderico II.* Artium Protectori, eſt conſecratum. Diſtributum fuit id in Partes quatuor. Parte prima diſſeritur de Marchia generatim; ſecunda de Marchiæ antiquitatibus; de Marchiæ hiſtoria naturali, tertia; quarta de fluviis ac lacubus ſtagnisque Marchiæ, nec non de commerciis terrarum Marchicarum. Coeperat iam D. Ioannes Chriſtophorus Bekmannus hanc telam, ex quo *Hiſtoriam principatus Anhaltini* a. 1710. evulgaverat. Perplacuerat hæc hiſtoria Regi Boruſſorum *Friderico* I, qui deinceps voluit, ut idem Becmannus, eodem ſervato modulo, hiſtoriam Brandenburgicam elaboraret, quippe iam inſtructus copioſa rerum Brandenburgicarum notitia ex diplomatibus, tabulariis, ſcriptisque Anhaltinis. Adiit igitur ille per indulgentiam regiam tabularium Berolinenſe auguſtum, itinera ſuſcepit per ſingulas Marchiæ urbes, obtinuitque magiſtratuum ac eccleſiaſtarum notitias qualescunque, de eventis ævi tranſacti litteris mandatas. Invigilavit Auctor huic inſtituto perficiendo ad annum uſque 1717, quo ipſo ad 6. Martii vitam cum morte commutavit, relictis novem fere Voluminibus, multisque iconibus curate delineatis. Inſertum fuit id opus paullo poſt Archivo regio Berolinenſi. Quievit ibi, donec *auguſtiſſimus Rex Fridericus* II. illud a. 1740. 9. Nov. iusſit, Bekmanni ſæpius laudati ex fratre Friderico abnepoti, Bernhardo Ludovico Bekmanno, perficiendum atque edendum tradi. Editori huic iſtud perutile fuit, quod ipſi inſervirent ſummates, magiſtratus, ac viri docti certatim. Mylii *Corpus conſtitutionum Marchicarum* ei commoda bene multa præſtitit, nec non viri ſummi, *de Compagne*, *Pelloutier*, *Renuard*, *Gleditſch*, & *Hornhart*, archiater Ducalis Meklenburgicus. Quid igitur de Voluminibus reliquis ſibi promittere debeant lectores, hinc facile eſt divinatu. Parte huius Voluminis prima exponitur de Marchiæ nomine, origine, finibus, ac fatis communibus: de incolis Marchiæ ad Alberti Urſi ætatem uſque, de Suevis ac Semnonibus, de Longobardis, de populis

pulis

pulis minoribus, de Francis, de Vandalis, de Venedis, eorumque gentibus: de Marchiæ post Albertum Ursum incolis: de pagis Marchicis: de Reformatorum e Galliis in Marchia perfugio: de colonis Lotharingis, Wallonibus, Hollandis, Helvetiis, Valdensibus, ac iis quos Rex *Fridericus* II. suscepit: de Iudæis Marchiæ: de fatis Marchiæ, ordine chronologico, per secula aliquot: de incolis, 80. ætatis annum supergressis: de urbibus: de historicis, qui res & historiam Marchiæ tractarunt. Parte II. edisseruntur Marchiæ antiquitates, speciatim lapides & urnæ sepulcrales, sepulcrumque & numismata Remi ex commentis aliorum. Parte III. illustratur status physicus Marchiæ, ita ut agatur de aere & meteoris, de aquis ac piscationibus, de piscibus & bestiis aquatilibus, de thermis & acidulis, de salinis, de iis fontibus, in quibus saxeam materiam induunt iniecta; nec non de terra eiusque fructibus, cultura agri & horti, de vineis, herbis, silvis, venationibus, de re pecuaria, avibus, metallis, lapidibus. Parte IV. differitur de Albi fluvio, fluviisque, ex veteri & Prignicensi Marchia, sese Albi infundentibus, de Havela, de Sprea, de Odera eiusque adminiculis ac incrementis, de Warta denique. Stagna exhibentur per ordinem Marcarum quinque. Commerciorum fata traduntur chronologice. Accedit expositio de re numaria, vectigalibus, & de viarum militarium commoditate.

Obsequemur iam mori nostro, & nonnihil guttarum ex oceano hoc cum Lectore communicabimus. Marcha, Marchia, Marca, apud Germanos veteres nihil aliud est quam limes, sive Pag. 3.
is fuerit castellum, sive fossa, sive aliud monumentum. Iam Carolus Magnus Venedis, ad Salam & Albim, duo castella opposuit, pontibus vicina. Qui limiti huic tuendo præerant, dicebantur *duces limitum*, duces limitanei, præfecti Marchæ, 7.
& iam Caroli magni ætate *Marchiones*, teste Aimoino. Rex idem iam Anno 789, Slavos persequens, in Marchiam mediam Brandenburgum penetravit. Videtur ipse extruxisse Brandenburgum, Soltwedelam, Havelbergam, & Arneburgum, quod apud Ditmarum appellatur *Bernaburg*. Regio,

urbi eiusmodi circumiecta, dicta fuit *Marcha* seu *Marchia*. Aetate Ottonis I. innotuerunt *Marchia orientalis*, & *Marchia septentrionalis*. Coepit paullo post huic tantum adhærere
Pag. 10. *Marcae*, seu *Marchiae* nomen. Id ipsum patet ex Annalista Saxone ad a. 983, 1011, 1106, 1112. Mirum sane, Sabinum ac Albinum, natales nominis ex *naumarchiae* vocabulo deduxisse. Originationes alias, æque fictas, libentes prætermittimus.

Marchiæ istius partes fuerunt tres, septentrionalis Marchia, Marchia orientalis, & Marchia occidenta-
13. lis. Prima, partem Saxoniæ, Lauenburgi, & Holsatiæ complectebatur. Secunda sita fuit inter Havelam, Albim, & Oderam; quæ etiam terra Slavorum dicitur, & Sclavia orientalis. Tertia continuit partem Saxoniæ trans Albim, seu Nordthuringiam. Henricus Auceps, devictis A. 928. Venedis, iuxta Albim copias & Marchionem iis opposuit. Otto I. A. 946. memorat Geronem ducem, & Marchionem suum in castro Havelberg, in Marchia illius sito. Seculo 11 & 12. fit mentio Marchionum de Brandenburg. Hoc nomine se appellavit
17. Albertus Ursus ad A. 1144. Deinceps Marchiæ fines sensim ad Seculum usque 13. extendebantur, donec tandem ad fines Poloniæ excurrerent. Wenceslaus, Caroli IV. filius A. 1374. voluit Marchiam Bohemiæ regno inserere: at recusarunt consentire eius fratres, Sigismundus & Iohannes. Sigismundus, post hæc Imperator, pecunia ad bellum Hungaricum
22. profligandum destitutus, Marchiam oppignoravit consanguineis suis, Iodoco & Procopio, Moraviæ Marchionibus, A. 1338. Fridericus, Burggravius Noribergensis, & Comes Hohenzolleranus, emit Marchiam a Sigismundo, partesque oppignoratas ære suo redemit. Uladislaus Iagello, Rex Poloniæ, Marchiam novam, per nuptias filiæ cum Marchione Friderico II, Poloniæ adiungere voluit: sed eventu caruit consilium. Fridericus I. Rex A. 1710. eiusque filius, Fridericus Wilhelmus A. 1713, statuerunt, ne quis successorum partem ullam
25. terrarum alienarent, vel divellerent. Gubernatio Marchiæ semper fuit tantum una, numquam divisa, licet particulæ

quædam

quædam Seculis 13 & 14 usque ad Marchionem Woldemarum fuerint separatæ, diversisque dominis subiectæ. Marchia inde a 400. annis caruit tutore. Unde natum proverbium: Marchia non habuit tutorem. Olim eas terras habitarunt Suevi, pars Scytharum qui ad Imaum incoluerant. Strabo iis sedes in Germania tribuit, a Rheno usque ad Albim. Pto- Pag. 32.
lomæus protrahit usque ad Suevum seu Oderam. Tacitus eorum terminos extendit per oram maris Balthici, usque ad Sinum Finnicum. Inter Suevos excelluerunt Semnones, ab Albi usque ad Suevum. In veteri Marchia habitarunt Longobardi. Credit Auctor Suevum flumen nunc dici Spream. Videtur tamen adversari Tacitus, qui mare Balthicum, Oderæ subiectum, appellavit mare Suevicum. Romanos in terras usque Semnonum penetrasse, negamus merito cum Auctore, rati, etiam Gallos Senones a Semnonibus fuisse diversissimos. Suevorum plures in Hispaniam migrarunt. Remanserunt multi, qui in Marchiam veterem, in terras Luneburgicas, & ad Unstrutum progressi sunt. Slavi videntur eos sibi subiecisse. De Longobardis ne γρῦ quidem repe- 47.
timus. Francos in Marchiam usque venisse, falsum est. Vandali tenuerunt oram maris Balthici, Pomeranicam & Meclinburgicam, & partes Marchiæ confines, atque Seculo 4. per Sarmatiam in terras imperii orientalis, ac inde in Gallias, Hispaniam & Africam dilatati sunt. Venedi, seu Slavi, quos Tacitus iam Sarmatis adiungit, terras, a Vandalis Semnonibus, Burgundionibus, & Longobardis derelictas, occuparunt Seculo 5, & progressi sunt ad mare Balthicum 65.
usque, & flumen Eydoram. Eis accensendi sunt Wagrii, Polabi, circa Ratzeburgum, Obotriti, a Trava usque ad Warnow flumen, Redarii, aliique; Schmeldingi in Prignizia, Linones inter Hevellos & Warnabos, Warnabi, Wilzi ad Oderam, Lebusii circa Custrinum, Staderani ad Havelam, Bri- 75.
zani ad Oderam, Lusizi in Lusatia. Laudi iis ducitur, quod terras strenue excoluerunt, & religioni christianæ se tandem permiserunt. Henricus Leo, & Marchio Albertus Ursus, Venedis iugum imposuerunt. Ex quo tempore nulla fuit amplius Vene-

dorum in Germania poteſtas. Sermo patrius ipſis in Luſatia, & circa Luchoviam, ad noſtram fere ætatem uſque fuit ſerva-
Pag. 83. tus. Litteræ Venedorum primæ dicuntur ab Hieronymo fuiſſe profectæ. At Illyricis illas novimus inſerviiſſe. Cyrillicæ & Glagoliticæ, a Friſchio deſcriptæ, huc potius ſunt referendæ. Glagoliticis utuntur Ruſſi & Venedi, per Carinthiam, Styriam, Carnioliam, & Marchiam Venedorum incolentes. Poloni utuntur litteris latinis, Venedi autem in Germania commorantes, Germanicis. Dialectis & ſubdialectis gaviſos eſſe Venedos, intelligitur ex eorum varia interpretatione precum Domini, quarum eſt initium, *Pater noſter*. Venedi ad Cotbuſium ornatiſſime loquuntur. Ii, qui Luneburgicis in terris ſuperant, vernaculo ſermoni multa vocabula Saxonica immiſcuerunt. *Venedorum Reges* ſeſe adpellant Reges Danorum & Suecorum; *Duces* eorum nunc ſunt Electores Brandenburgici; latine *Vandalorum*, per quos deſignantur Venedi, ſiquidem illis videmus nonnumquam ſubſtitutos eſſe *Slavos*. Slavis, Marchiam habentibus, Saxonas profligantibus, & ab Alberto Urſo labefactatis, paſſim ſubſti-
87. tuti ſunt ab eo Hollandi, Seelandi, Flandri, teſte *Helmoldo* I, 89. Venedi, his permixti, nomina familiarum ad poſteros transmiſerunt. Bellis, ruſticorum & Smalcaldico, ſævientibus, multi ſalutem in Marchiam quæſiverunt. Inde ab a. 1300. lingua Franconica coepit in diplomatibus Marchicis adhiberi, & poſt a. 1500. latina ceſſavit. Ante Lotharium Saxonem, pagi per Marchiam extiterunt varii. *Bardengow* ad occidentem Albis, veteriſque Marchiæ, fuit. Pagus Belkesheim, Beliſem, Balſemerlande, nomen traxit ab amne Balſam dicto, qui ad civitatem Arneburg & confinia conſpicuus
99. fuit. Pagus *Bellin* fuit circa urbem Feerbellin. *Brizani* partem maximam Prignitiæ continuit. *Chozimi* in Marchia media fuit inter Trebbin, Belitz, & Kötzin. *Zeruiſti* fuit circa Zerueſtam. Pagus *Cidenſis* apud Ditmarum, videtur ſitus fuiſſe in tractu Sternbergico. *Darlingow* ab occaſu ad ortum uſque proceſſit, diverſus a pago Hardaga. *Doxani* fuit pagus exiguus, circa flumen Doxam. *Flamingow* a Flamigis dictus,

dictus, fuit circa Arneburgum, Zerveftam, Iuterbocam, & Wittebergam, poft abitum Slavorum. *Frifaci* pagus fuit probabiliter inter regiunculam Bellin, & Havelam. *Grotwin* ad Anclamum & Penam flumen extitit. *Helingen* pagus circa Wolfsburgum, ubi fupereft villa Helingen, videtur fuiffe fitus. *Heveldun* ab origine Havelæ, ad Doffan, & in Prignitiam procurrit. Provintia *Iuterbok* ad oppidum eiusdem nominis eminuit. *Leubufii* fuerunt ad utramque Oderæ ripam, inter Pag. 105.
Francofurtum & Cuftrinum. *Linaga* fuit pagus Linonum circa Lenziam in Prignitia, & circa Rupinum. *Lizici* provincia fuit fita inter Albim & Havelam, in tractu Ierichovenfi. Omittimus pagos *Luitici*, *Lufici* in Lufatia, *Marziae* feu Moriziani iuxta Magdeburgum, pagum *Mizeretz* ad Penam & Friedlandiam Mecklenburgicam, *Murizzi*, *Nize* in Lufatia fuperiori & fortaffe inferiori, *Niletizi* ad Havelbergam, & alium ad Salam circa Gibichenftein, *Norturingiam* ad utramque Ohræ ripam, *Nuthici* circa Nutæ amnem iuxta Mittenwalde, pagum *Ofterburga* circa Ofterburgum veteris Marchiæ, *Ploni* circa Brandenburgum, *Ploth* circa Havelbergam ad locum Klempenau, pagus *Redariorum* circa Radegaft in Ucrorum Marchia, & fortaffis iuxta Stargardam Mecklenburgicam, *Riazani* circa Ratenoviam, *Selpuli* circa Luckenwaldam, ufque in Lufatiam, & pagum *Serimum* ultra Salam, in principatu Anhaltino, & ad Rofinburgum, pagum *Zpriawani* monftrat Sprea, ad pagum Heveldum ufque. Pagus *Sweva*, Suawe, Suabe, inter Ohram & Bodam fuit. Pagus *Tholenzi*, Tholenfani, fuit circa lacum Thollenfee. *Unimoti* ad Ohram & Calfordiam fitum fuit, ubi funt Ottinga five Ethingen, & Uthmoeden. *Uchri* pagus fuit in Marchia Ukeranorum. Provincia *Wanzlow* & pagus *Wofize* fuerunt in Infula Ufedom. Pagus *Wiemodi* fuit ultra Albim, iuxta terminos Meklenburgicos. De reliquis pagis ipfe conferatur Auctor. Fridericus Wilhelmus recepit Reformatos a. 1685. & fequentibus, e Gallia expulfos, fublato per Ludovicum regem edicto Nannetenfi. Eisdem multum gratiæ indulfit 123.
Fridericus III. conftituitque tribunal feu collegium revifionis

nis actorum, & alia collegia minora, quæ amplificavit beneficiis Fridericus Wilhelmus. Status eorum ecclesiasticus scholarum, nec non militaris & politicus, ab Auctore exponitur copiose. Urbes Brandenburgicæ exinde florem haud exiguum, & artium, & commerciorum, & amplitudinis, nactæ sunt, haud secus ac ex adventu reformatorum, a. 1688. e terris Metensibus, Tulli, & Virduni, per Gallos eiectorum, atque in vallibus Pedemontanis graviter vexatorum. Accurrerunt præterea reformatorum multi ex Palatinatu Rhenano,
Pag. 166. arma Gallorum sibi adversa experti. Hi culturam herbæ Nicotianæ in Marchiam intulerunt. Helvetiorum repurgatæ religionis haud pauci, a. 1693. quo ab Abbate sancti Galli ob religionem fuerunt male habiti, in Marchiam profugerunt. Ad Waldenses usque a. 1686. severitas Gallorum regis penetraverat, qui, Duce Sabaudiæ non auso refragari, effecit ut eiicerentur reformati Waldenses plurimi.
174. Profugos exceperunt a. 1688. terræ Brandenburgicæ. Fridericus Wilhelmus, Rex, recreavit Hussitas Bohemos, &
185. Salisburgenses Lutheranos. Friderici II. quanta nuper fuerit clementia in colonos, ex Palatinatu Rhenano, terris Würtenbergicis, & ex Languedocia terras ipsius petentibus, in recenti memoria est. Iudæis iam patuit Marchia Seculo 13 & 14. Homines illos non esse perdendos rati Electores, eis passim privilegia & Synagogas indulserunt. Purgarunt se illi a. 1703. a suspicione, quasi precibus quibusdam suis in Chri-
203. stum iactent convicia. Profuit ipsis responsum D. Ioh. Henrici Michaelis, Prof. Halensis. Edicto tamen regio eo tempore cautum fuit, ne Iudæi inter verba suarum precum, quæ
213. in libellis solent omitti, Christo maledicant, aut exspuant, reliqua. Idem edictum fuit exasperatum a. 1710. & renovatum annis 1716, 1717, 1730. Iudæis, ob librum Rabboth, circa a. 300. per Rabbinum Bar Nachmoni compositum, in quo dicebantur inesse multa religioni chri-
219. stianæ probrosa, nonnihil incommodi creatum fuerat. Re curatius pensitata & examinata, Iudæi Brandenburgici declarati sunt innocentes. Postea Iudæus, ad christianam religionem aggrega-

aggregatus, Christianus Wilhelmus Christlieb, a. 1745. edidit librum, quo ex precibus Iudæorum poenitentialibus, *Selichoth* dictis, demonstratum ivit, illis inesse quæ christianam religionem lacesserent. At teli huius insufficientiam ostendit D. *Christianus Benedictus Michaelis*, in libello, *Bedencken über Christian Wilhelm Christliebs kurzen Auszug aus den Selichoth oder Iüdischen Busgebeten, betreffend die von diesem Verfasser angegebene grobe Lästerungen gegen Christum und die Christenheit, die sich in solchen Gebeten befinden sollen*, Halis 1745, 4. edito. Transiit igitur in auras illa accusationis nubecula. Nec tamen negandum est, exstitisse passim exempla Iudæorum, Pag. 222.
e baptismo suscepto, ac male repetito, lucra captantium, nec veram animi emendationem ullam prodentium. Numerus familiarum Iudaicarum 50. crevit deinceps in Marchia, partim immigrationibus, partim novis privilegiis invitatus. Terminos iurium, quibus illæ coercentur, Auctor edisserit distincte. Marchiæ statum emendarunt Marchiones, Anhaltina stirpe procreati. Iis exstinctis, Marchionibus Bavaris tricas crearunt 234.
Pontifices Romani: Poloni ac Lithuani irruerunt in Marchiam, Papa, per Episcopum Lebusiensem, suadente: Ludovicum, quem Ludovicus Imperator a. 1320. Marchiæ Brandenburgicæ possessione ornaverat pater, Papa, haud secus ac Marchiam Lusatiamque, interdicto ecclesiastico perculit. Excepit eas turbas bellum Woldemaricum, quod Carolus IV. Rex Bohemiæ accendit, & clanculum protulit, eorum lucro, qui bonis Marchicis inhiabant. Idem ille Carolus, Imperator, iura possessionis Marchiæ tandem feliciter in domum suam intulit. At Bohemiæ Reges id spectarunt unicum potissime, ut ex Marchia numos corraderent. Ipse Fridericus I. Elector incidit in calamitosa Marchiæ tempora, quibus Hussitæ in eam fecere impressionem, nobilium autem plurimi recusarunt domini sui imperata facere, nemine non prædis agendis dedito. Ioachimus I, Ioachimus II, & Iohannes, res Marchiæ collapsas pro viribus restituerunt. Bello triennali, Marchia, multis calamitatibus obruta, & exhausta, Friderico Wilhelmo Electo- 243.
ri debuit florem novum. Ab eius ævo, & providentia, profluxerunt, quæ etiam Electorum subsequentium diligentiam

ligentiam occuparunt, terrarum Marchicarum commoda. Mittimus eam, quae de provectis aetate, & longum vitae tramitem emensis Marchiae hominibus, haud paucis differit, tractationem. De vetustiorum oppidorum initiis, eorumque munitionibus, quibus extra Marchiam veterem passim nonnulla fuerunt cir-
Pag. 295. cumdata, nihil certi adfirmatur. Urbes primariae hoc collocatae sunt ordine, ut Brandenburgum primas teneat, eamque excipiat Berolinum, Colonia, Stendalia, Prenzlovia, Perleberga, Ruppinum, Francofurtum, Custrinum. Scriptores de rebus Marchicis celebrantur: *Iohannes Schofferus, Georgius Seifridus, Wolfgangus Iustus, Christophorus Enzelt, Reinerus Reineccius, Andreas Angelus, Nicolaus Leutingerus,* cuius exstant Commentarii de Marchia Brandenburgensi, eiusque statu, *Engelbertus Wusterwizius, Paulus Praetorius, Laurentius Pekkenstein, Balthasar Menzerus, Augustinus Brunnius, Christianus Theod. Schofferus, Gotefredus de Warnstät, Iohannes Cernitius, Caspar Helmricus, Henricus Sebaldus, Martinus Schockius, Georg. Christoph. Renschel, Iohannes Melchior Wildeisen, Christophorus Hendreich, Iohannes Wolfgangus Rentsch, Gregorius Leti, Zacharias Garcaeus, Caspar Sagittarius,* in Historia Marchionum & Electorum Brandenburgicorum, *G. Casp. Kirchmaier, Ulricus Pregitzer, Carolus Ferdinandus Iung, Ioannes Henricus de Falkenstein, Iacobus Paulus Gundlingius, Paulus Iacobus Marperger, Caspar Abel, Paulus Creusing, Hastitius, Elias Lokelius, Ioachimus Zwanzig,* & ante ducentos annos *Georgius Sabinus*, quibus Cel. *Gebhardius*, Luneburgicus, ob genealogiam Marchionum aquilonarium adnumerandus erat. Plures enumeravit Cl. *Küsterus*
344. *in Bibliotheca historica Brandenburgica*, a. 1743. 8. Wratislaviae publicata. Vitarum singularium Scriptores indicantur suo loco. Antiquitates Marchiae supersunt omnino multae. Superant heroum lecti lapidei, arae sepulcrales, tumuli, urnae. Lecti illi, in silvis agrisque solent a Nostris adpellari
347. *Hünenbette*, quae vox fortassis ex *Hunne*, id est demortuus, derivari potest. Figuris, in aes incisis, haec monumenta distincte satis hic sunt exhibita. Loca, *Hunnesrücken* dicta, fuisse

fuiſſe videntur tractus eminentes, cadaveribus ſepultis oppleti. Vulgus, ſeriem vaſtorum ſaxorum in orbem diſpoſitorum Pag. 350.
vocat *Heidenkirchhöfe*, cemeteria gentilium. Chriſtiani primi in Marchia, morem vetuſtate familiarem imitati, ſaxorum ſeriem ad formam crucis videntur diſpoſuiſſe. Superſunt eiusmo- 354.
di tumuli. Saxa minora, & in proximo poſita, chriſtiani incolæ tandem ædificiis, ſtratis platearum, aliisque uſibus adhibuerunt. Vaſtiſſima illa tumulorum ſaxa per gigantes huc illuc fuiſſe geſtata, nemo ſibi facile perſuaſerit, licet Saxo Grammaticus, & Iohannes Piccard, in ſtulta ea opinione fuerint. De 379.
urnis ſepulcralibus, ac cinerum myrmeciis inter lateres defosſis, non eſt quod huc transſcribamus multa. Procellæ enim & aratra, ac fodientium labores, detexerunt dudum multiplices harum rerum adparatus. Nec defuerunt iis illuſtrandis Scriptores. Inter ſaxorum vaſtorum, de quibus diximus, ſtrues, raro reperiuntur urnæ. Quisque ſuorum urnas, in agris ſuis, vel ubicunque licuit, recondere conſueverat. Rariſſi- 388.
me inveniuntur conflatæ vel compoſitæ ex metallo. Annuli metallici, cunei item ex metallo facti, paſſim quoque circa 395.
urnas fuerunt reperti, haud ſecus ac globuli, forcipes capillorum, fibulæ, acus, haſtæ, lapides iaculares, vulgo *Donnerkeile*, ſpicula ſagittarum, calcaria, cultri ſeu pugiones, icones aprorum, congruenter Tacito de M. G. c. 45. nec non inſtrumenta ſacrificiis convenientia. Huc referimus ſeceſſpitas, pyritasque. Ornamenta hominum & beſtiarum, atque inſtrumenta bellica, reddidit paſſim, & in apricum protulit, caſus & diligentia per omnem fere Marchiam. Huc refer & vaſa, ſacris propria, armillas ferreas e tumulis erutas, cotes, coli cum feminis ſimul combuſti reliquias. Linei certe amictus erant feminis familiares, teſte Tacito de M. G. c. 17. Tintinnabula & crepundia, ac crepitacula infantum, tali, dentes luporum, ſæpius oſſibus infantum adiecta eruuntur. Arma virorum, equorumque ornamenta & freni, ungulæ atque oſſa, in tumulis Marchicis crebro inveniuntur. Ita conſtat fides Tacito c. 27. *Tabula XI.* exhibet gladios principum, & haſtas. Illorum longitudo ad 26 pollices excurrit. Rarum

hoc est spectaculum. Nam prisci Germani, gladiis, aut maioribus lanceis, raro utebantur, teste Tacito c. 6. Capuli & gladii ipsi, acuminato mucrone insignes, ex eodem metallo adparent conflati. Pugionibus manubria lignea, vel metallina, per clavos fuerunt adfixa. Figuram pugionum & manubrii oculis offert Tabula XI. Materia est ex metallo mixto, quod nostri vocant *Erz*, Latini aes. Ferrum enim rubigini citius est obnoxium, nec perpetuitatis imaginem refert satis, alioquin antiquissimi usus, quod Tubalcaini machinationes, & Goliathi arma, comprobant. Repræsentat *Tabula XII.* lanceam, pilum, cuneum lapideum, malleum præliarem saxeum unum atque alterum, quæ in tumulis sepulcralibus inventa sunt. Examinat Auctor fabulam nonneminis, qui credidit, Remum, Romuli fratrem, profugisse in Marchiam, eiusque tumulum exstare in
Pag. 422. insula ad Reinsbergam, quam adpellavit ingeniosissimus homo *Remi castrum*, cuius est Liber, Iusto de Bredow olim inscriptus: *Remi, fratris Romuli, in Monte Remi, vulgo Remsberge, monumentum nuper detectum, erutis binis marmoribus, uno vetustissimo, altero recentiore, quibus pervulgatus ille error de Remo a fratre interfecto confutatur, addita loci topographia & chorographia, in aes incisa, opera* E. H. L. F. Recusus est hoc loco liber, addita etiam topographia & chorographia, *Tab.* XIII. Mirum sane, quod sex vultures,
430. & inscriptionem passim deletam, Remo dicatam, ingeniosum caput in marmore deprehendit. Scriptum id iam Christophorus Pylius inseruerat *Miscellaneis Lipsiensibus* 1717, p. 296. Vulgo, Eilhardus Lubinus putatur fuisse commenti Auctor. At omnia de auctore sunt in incertis: res ipsa autem lepida fictio est. Dolendum, quod numi prisci, passim in Marchia eruti, magnam partem usui eorum, qui antiqui-
434. tatibus eruendis student, haud fuerunt oblati. Subduxerunt sese pauci aurei argenteique, Iudæorum manibus, omnia captantium, & studiorum expertium. Unus, in antica Aurelianum, corona radiata insignem, refert, addita perigraphe, IMP. AURELIANUS AUG. In postica sunt duo milites hastati, subscriptis ad oram verbis: RESTITUTOR EXERCITUS.

SITUS. Infra adparet numerus XXI. Bandurius hunc nummum aureum inter aureos Aureliani suos non numerat, T. I, p. 366, argenteum tamen eundem exhibet p. 370, & aeneum p. 381. Maiori cura definiendum est, quid sibi velit numus aureus, in quo infula & lituus Episcopum ornant, cum epigraphe: *Conradi Arc. pi. Ma.* atque in postica sese offert figura trifoliata, referens rotam Moguntinam, & epigraphen, *Moneta nova Hos.* Media littera in vocabulo *Hos* non est satis distincta. An forte idem est ac *Homburgensis?* an *Hamburgensis?* Hamburgum certe obtinuit ius cudendi numos aureos anno 1435. Videtur tunc Conradus Archiepiscopus vixisse Moguntinus, & vicarium Imperatoris Sigismundi egisse. Argentei numi, passim eruti, exhibent monumenta Iulii Caesaris ac Imperatorum Romanor. ad seculum usque quartum. De- Pag. 442.
narius Macrini atque Volusii, raritate se commendant. Ad Potstamium a. 1728. in urna sepulcrali effossa, visitur chalybea imago, eaque fusa, referens virum, in feminae amplexus ruentem, stantem a dextris. Vestitus attentionem spectatoris invitat. Scripsit de hac imagine G. S. *Treuerus* Diss. cui inscriptio, *Anastasis veteris Germani Germanaeque feminae, cum integro* 446.
vestitu comparentis. Nostro videtur vestitus prodere mores Vandalorum, in Hispanias propagatos. Oppidulorum & castellorum reliquias describere nolumus. In urbibus, queis Electores stirpis Anhaltinae iudiciorum capitalium potestatem indulserant, visuntur *Statuae Rolandinae,* civium sumtibus erectae. 450.
Historia naturalis Marchica exhibet etiam Cometarum, a. 1664, 1680, & 1743. conspectorum, mentionem, solis deliquia, parhelios, soles rubore obductos, deliquia lunae, nec non adulterium solis ac lunae ad 1707, 7. April. irides lunares nocturnas, & alia phaenomena ad lunam referri solita. Observatio certe haud magis ad Marchiam spectavit, quam ad terras alias. Anglici sudoris contagio a. 1529. pervasit Marchiam. Anno 1587. malum, quod adpellatum fuit *Pip Hispanicum,* Marchiae incubuit. Descriptio aurorae borealis ad 457.
a. 1580, 10. Sept. est memorabilis, siquidem lumen illud boreale tunc existimatum fuit *chasma epidemiale.* Catarrhi epi-

demici fuerunt insignes a. 1580, & 1732. ut fere per omnem Europam. Nova stella visa fuit in Cassiopea ad biennium, inde a fine anni 1572. sine parallaxi, ideoque fixa. Crux fuit circa lunam, in centro locatam, visa, & in apicibus
Pag. 475. crucis iucunda iris adparuit, a. 1711, 2. Apr. Lunam a. 1684, 16. Dec. visam caudatam instar cometæ, spectavit, memoriæque prodidit *Christianus Menzelius*. Luminis borealis ex prisco, medio, & recentissimo ævo exempla, *Becmannus* di-
479. ligenter collegit. Collectionem tamen ampliorem scripto singulari evulgavit Prof. Helmstadiensis, Cl. *Frobesius*, cuius
490. summam suo loco exhibuimus. Globos meteoricos ignitos, passim delabi visos in terram, omittimus, æqueac nimborum
506. recensionem, qui Marchiæ graves fuerunt. Terræ motus Marchiæ fere sunt ignoti, saltem rarissimi. Fulminum exitiosa materies ibi crebrior. Qui per exempla ire amant, eorum copiam penes Auctorem deprehendent. Procellarum grandinumque incommoda idem copiose pertractavit. Etiam pluviæ sanguineæ memorantur, natæ ex vaporibus aquarum quæ ex succo adiectarum vel adstantium alnorum ita tinctæ sunt. Eodem refer hiemes graviores, præcipue annorum 1709.
539. & 1740, nec non clementiores, vel nivium divites. De piscationibus Marchicis, de earum incrementis atque decrementis, de piscibus ipsis, ita exponitur, ut nihil facile desideret lector. Ad quæstionem, cur piscium numerus in dies fiat rarior, varie responderi potest: optime respondent ii, qui norunt, la-
563. cus passim & piscinas in agros converti, piscibus haud satis ad propagationem atque iustam ætatem parci, numero invalescere qui piscibus vescuntur, immo annis inesse differentiam, nec ex querelis piscatorum de numero piscium immi-
570. nuto fieri iudicium posse. Murænæ Marchicæ a Græcorum Romanorumque differunt murænis, siquidem hæ squamis & pelle caruerunt, anguillis similes, Plinio teste. Reliquos Marchiæ pisces egregie hic Auctores descripserunt, haud ignari locorum, quibus proveniunt atque inprimis capiuntur; prædiorum Dominis, suis & colonorum commodis egregie
585. invigilantibus. Fibri, hoc demum seculo in Albi fuerunt reperti,

reperti, Americanis maiores, & inde aliorsum in colonias ducti. Acidulas Freienwaldenses, copiosa oratione ornatas, indictas praetermittimus. Exstiterunt passim aliae. Salinas habent Soltwedela, Osterburga, Selblang, vicinia op- Pag. 611.
pidi Beliz, quas tamen omnes antecellunt Hallenses & Grossensalzenses Magdeburgicae. Fontem lapidificum ostendunt Francofurtani, bolarem Berolinenses. De terrae proventibus, & inter hos de torfa, terra porcellanica Plawensi, marga, calce, gypso, fodina aluminis, sale, nitro, lithanthracibus, ferro, argento, cupro, osteocolla, nihil huc transferre licet. Collectionem herbarum, usus medici, in terris 681.
Marchicis, adornavit Prof. Gleditschius, ad modum botanicae peritiae recentissimae, huc traductam ex omni parte. Conferri digna est D. de Bergen *Flora Francofurtana* a. 1751. publicata. Ex *linagrefti* coepta est texi tela. *Ductus serpen-* 739.
tini in foliis deprehensi, videntur erucae rodentis esse vestigia. De arboribus selectissimis egregia commentatur Auctor, ut de tiliis, quercubus, pinu, populis, betulis, palmis, camphoris, persicis, moris ad bombyces alendos. De serici Marchici fabricis adiunguntur memorabilia, nec non de vitriariis 755.
officinis, de ferarum generibus, de animalibus aliunde inductis, de armentis, de pecudibus, de peste bestiarum ad Oderam a. 1711. quam intelligentes contagionem ad rorem 796.
malignum referunt. De avibus non est quod repetamus. Partus hominum singulares etiam omittimus. Neque de arboribus, 865.
uno anno bis fructiferis, libet differere. Aristas extraordinarias, monstrosos partus, argillas terrasque varias, quibus volupe est cognoscere, Auctorem ipsum consulant. Succi 888.
num fossile non est Marchiae alienum. Supersunt ibi plura diluvii universalis, ut aiunt, monumenta. Exstant alibi ferri minerae, osteocolla, echinites, aliique lapides figurati, tabulis expressi ope figurarum in aes incisarum. De fluviis ac lacu- 949.
bus non vacat dicere, sed neque de commerciis, & piscationibus, interventu illorum fieri solitis. Lectoribus enim iam in propatulo est, ex iis quae dicta sunt, quid potissime hoc Volumine contineatur.

EXPLA-

EXPLANATIO NOVAE RATIONIS, ANGUlos, ſub quibus obiecta in teleſcopiis ſpectantur, metiendi, a V. Cl. IO. DOLLONDO inventae. Excerpta ex Transact. Philoſoph.

Vol. XLVIII. p. 551. ſq. & ex Anglico ſermone translata.

Antequam ea, quæ ad hoc Micrometrum attinent, ſigillatim exponam, conducet præmittere quasdam de natura lentium vitrearum ſphaericarum obſervationes, quæ ad ſequentem explanationem facilius intelligendam neceſſariæ videntur.

Obſerv. 1. Omnium lentium vitrearum, ſphæricam convexitatem habentium, hæc eſt indoles, ut radios lucis per eas transmiſſos refringant hac lege, ut, qui ex uno obiecti lucidi puncto emanaverant, omnes colligantur in quodam alio puncto, cuius a lente diſtantia præcipue tum ab eius convexitate, tum a diſtantia obiecti pendet.

Obſerv. 2. Punctum in quo ſic colliguntur radii, ſpectari poteſt inſtar imaginis eius puncti, ex quo emanaverant. Si enim cogitamus diverſa puncta radios ex ſe emittentia, qui virtute lentis in totidem aliis punctis colliguntur refracti: facile intelligemus, quomodo una quævis pars obiecti ſic revera repræſentetur. Cum hæc lentium ſphæricarum virtus apud omnes Auctores, qui de Optica commentati ſunt, explicata & demonſtrata reperiatur, quippe quæ huius ſcientiæ baſis eſt & fundamentum: nuda huius rei mentio ad ſcopum noſtrum ſufficit.

Obſerv. 3. Attamen hoc præterea neceſſe habemus obſervare, quod lineæ rectæ, ſingula obiecti puncta cum reſpondentibus in imagine punctis iungentes, ſe invicem omnes interſecent in certo puncto axis, ſeu rectæ per lentis polos, ubi ambæ lentis ſuperficies ad ſe mutuo parallelæ ſunt, ductæ, quod punctum *centrum lentis* proprie poteſt appellari. Ex quo manifeſtum eſt, angulos ad illud punctum æquales eſſe, quos obiectum & imago eius ſubtendunt; & propterea diametrum obiecti, & diametrum imaginis, eandem ad ſe invicem habere rationem, cum diſtantiis eorum ab illo puncto.

Obſerv.

Obſerv. 4. Cum formatio imaginis per lentem vitream tota pendeat ab ea proprietate, quam ſupra commemoravi, & quæ in hoc conſiſtit, ut lens talis omne lumen, e diverſis obiecti punctis in ipſam incidens, in totidem aliis punctis in foco ſuo colligat; ſequitur, a quolibet huiusmodi lentis ſegmento itidem formari imaginem æqualem & omnino ſimilem ei, quam tota lens formare poterat, neque differre inter ſe has duas imagines, niſi gradu claritatis; quippe eo minorem claritatem habente illa imagine, quo minor pars totius lentis eſt illud eius ſegmentum.

Obſerv. 5. Axis lentis ſphæricæ eſt linea recta iungens centra ſphærarum, ad quarum ſuperficies ambæ lentis ſuperficies formatæ ſunt; & ubi hæc recta ſuperficiebus lentis occurrit, ibi hæ ſuperficies ad ſe invicem ſunt parallelæ. Si vero contingit, rectam illam per ipſam lentis materiam non tranſire: tunc talis quidem lens centro interno carere dicitur, attamen centrum eius intelligitur exiſtere in ſectione quadam lentis, ad occurſum uſque axis producta. Et hoc punctum imaginarium, etſi extra lentem cadat, tamen tam vere eſt eius centrum, & tam fixam habet poſitionem reſpectu lentis; ac ſi intra ipſam lentis materiam caderet.

Obſerv. 6. Si lens ſphærica, quæ centrum vel polum ſuum prope medium punctum, ſive centrum circumferentiæ ſuæ, habet, recta per medium ſecetur: centrum in altero duntaxat ſegmento exiſtet. Nam quamvis ſolicitam curam aliquis adhibere fingatur, ut lentem per centrum eius ſecet, tamen vix intelligi poteſt, quomodo punctum mathematicum bifariam poſſit ſecari. Ergo centrum in altero ſegmento, & extra alterum, exiſtet. Pauxillum vero de utriuſque ſegmenti ſuperficie plana deradendo efficiamus, ut utrumque ſegmentum centrum ſuum habeat extrinſecus poſitum, & ſic ambo centra facilius ſibi invicem tam prope admoveri queant, ut alterum in alterum incidat.

Obſerv. 7. Si hæc ſegmenta in eo ſitu iuxta ſe invicem teneantur, ut ambo centra in unum punctum incidant: imagines, quas ambo ſegmenta exhibent de aliquo obiecto, itidem

 unien-

unientur. Hoc accidit, cum planæ ſegmentorum ſuperficies ſic iunguntur, ut ſimul lentem quaſi integram forment. Quodſi autem ſegmenta utcunque ſint disiuncta, imagines etiam erunt diſcretæ, & utrumvis ſegmentum exhibebit peculiarem ac diſtinctam imaginem eius obiecti, cui ambo ſimul expoſita ſunt.


Obſerv. 8. Etiamſi centra ſegmentorum fieri poſſunt disiuncta, alterum ſegmentum ab altero in qualibet directione dimovendo: maxime tamen commoda via ac ratio hoc efficiendi eſt, cum ſegmenta ita moventur, ut plana alterius ſuperficies ſuperficiem planam alterius præterlabatur, donec in talem ſitum delata ſint, qualem ſchema oſtendit. Sic enim mota lentis ſegmenta nulli peregrino lumini tranſitum inter ſe concedent. Præterea huiusmodi eorum motus commoditatem præbet, diſtantiam centrorum exacte metiendi, ope ſcalæ *Vernerianae*, quam vulgo ſed falſo *Nonnianam* dicunt, ad capſulam cupream, cui alterum ſegmentum inſertum eſſe debet, affixæ, & iuxta ſcalam laminæ, cui alterum ſegmentum infixum eſt, huc & illuc mobilis.

Fig. I.

Obſerv. 9. Quemadmodum unius eiusdemque obiecti imagines motu ſegmentorum lentis ſeparantur: ſic imagines diverſorum obiectorum, aut diverſarum eiusdem obiecti partium, in eum ſitum deferri poſſunt, ut congruant. Ponamus, obiectum eſſe ſolem, vel lunam, vel aliquem planetam: duæ eius imagines hac ratione eo uſque ſeparari poterunt, ut oppoſitæ limbi partes ſe mutuo tangant. Quod cum fit, diſtantia centrorum utriuſque imaginis diametro utriusvis imaginis æqualis eſt. Idem puta de quolibet alio obiecto.

Obſerv. 10. Huiusmodi lente diſſecta pro micrometro uti licet tribus modis. Primo, ea ad extremitatem tubi, cuius longitudo diſtantiæ foci lentis conveniens eſt, applicari poteſt ad inſtar lentis obiectivæ; alteri tubi extremo inſerta lente oculari, ut fieri ſolet in teleſcopiis aſtronomicis. Secundo poteſt talis lens etiam applicari extremo tubi multo brevioris, ſi alia lens convexa poſt illam in tubo collocetur, cuius vi diſtantia foci lentis diſſectæ brevior reddatur. Denique accommodari

TAB. VI. ad Nov. Act. Erud. A. 1754 p. 98. sq.





modari poteſt extremitati apertæ teleſcopii catadioptrici, ſive *Newtoniani*, ſive *Gregoriani*, ſive *Caſſegraniani*. Quorum modorum extremus etſi omnium optimus ſit ac convenientiſſimus, tamen, cum primus & maxime naturalis ſit, & intellectu facillimus; convenit, hunc modum enodatius explanare, & principia, iuxta quæ hoc micrometrum conſtruitur, in modo primo demonſtrare. Quo facto, facile intelligetur applicatio demonſtrationis ad reliquos modos.

Poſtquam itaque in præmiſſis demonſtrationibus generatim expoſui naturam ac virtutem lentis obiectivæ, pergo ad demonſtrationem principiorum, ex quibus angulorum dimenſio huius inſtrumenti ope haberi poteſt. Quod in ſequentibus propoſitionibus fiet.

PROPOSITIO I.

Sit lens obiectiva diſſecta in extremitate tubi modo primo collocata, & tubus ſit directus verſus obiectum menſurandum; ſint praeterea ſegmenta e primitivo ſuo ſitu ſic dimota (modo in Obſerv. 8. dicto), ut oppoſitae partes limbi utriusque imaginis ſe mutuo contingant in foco lentis ocularis: dico fore ſibi invicem aequales angulos ad focum lentis ocularis, quorum alterum diſtantia centrorum utriusque ſegmenti, alterum diameter obiecti ſubtendit.

Demonſtr. Referat recta AB diametrum obiecti metiendum, & ſint C, D, centra ſegmentorum lentis, G autem ſit focus, ubi imagines extremitatum obiecti in ſe mutuo incidunt. Perſpicuum eſt per obſerv. 3. rectas AG & BG, quæ extrema obiecti puncta & ipſorum imagines iungunt, tranſire per centra C, & D ſegmentorum. Quare cum & diameter obiecti, & diſtantia centrorum, inter has rectas interpoſita ſit: neceſſe eſt ut ambæ eundem angulum ſubtendant, cuius vertex eſt in puncto occurſus earundem rectarum G. — Q. E. D. Fig. II.

Diſtantia foci GC vel GD variabilis eſt, pro diſtantia obiecti a lente, & minuitur creſcente diſtantia obiecti. Si obiectum adeo remotum ſit, ut diſtantia foci nullam habeat aſſignabilem rationem ad diſtantiam obiecti a lente, foci diſtantia erit minima, velut CF vel DF; & punctum F appellabitur

 focus

focus radiorum parallelorum. Alius quicunque focus, veluti G, qui pertinet ad propius obiectum, dicitur *focus respectivus*, quia peculiarem distantiam respicit. Sed focus parallelorum radiorum omnia obiecta respicit, quæ valde longinqua sunt, qualia sunt corpora coelestia cuncta.

PROPOSITIO II.

Distantia HE obiecti a lente est ad EF distantiam foci parallelorum radiorum, uti distantia HG obiecti ab sua imagine, ad EG distantiam imaginis a lente; h. e. $HE : EF = HG : EG$.

Cuius Propositionis demonstratio ex quolibet libro Dioptrica tractante peti potest. Est enim præceptum generale, quo invenitur focus datam distantiam respiciens, ex dato foco radiorum parallelorum.

PROPOSITIO III.

Angulus, qui a diametro obiecti subtenditur, & verticem in lente obiectiva habet, aequalis est angulo, quem intervallum inter centra segmentorum subtendit, & cuius vertex est focus radiorum parallelorum; h. e. angulus $AEB = CFD$.

F. II. *Demonstr.* Apparet intuenti figuram, esse $AB : CD = HG : EG$. Et per præcedentem propositionem est $HE : EF = HG : EG$. Ergo ob rationem extremam his proportionibus communem, ceteræ erunt æquales, h. e. erit $AB : CD = HE : EF$. Unde manifestum est, veram esse propositionem.

Ex hac propositione intelligitur, angulum a diametro obiecti subtensum, cuius vertex est in lente obiectiva, inveniri, nulla ratione habita distantiæ obiecti, aut distantiæ foci respectivi, in quo imago cernitur. Nam mensura non pendet nisi a foco radiorum parallelorum, & ab intervallo inter centra segmentorum. Similiter hinc derivare possumus præceptum pro cognoscenda quantitate anguli, haud considerata distantia foci principalis lentis obiectivæ. Collocetur enim obiectum, cuius nota sit diameter, in aliqua cognita distantia: & angulus, sub quo eius diameter e medio lentis obiectivæ visa apparet, per trigonometriam poterit inveniri. Mensuretur idem per hoc genus micrometri: & intervallum inter

inter centra ſegmentorum, per ſcalam ſupra commemoratam definitum, conſtans erit menſura eiusdem anguli in omni alio caſu; propterea quod diſtantia obiecti non variat menſuram anguli, ut demonſtratum eſt. Et poſtquam ſic inventum eſt intervallum inter centra ſegmentorum, dato angulo conveniens, alius quilibet angulus *) computari poteſt per regulam trium.

Quæ hactenus dicta ſunt, referuntur ad primum modum utendi hoc micrometro, applicando illud ad extremitatem tubi, cuius longitudo diſtantiæ foci principalis lentis diſſectæ accommodata eſt, & adſpiciendo imagines per lentem ocularem convenientem, more conſueto in teleſcopiis aſtronomicis. Verum hoc modo longitudo tubi admodum incommoda erit; & propterea expedit alios modos conſiderare, qui praxin commodiorem præbeant. Progrediar itaque ad ſecundum modum, cuius mentionem feci in *obſervatione* 10. & qui in hoc conſiſtit, ut alia lens obiectiva addatur, per quam focus eius lentis, quæ pro micrometro inſervit, propius ipſi admoveatur. Quo facilius intelligatur hæc methodus, opus erit, ſequentem obſervationem præmittere.

Obſerv. II. Radii lucis, qui tam convergentes redditi ſunt, ut imaginem obiecti delineent, poſtea progrediuntur divergentes eodem modo, quo emanantes ex obiecto ante progrediebantur, quam per lentem transmitterentur. Hinc iterum poſſunt colligi per aliam lentem ſphæricam, ut forment novam repræſentationem eiusdem obiecti; id quod repeti poteſt ope tertiæ lentis, &c. Quare prima imago conſiderari poteſt tanquam obiectum ſecundæ lentis, ſecunda imago tanquam obiectum tertiæ lentis, & ſic porro. Licet hæ imagines inter ſe multum differre poſſint magnitudine: ſimiles tamen erunt cunctæ, quippe eandem rem vere repræſentantes. Quin hoc idem verum etiam erit, ſi ſecunda lens tam prope primam collocetur, ut radios ante excipiat, quam imago ab ipſis for-

 mata

*) In Anglico contextu leguntur verba, *all other Diſtances, alia quælibet diſtantia;* ſed hæc contra mentem Auctoris poſita videntur.

mata ſit. Cum enim radii ad occurſum mutuum in certa diſtantia tendant: ſecunda lens eos excipiet in hoc convergentiæ gradu, & ſic ipſi nova refractione ad propiorem quidem focum inflectentur, ſed imaginem non formabunt niſi ſimilem illi, quam formaſſent, primæ lentis ope, ſi ſecunda non fuiſſet ſubiecta.

Ad hoc principium cuncta teleſcopia refringentia conſtruuntur, quorum quædam e quatuor, quinque vel ſex lentibus coniunctis conſtant. Prima lens format obiecti imaginem, ſecunda repetit imaginem a prima acceptam, & ſic porro, uſque dum ultima lens veram obiecti repræſentationem oculo exhibet. Idem de teleſcopiis reflectentibus dici poteſt. Nam hoc reſpectu ſpeculum ſphæricum perinde agit atque lens ſphærica.

Applicemus hæc ad rem præſentem. Ponamus lentis obiectivæ diſſectæ diſtantiam focalem eſſe quadraginta circiter pedum, & intervallum inter centra ſegmentorum tantum eſſe, ut oppoſitæ obiecti extremitates in contactu appareant. Nunc alia lens obiectiva integra intelligatur in tubo collocata, quæ eam habeat convexitatem, ut focus primæ lenti quantumlibet propius admoveatur, puta ad diſtantiam duodecim pedum. Per ea, quæ modo diximus, conſtat, hanc lentem ambas imagines exhibituram eſſe ſimiles illis, quas lens diſſecta exhibuiſſet, ſi ſecunda non fuiſſet addita. Etſi enim imagines nondum formatæ ſunt, quando ſecunda lens radios excipit: tamen, quia illi radii verſus eam convergunt, neceſſe eſt, ut imagines per ſecundam lentem delineatæ eandem poſitionem inter ſe habeant ac figuram, quam tendentia radiorum requirit. Nam quamdiu lentis ſegmenta poſitionem eandem ſervant, imagines eorum etiam fixæ erunt poſitione; & quotiescunque eæ iterentur vel refractione per ſphæricas lentes, vel reflexione a ſpeculis ſphæricis, poſitio earum inter ſe nullam variationem pati poteſt. Hac ratione longitudo teleſcopii multum poteſt imminui, eadem manente ſcala pro metiendis angulis. Unum tamen incommodum brevitas teleſcopii parit, ſcilicet idoneæ diſtinctionis defectum; quo ipſo obſervatio

tio minus exacta redditur, quoniam extremitatum contactus tam accurate determinari nequit, quam id quidem in longiori telescopio fieri potuisset.

Hæc difficultas omnino tollitur, lentem dissectam extremo telescopii catadioptrici applicando. Namque reflexiones & refractiones, quas radii subire coguntur in hoc telescopio, nullo modo variabunt mutuum situm imaginum, ad quas formandas radii per segmenta lentis transmissi tendunt. Ut enim iam monuimus, repetitio imaginum per quotvis refractiones & reflexiones facta, magnitudinem quidem imaginum mutare potest, sed mutuum earum situm non variat.

Quapropter hæc ratio applicandi lentem dissectam ad telescopium catadioptricum, quæ modorum prædictorum tertius erat, omnium longe optima est. Huiusmodi enim telescopia, modicæ & tractabilis longitudinis, si bene fabricata sunt, obiecta admodum amplificare, & egregium spectaculum exhibere possunt. Quod autem hoc micrometri genus cum tanta certitudine ad telescopia catadioptrica adhiberi queat, res est non spernendæ utilitatis. Nemo enim non intelligit, ad diametrum planetæ exacte mensurandam necesse esse, ut planetæ imago amplificata & distincte repræsentata exhibeatur, quod vulgari via ac ratione assequi non licet absque prælongis tubis, quibus accurata dimensio valde difficilis, ne dicam impossibilis, redditur. Accedit, vulgare micrometrum hoc respectu alio laborare incommodo. Diameter enim planetæ mensurari per illud nequit, nisi totus planeta in campo telescopii cernatur; quo ipso virtuti amplificandi arctiores limites ponuntur: contra nostro modo nihil requiritur aliud, nisi ut extremitates in contactu videantur, id quod virtutem amplificandi pro lubitu intendere permittit.

In vulgari micrometro obiectum inter duo fila comprehendi oportet, adeo ut contactus inter fila & ambas extremitates imaginis uno eodemque intuitu observari non possit; & si interea dum observator oculum ab altero filo ad alterum vertit, minima telescopii accidit commotio, repetenda est observatio: contra ea in nostra methodo, telescopii commotio observando con-

contactui extremitatum ambarum imaginum non officit. Comparantes itaque hoc novum micrometrum ad vulgare, videmus, alterum requirere magnam ſtabilitatem teleſcopii, neque tamen applicari poſſe niſi talibus, qualia admodum difficulter ſtabilia redduntur, alterum tantam tubi ſtabilitatem haud requirere, licet applicari poſſit ad breves tubos, qui facile tractabiles ſint.

Hiſce commodis non ſolum certiores redduntur obſervationes, ſed etiam admodum expeditæ. Nam obſervatori licet viginti obſervationes hac ratione peragere interea, dum vulgari micrometro uſus unam moleſte ſatis peragit, de qua vix certus eſſe poteſt. Et fatendum eſt, expeditam obſervationum facilitatem magni momenti eſſe in hoc Climate, ubi ob tempeſtatis inconſtantiam aſtronomicæ obſervationes tam precariæ ſunt, ut cavendum ſit, ne ulla opportunitas, vel maxime tranſitoria, elabatur. Cuius rei exemplum ſocietati regiæ nuper exhibitum eſt in relatione eclipſis ſolis, menſe Octobri factæ.

Sicuti teleſcopii commotio obſervatori, noſtra methodo utenti, parum moleſtiæ parit: ita nec ipſius obiecti motus ullo modo obſervationem turbat: talem puta motum, qualis eſt corporum coeleſtium. Ergo & licet diametrum planetæ in quacunque directione metiri, vel intervallum inter duas ſtellas fixas, quemcunque erga ſe invicem habeant ſitum. Quo reſpectu vulgare micrometrum manifeſto incommodo laborat, quippe quo metiri non licet magnitudinem apparentem, niſi perpendicularem directioni motus: quanquam multum opus ſit diametros planetarum in aliis quoque directionibus metiri. Nam tum ex legibus motus, tum ex obſervatione Iovis, admodum veriſimile eſt, planetarum, qui circa axes rotantur, diametros, per polos ductas, breviores eſſe diametris æquatoreis.

Diſtantiæ ſatellitum Iovis a corpore Iovis, vel inter ſe, ſatis certe menſurari vulgari via haud poſſunt, propterea quod earum poſitio ſemper inclinata eſt ad directionem motus. Quid quod lunæ diameter, inter cornua interiecta, vix unquam iſta ratione capi poteſt: cum rariſſime accidat, ut diameter menſuranda directioni motus lunæ ad rectos ſit.

Quod

Quod idem de intervallo inter duas ſtellas fixas dici poteſt, ad novum micrometrum angulorum menſuram in quacunque directione pari facilitate & certitudine concedit; & obſervatio in inſtanti peragitur, abſque ulla obſervantis moleſtia. Cum enim nulla fila in campo teleſcopii adſint, nullà opus eſt eorum illuminatione. Præterea amplitudo ſcalæ novi micrometri etiam digna eſt conſideratione, quippe quæ fere ad lubitum extendi poteſt, pro parvitate obiecti. Aliud incommodum cum vulgaris micrometri uſu coniunctum eſt, variatio ſcalæ pro diverſa diſtantia obiecti. Quia enim tubus longior reddi debet, pro minori diſtantia: ſcala, quæ ſemper longitudini tubi accommodata eſſe debet, etiam maior ſumenda eſt; qua re dimenſio anguli ſatis incerta redditur. Contra in novo micrometro omni diſtantiæ una ſcala convenit, adeo ut certiſſima angulorum dimenſio inſtitui poſſit, non habita ratione diſtantiæ obiecti.

Ad ſummum evictum eſt, hoc micrometrum eſſe inſtrumentum in ſuo genere abſolutum, quod multa præ vulgari habeat commoda, & incommodorum, quibus huius uſus prematur, expers ſit. Neque dubium eſt, quin, ſi ad praxin illud adhibeatur, multum de eo ad Aſtronomiæ incrementum liceat ſperare.

DE LEGIBUS MOSAICIS, CIRCA SACERDOTES vitio corporis laborantes, in Eccleſia Chriſtiana emendatis, liber ſingularis, Auctore IOANNE RUDOLPHO KIESLINGIO, S. S. Theol. D. & Prof. P. Ord.

Lipſiæ, ſumtibus Caroli Ludovici Iacobi, 1755. plag. 17. in 8.

Dignum ſcriptione, ſuisque humeris æquum ſumſit Plur. Rev. Auctor, hocce in libello, argumentum. Quamvis enim paſſim auctores, e quibus nominamus *Saubertum*, Sacerdotum V. T. vitio corporis laborantium fecerint mentionem; nullus tamen eſt, quantum novimus, qui

hanc tractationem hunc in modum digesserit, & cum facie antiquioris ac recentioris Ecclesiæ Christianæ tam eleganter & accurate comparaverit. Omnis libellus in tres divisus est Sectiones, quas paucis commemorabimus lineis. Sectio prima tradit leges divinas per Mosen evulgatas, de Sacerdotibus vitio atque labe corporis affectis, iisdemque a sacris faciundis prorsus arcendis. Respublica Israelitarum, post exitum ex Ægypto, novam recepit formam, non solum qua statum politicum, sed etiam qua cultum religiosum Deo præstandum. Illa ipsa mutatio Sacerdotes, qui sacra tractare debebant, potissimum attinebat, quo gentes, quas inter hactenus dispersi fuerant Israelitæ, luculentius intelligerent, quantum cultus divinus a Gentilium differret superstitione. Eligebat Deus familiam Aaronis, & tribum Levi, cui, posthabitis reliquis tribubus, totam provinciam sacram & peragendam, & dirigendam, sapienti consilio demandabat. Legibus tamen cautum erat, ut omnes Sacerdotes, & Levitæ vitio corporis & macula carerent. Recensentur ipsæ leges divinæ, Lev. XXI. traditæ, & corporis defectus ex illis eruuntur. Maxime vero credibile est, postea Iudæorum doctores nimis rigidos fuisse illorum vitiorum macularumque censores, ita quidem, ut vel minimas observarent labes, & ob easdem homines, a sacris in tabernaculo & templo peragendis, fortiter repellerent. Augentur hic illæ leges Mosaicæ commentationibus eruditis & acutis. Etenim non nudis verborum significationibus dextre indagandis, ac explicandis inhæret Auctor, sed in causas quoque harum regularum divinitus datarum excurrit, & illas expiscatur penitius. Docet *primo*, hæc mandata divina sensu litterali esse interpretanda, quod validis argumentis adversus *Philonem* Iudæum, *Theodoretum*, & recentiores Philologos, inprimis *Cremerum*, demonstrat. Tuetur *secundo* suam sententiam, ipso cultu ceremoniali, qui in sacrificiis perlustrandis, mactandis, necnon offerendis, insignes requirebat corporis vires, omniumque partium integritatem. In vado enim est, infirmos, debiles, cæcos, & alio vitio corruptos, ad sustinendas has officii partes minus idoneos fuisse atque aptos

aptos. Voluit *tertio* summum Numen his legibus dignitati & præstantiæ ordinis sacri consulere, ne sacerdotes mutili & deformes, inter res sacras tractandas, contemtui exponerentur. Observat *quarto*, hanc sanam integramque corporis habitudinem simul tacite involvere animi mentisque castitatem. Deo enim indignum erat, habere arcanorum divinorum ministros, sano quidem & recto corpore præditos, sed qua animi indolem, spurcos, & minus verecundos. Casta mente Deum esse colendum, vel prudentiores Gentilium magistri dixerunt. Ipsa *quinto* divini Numinis sanctitas his institutis illustratur. Quod si enim animalia impura & vitiosa a sacris aris essent repellenda, multo magis sacerdotes, ad intimiorem Dei adspectum accedentes labe carere debebant, quo Gentiles Dei maiestatem in externo quoque cultu conspicerent. Nec *sexto* prætermittendum est, his in mandatis latere typum Christi, Pontificis N. T. Optimi Maximi, qui sanctus & a peccatoribus segregatus celebratur Hebr. VII. 26. ss. Delineata *septimo* est his imperatis Ecclesiæ & fidelium N. T. conditio. Constat, sublata V. T. oeconomia, omnes in universum fideles, divinos esse sacerdotes, sacrificia spiritualia, preces nimirum, & laudes Deo offerentes. Commendant divi Apostoli Christianis hanc vitæ sanctimoniam, quorsum facit oraculum 1. Thess. V. 23. Quæ meditationes in has leges Mosaicas prolatæ, ingenii iudiciique acumine instructæ sunt, ipsamque tractationem nullo modo siccam & lentam, sed doctam reddunt atque utilem.

Sectio secunda ad Ecclesiæ N. T. progreditur formam, & demonstrat, quas ob rationes hæ leges Mosaicæ partim sint extinctæ, partim vero emendatæ. Mutatum esse horum institutorum rigorem in N. T. constat, causas autem huius mutationis haud proletarias fuisse, verbosius exponitur. *Primum* inter illas locum occupat cultus levitici & ceremonialis abolitio. Sequitur *secundo* finis umbrarum typorumque. Succedit *tertio* ministrorum Ecclesiæ, primis rei Christ. temporibus, inopia, qua factum est, ut dotum animi potius, quam corporis haberetur ratio. Quid? quod ipsa cultus religiosi N. T. in-

doles hanc ſuaderet mutationem. Nam ceſſabat ſacrificiorum, oblationum, & fertorum cultus, qui inſignes poſtulabat corporis vires. Civitas autem Chriſtiana his oneribus ſatis moleſtis vacua, a miniſtris ſacris animi dona, in prædicatione ſanctioris doctrinæ, & ſacramentorum adminiſtratione poſita, inprimis requirebat. Non igitur mirari ſubit, divum Apoſtolum Paullum in Epiſtol. 1. ad Timoth. 10. & ad Tit. 1. corporis præteriiſſe præſtantiam, & animi potius a futuro Eccleſiæ miniſtro poſtulaſſe dotes. Quod argumentum diligentius traditur, & multis obſervationibus lectione dignis illuſtratur. Excurrit hic loci Auctor in primæ Eccleſiæ decreta & conſuetudines. Movebatur illo temporis tractu quæſtio, quid ſentiendum ſtatuendumve eſſet de conſiliorum divinorum nuntiis, vel a Gentilibus, vel Iudæis, Chriſtianæ religionis hoſtibus, parte aliqua corporis vitiatis, & miſere dilaceratis, utrum illi ad miniſterium ſacrum eſſent admittendi, nec ne? Laudati Conciliorum canones iuſtam pronuntiarunt ſententiam, viros vim & iniuriam, citra ipſorum culpam, a perſecutoribus paſſos, ſi ſacra adhuc tractare poſſent, non eſſe reiiciendos, quod exemplis *Paphnutii, Aurelii*, aliorumque virorum vitiatorum, docetur. Contrarium autem iſti canones tulerunt iudicium de illis, qui vel religionis, vel caſtitatis ſtudio, ſe cum *Origene, & Leontio*, nervo virili privarunt. Ridiculum porro & abſonum erat, *Ammonium*, aliosque viros religioſos, eo proceſſiſſe levitatis, ut quædam corporis membra deſtruxerint, ne ſacra in Eccleſia obirent munera, fallaci ducti perſuaſione, viros mutilos, ex legibus Moſaicis, in ordinem ſacrum non eſſe adoptandos. Quas conſuetudines omnium turpiſſimas ſolidius commemorat Auctor, & Eccleſiæ antiquitatisque documentis multum lucis affundit. Addit tandem commentationem de Romanæ Eccleſiæ inſtitutis, de ſacerdotio N. T. ſatis concinnam, & aculeatam, docetque, Romanenſes ſuo in iure canonico temere inhærere V. T. oeconomiæ, & eamdem cum recentioris Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu turpiter confundere. Quo nomine Concilii *Tridentini* canones caſtigat, atque demonſtrat,

ſacer-

facerdotium N. T. proprie & ſtricte ſic dictum, iam deſiiſſe; Romanenſes autem eo potiſſimum conſilio pro eo, tanquam pro aris ac focis pugnare, ut ſuum ſacrificium Miſſaticum & ordinem ſanctiorem defendant.

Sectio tertia de ſobrio & legitimo harum legum Moſaicarum, circa ſacerdotes vitioſo corpore inſtructos, in Eccleſia Proteſtantium, agit uſu. Belle Auctor diſtinguit corporis defectus in *totales*, & *partiales*. Si ſe totalis defectus in corpore obtulerit, in viro ad ſacrum munus promovendo, ipſi provinciæ ſacra denegari poteſt & debet, ne ſalus animorum ab eo procuranda, negligatur. Quales defectus ſunt, oculorum cæcitas ſurditas, & reliqua huius generis vitia, totum corpus attinentia. Partialis defectus eſt, qui in uno alterove corporis conſpicitur membro. Huc ſpectant, ſi futurus Eccleſiæ miniſter altero oculo cæcus, vel altero pede claudus ſit, aut quædam deformitas in vultu deprehendatur. Diſpiciendum hoc in caſu eſt, utrum etiam illud vitium ita ſit comparatum, ut oratorem ſacrorum in rebus ſacris peragendis prorſus impediat, nec ne? Leviores eſſe iuris Eccleſiaſtici Proteſtantium canones, circa hos corporis defectus, demonſtratur, quia in Eccleſiæ miniſtris animi potius decora, quam corporis venuſti, atque robuſti ornamenta, ſunt indaganda. Commendamus hunc libellum rei Philologicæ, hiſtoriæ ſacræ, & iuris Eccleſiaſtici amatoribus, quippe qui ſelectarum rerum doctarumque copia prodeſt, & delectat.

DELLA LINGUA PUNICA PRESENTEMENTE USAta da Malteſi, overo nuovi documenti, li quali poſſono ſervire di lume all' antica lingua Etruſca.

h. e.

DE VETERI LINGUA PUNICA, QUAE HOdie apud inſulae Maltae incolas in uſu eſt, & nova documenta illuſtrandae linguae Hetruſcae ſuppeditat, exercitationes duae; item Grammaticae inſtitutiones eiusdem

linguae Maltensis, auctore IO. PETRO FRANCISCO AGIUS de SOLDANIS, Canonico.

Romae, 1751. 8. plagulae 12.

Quum hac aetate literati Itali magna contentione id agant, ut dudum deperditam Etruscarum literarum cognitionem restituant, &, quae magno numero supersunt, monumenta Etrusca illustrent, iique maxime placeant, qui conatus hos consilio novisque inventis promoveant: venit in eam opinionem Agius de Soldanis, veterem Etruscum sermonem cum Punico aut eundem aut cognatum esse, eique opinioni speciem veritatis conciliare hoc opusculo voluit. Quamvis autem, id quod volebat, demonstrasse censendus non sit, non caret tamen hoc opusculum dotibus & novitatis, & elegantiae, quibus se commendet. Semina profecto sparsit novi studii, quod aeque acriter, aeque utiliter, studiosos antiquorum monumentorum homines exercere potest, atque Etruscum. Supersunt enim adhucdum, cum in numis, tum in saxis, monumenta Punica; et p. 26. recenset Auctor aliquot eorum, in saxis, utroque sermone, Punico simul & Latino, item Punico & Graeco, exarata, ab aliquot annis in Malta reperta. Iucundum praeterea est, linguae Maltensis vel Melitensis, hactenus perparum cognitae, indolem propius cognoscere. Sive Punica ea sit, sive Arabica, sive utrumque simul, (Punica enim aut mater est Arabicae, aut ab eadem cum hac prognata est matre) poterunt, utcunque res habeat, orientalium literarum amantes novum suis studiis praesidium, neque contemnendum in cultura linguae Melitensis habere, optandumque est, ut docti Itali, & Melitenses, in Italiam Maltamque ultro citroque commeantes, linguae huius, in orientis & occidentis confinio positae, ampliores deinceps opes in publicum proferant. Haud parum ea res, cum illustrando sacro codici V. T., tum historiae Saracenicae medii aevi, favet. Bene profecto de patria meritus in eo fuit Auctor, quod gentilem sibi dialectum notiorem doctis hominibus fecit et commendavit, quod alphabetum, quo, post vetus perditum, carebat hacte-

hactenus, ipsi dedit, a se excogitatum, quod linguam hanc in formam artis redegit.

Constat opus hoc, ut vel ex inscriptione patet, duabus exercitationibus, quæ tres ferme plagulas implent, & Grammatica ipsa, quæ reliquas occupat. Illarum prima in eo est, ut demonstret, linguam Maltensem esse Punicam, fixam & depositam in Malta & Gozo, (seu Pantallarea) a Phoenicibus, inde a Poenis seu Carthaginiensibus ibidem continuatam, indeque usque ad nostram ætatem fuisse propagatam, eodemque modo adhuc hodie ab incolis ruris, seu *villanis*, vulgo dictis, pronunciari, (nam Italica in capitali insulæ urbe obtinet) quo pronunciata olim fuit. Qua in re demonstranda multum ipsi laborandum esset apud eos, qui forte, ut in re non perspicua, negent Arabicam & Punicam eandem esse. Nam illa profecto, quæ hodie Melitensibus colonis in usu est, hoc libello tradita, mera est vulgaris Arabica, miscela quadam Italici & Turcici sermonis inquinata, ut e sequentibus constabit. De lingua Melitensi varii, sed imperfecta, tradiderunt, quos Noster p. 22. nominat; cum Maio facit, cuius libellum de lingua Punica laudat & commendat, eiusque sententiæ subscribit, linguam Melitensem eandem cum Punica facienti. Veteris illius Punicæ alphabetum adhuc hodie superest, sed ignoratum, in duabus inscriptionibus Punico-Græcis, quarum unam Guyot de la Marne in diss. Academ. Cortonensis T. I. p. 25. & Michael Fourmont ibid. T. III. p. 19. alteram Gruterus Syntagmatis p. LXXXVI. & Spon. Miscell. Erudit. Antiqu. p. 1. exhibent. Linguam Punicam in patriam insulam introduci potuisse & introductam fuisse, ex eo concludit Melitensis noster, quod ea in medio inter Asiam, Africam & Europam posita, neque a Phoenicibus, in Galliam, Hispaniam, Mauritaniam colonias emittentibus, & mercaturam exercentibus, neque a Poenis in Græciam & Italiam traiicientibus, præteriri potuerit. Illis, qui forte scire velint, qui factum sit, ut Punica lingua per tot secula apud Melitenses se conservaverit, in Sicilia vero, cui multo plus negotii cum Poenis fuit, pedem figere, sedesque tueri nequiverit, respondet: Romanos

in

in Siciliam, exactis Poenis, utpote victores, sermonem suum intulisse, ad Maltam vero non penetrasse. Quo factum, ut Carthaginensrs ibi liberi, sui iuris & quieti manserint. A Saracenis porro, qui diu insulam tenuerunt, passam Punicam fuisse nihil asseverat, eosque errare, qui linguam, de qua controversia est, Arabicam esse, non Punicam, existiment. Saracenos enim insulæ non dominatos fuisse, sed velut amicos insedisse. Inesse quidem huic dialecto voces & Arabicas, & Hebræas, Syriacas quoque & Ægyptiacas; sed omnes illas dialectos ab una Punica manasse vult; quam in tanta rerum fortunarumque vicissitudine, totque sæculorum per decursum, linguarum unam (nulli enim alii id contigit) sustinere se potuisse, admirationem mereri. Potuisse id, quod sancit, contingere, Equitum Hierosolymitanorum exemplo demonstratum it, qui quamvis per duo iam sæcula insulæ imperent, & in urbem quoque capitalem Italicam introduxerint, exstinguere tamen veterem linguam, seu Punicam, seu Arabicam, nullo modo potuerint.

Exercitatio secunda usum monstrat, ab huius linguæ exercitio cum ad universam rem litterariam, tum ad Melitenses præcipue redundantem, qua occasione ad etymologiam nominis Melite vel Malta delabitur. Improbatâ etymologia, a quibusdam tradita, qui ab Hebræo מילדה *Militta, Iunone Lucina,* nominis repetunt originem, ipse Auctor aliam suggerit. putat nempe insulam sic dictam fuisse a saxo, quo ea abundat, molli, ferro cedente, sed cum tempore indurescente. *Maltam* nempe esse argillam; & proinde saxum friabile quoque significare posse. Adiunctæ insulæ, hodie Gozo, olim Pantallarea dictæ, in qua sermo Melitensis quoque viget, derivat nomen ab antiquo item nomine *caudex*, cuius productum medio mutilatum sit. *Gaudisium, caudex, codex,* invenitur item apud Arabes غودش *Godesch.* Id si fuit antiquum nomen, corrupti sunt Græci codices veterum auctorum, qui ΓΑΥΛΟΣ habent. Quod si vero hæc proba est lectio, debet recentior appellatio ΓΑΥΔΟΣ ex illa antiquiore γαῦλος corrupta esse. Quod omnino potius esse, evincere videtur

ipsum

ipſum nomen *Gozo*, quod Arabice كوز notat *poculum*, ut Græcis γαῦλος notat, p. 55. inſtituit Auctor uſum linguæ ſuæ Punicæ in illuſtrandis monumentis Etruſcis, & ambarum veterum dialectorum convenientiam monſtrare. Comparat voces aliquot tabularum Eugubinarum cum vocibus Melitenſibus eiusdem aut ſimilis ſoni. Sed parum ea quidem, quæ profert, præſidii ſcrutatoribus antiquitatum Hetruſcarum afferent. Denique nominat aliquot numero viros illuſtres, qui linguam Melitenſem addiſcere dedignati non fuerint, neque, exemplo quorundam, pro barbara habuerint, præcipue duos laudans, Xeberras unum, & alterum Tournon, illum Epiſcopum Epiphaniæ, hunc Gallum natione, militem Hieroſolymitanum, qui ambo Grammaticam Melitenſem aliquando meditati, ſed abſque effectu, fuiſſent edere.

In Grammatica primo loco dat Alphabetum 26. litteris conſtans ſecundum ductum Alphabeti Arabici, quod etiam præfixum eſt, cum additis Latinis literis æquivalentibus. Hoc ob rei novitatem, & ut conſtet, quomodo vulgus Arabum Arabicas literas enunciet (nam ea in re vehementer a traditionibus grammaticarum noſtratium Arabicarum diſcrepat) deinceps reddemus, declinationum autem, coniugationum, formularum ſalutandi, condolendi, colloquendi, aliarumque obſervationum ad geographiam Melitenſem, ad rem veſtiariam, alia, pertinentium, nihil, brevitatis ſtudio, attingemus. Finem faciunt duo non magnæ molis lexica, unum in quo voces Punico-Maltenſes Italice explicantur, & earum origines ab Hebræa aut Ægyptiaca lingua aut aliunde arceſſuntur, rariſſime ab Arabica, quum tamen pleræque omnes ibi propoſitæ, quod parvo ſpecimine demonſtratum deinceps dabimus, mere Arabicæ ſint, & in toto acervo vix viginti non Arabicæ occurrant. Hanc linguam ſi calluiſſet Auctor, potuiſſet operoſis multis argumentationibus & longe arceſſitis admodumque improbabilibus coniecturis ſuperſedere. Agnoſcas tamen in Viro ſedulitatem, lectionis copiam & amorem literarum.

Alphabetum itaque Maltenſe a Noſtro excogitatum hoc eſt. ا *a* ب *b.* ت *t* ث *th,* t durum & adſpiratum, ut [ثلث] *thielet. tria.* ج *g.* de hac litera monet, *nunquam eam perdere naturalem ſuam pronunciationem & vim, ſive ſit cum vocali, ſive cum conſonanti.* Hoc ut Italus ſcripſit, non ut Germanus. Vult nempe dicere *g* etiam ante *a* ut Germanorum *Tsch* efferri. Addit: „ v. g. *Gamari,* & non *Gkamri, Io-* „ *annes Maria. Gibli* [جبلي] & non *Gkibli*, tantum mo- „ do notandum, hanc literam cum puncto ſupra impoſito „ debere pronuntiari ut Italicum v. g. *Gignu, Giugno.* „ Arabica uncis incluſa addimus. Nam in hoc libro nuſquam, præter Alphabetum Arabicæ literæ comparent. ح *Hh.* v. g. [حايط] *Hhait murus. H* cum puncto ſupra poſito adhuc fortius debere adſpirari monet, ut [حمار] *Hhamar, aſinus.* خ *ch.* ut *chait filum.* [خيط] د *d.* In hanc unam literam quatuor Arabicas colliquavit *Agius,* د *Dal,* & ذ *Dzal* & ط *Tha* & ظ *Thza.* ut patet ex duobus, quæ allegat, exemplis. *Dana, queſto,* vel *ille* eſt Arabicum دان unde دانكى & ذالكى; alterum autem *Del, umbra,* eſt ظل Literas ذ & ط prorſus non adſcripſit. Tunc addit ر *r.* ز *z,* cum puncto ſuperſcripto. ut *zeft pix.* [زفت] dein habet س *s,* ش *sc.* ut *Scarara, Scintilla* [شرارة] ص omiſit. ض pronuntiat ut *ts.* ſed erravit in appingendo charactere & debuerat pro ض quam ibi ſcripſit, figuram ط exarare; quod exemplum ab ipſo allegatum monſtrat. nam vox *Ghotſa ſternutatio* non عضة ſed عطسة ſcribitur. ع reddit per *gh,* monetque eſſe literam pronunciatu difficillimam, eodemque modo a Maltenſibus efferri, atque ab Arabibus, graviter & media in gula, ut *Ghain* oculus [عين] ubi ſuper *gh* ſcripſerit punctum, ibi pronunciationem debere fieri profundiorem, ubi duo triave puncta, ibi creſcere adſpirationem. ut *ghar, grotta, ghar, vergogna, ghar, invidio.* ſed confudit literas

ع &

ج & خ nam quod ſecundo loco poſuit exemplum, ad illam, quæ primo & tertio loco, ad hanc pertinent. ڢ per *f* reddit & allegat exemplum, *ferqun, piccol demonio, demonictto.* volebat *ferghun* ſcribere فرعون id eſt *Pharao.* Arabes enim ferocientes & rabidos omnes homines & inſanum in modum arrogantes *Pharaones* appellant. ڨ ipſi eſt *q* ſubtile, acutum in ſumma gula formatum, ut *quolla, giarra,* ſeu [قلة جرة] Ambæ voces, tam *qolla*, quam *giarra*, ſunt Arabicæ. ک ut *k.* ut *Kaus, arcus.* [Sed Arabes قوس ſcribunt, non كوس] & *Kera, locatio aedium,* [كرا] ل *l.* م *m,* ن *n.* ه *h.* & ubi fortius, non tamen aſpere, efferri debet, punctum ſuperſcripſit. *c* apud ipſum æquale eſt Turcico *Cim.* [Arab. ج *Gim.*] ut *Caula* non *qaula, cqeiqer, parvus, cumblor,* non *qumblor, parvum lumen. gk* æquivalet penes ipſum Græco γ & germanico *g,* ut *gkriezem*, fauces. *z* ut Latinum *z*, v. g. *Qoz, domenico* [ſacerdos قس].

Dictionarii Maltenſis voces præcipuas nunc reddemus, addita a nobis Arabica ſcriptione, quam Auctor, ut dictum, ubique omiſit, & ignoravit. Corriget hæc opera erroneas eius & inutiles derivationes, & Maltenſem linguam demonſtrabit nihil aliud quam vulgarem Arabicam quodammodo corruptam eſſe. *Ach frater,* ergo eſt أخ. *alla Deus,* الله neque curamus Auctorem noſtrum id a voce *Baal* derivantem. *ammen* aut *emmen credere* أمن. *ara vide,* أر. *ardu, ſuppellex* عرض. *artap liquidum* أرطب. *baghda abominatio*, بغضة. *ballut*, *quercus* بلوط. *baqra vacca* بقرة, ſub qua voce etiam affertur *ghogiol,* vitulus عجل, *fahhal taurus* فحل. porro *barra foris,* برا. *baſt infra,* præter rem Arabibus tribuitur. *bedui, villanus, campeſtris* بدوي. *beit, tectum,* rectius *domus,* بيت. *ghorfa ſuperior contignatio,* غرفة. *Sttahh, ballatojo, tectum aedis* سطح, *bethha, cortile, cortis, aula,* بطحة. *ben ghammi, conſobrinus,* ابن العم. *bieb* aut *biep porta* باب

 bir

bir cisternæ, ببر. *bniet filiola* بنيّة. *bu* aut *abu* ابو. Memorabile est quod hac de voce Noster habet. *Voce*, ait, *ammirativa, & indica la grandezza d'una cosa. onde* Bu hhagiar *gran pietre*, Bu ghaddam *sparviere, uccello tutt' ossa.* Solent Arabes *Abu* & *Omm*, *pater & mater* nominibus præponere, quando relationem, communionem aliquam significare volunt. ابوحجر *Abu Hagiar pater saxi* est ὁ τῆς πέτρας nempe βȣνος, vel τὸ τῆς πέτρας nempe ὄρος· *der [Berg] mit dem Steine, mons saxeus*, ابوعظم *pater ossis*, τὸ τȣ ὀςȣ sc. ὀρνύφιον *avis ossis, avis cum osse, ossea.* Non ergo admiratur, neque auget molem rei hæc vocula. *challa laxare, mittere*, خلي. *challini, sine me, mitte me*, خليني. *chafir ignoscere*, غفر. *chales, liberatus electus* خالص. *cherza collum putei* est خرجة *Altre volte, addit, se prestiam fiducia al Magri Maltese Hjerolexic, v*, Erza *era quella tavola attacata al muro, che oggi diciam* charriega, diggiena, sqaffa, *supra di cui i villani pognono la roba usuale di casa. La voce è Punica.* Voces quas hic affert sunt Arabicæ خراجة, دكانة & سقافة Pergit *ciarcir scaturire aquam.* Est شرشر. *Dafra plexus crinium* ضفرة. *daqqa, ictus, ,, colpo, suono.* In ,, Ebræo *umiliarsi* ,,. Adducimus hæc in specimen etymologiarum, quas Agius de Soldanis profert. Est Arabicum دقة. *dar domus.* دار. *dair* monasterium دير Ibidem videtur vocem Turcicam *Dervisch* a vetustis *Druidis* derivare velle. Commemorat quoque monasterium in insula *Gozo*, *ta uyet bin gemma* dictum. In hoc nomine præter *tu*, genitivum Melitensis dialecti, ab Italico *da* transsumtum, cetera sunt Arabica جمة بئر وادي. *debba equa* دابة. Ait eius pluralem esse *Dujeb* aut *dujep.* دياب unde patet Arabes vulgares literam verborum mediæ radicis geminatæ, quæ iteranda fuerat, in ي convertere دياب pro دباب Demonstrat id quoque استحبيت *estahhbaito, pro* استحببت *estahhbabto*

eftahhbabto (v. p.) *Dem, Sanguis,* دم. *deep, aurum* ذهب. *donni, mea quidem ex fententia* ظني. *eftahh aperi,* افتح *emma aut imma, fed,* اما. *engkara impofitio iniufta, obligatio, extorfio,* انكراه Efcquar *fi dice,* ait, *l'huomo ch'ha il* color roffo delicato, & *la femmina* fcaqra, *derivata da* fchachar, *nero, benche diverfo nel fignificato fuo.* Alterum fpecimen etymologiarum noftri Melitenfis. Eft Arabice اشقر & شقرا cum quo confundit Hebraicum שחר. *Efma, aufculta* eft اسمع. De verbo *far* annotat: Far, *trasportato dalla voce* pharas, *cioè* extendere. — *Bollendo l'acqua fi ftende, indi forte ed allora dicono i Maltefi* l'elma far. el borma faret, *cioè la pignatta manda fuori l'acqua dal troppo bollire.* Non opus erat iftis ambagibus. فار notat *bullire.* فار الما *bullit aqua,* فارت البرمة *bullit olla.* Far, pergit, *fignifica ancora il* forcio [فار eft *mus*] *e nel numero del piu* firien [فيران] forci, *Con altra voce fi chiama* giordien & griedèn *forcio e forcj.* id eft جرذان *giordien, muftellae,* & جراذين *griedèn* ex Noftri pronunciatione, *muftellae. farac, alacritas, hilaritas,* فرح. *faraq dividere* فرق. *feqruna, teftudo.* Si Arabes eodem nomine id animal defignarunt, eft procul dubio a فخر *tefta* factum, quia fub *tefta* habitat. *filfla piper* eft فلفل. *fuq fupra, fuper,* فوق. *geua intra,* جوا. *gadira ftagnum,* غديرة. *ghana cantare,* غني. *gharma, cumulus* frumenti, & fimilium, عرمة. *ghaqual, iudicium, intellectus,* عقل. *ghaqqa, proftibulum, foemina vilis* عاقة. In *Ghazel* confudit Auctor Arabica verba عزل *feparare,* & غزل *filare. ghenep, uva* eft عنب. Sub hac voce notat *vitem* Maltenfibus appellari *Dieglia.* Eft Arabica vox دالية quae quamvis in *Golii* lexico hoc fignificatu non exftet, occurrit tamen pro *vite* in Chronico Siculo Arabice ab Affemanno edito in Carufii Bibliotheca Sicula, ad A. C. 936. *gherq* fequens, *fungus,* eft عرق. poteftque ea quoque figni-

ficatio Lexico Goliano addi. Hac occaſione de *Gherq el General fungo Melitenſi*, ſeu *typhoide coccineo* pluribus agit Auctor eiusque mirabilem in minima doſi vim adverſus dyſenteriam vehementer laudat. *gibu, cedo mihi,* eſt جيبه ex vulgari Arabico verbo جاب *dare afferre. gineina, hortulus.* جنينة *Hhabba granum,* حبة. *Hhabib* حبيب *amicus. Hhadar* حضر *adeſſe ſponſalibus* aut *nuptiis. Mahhdar* ait eſſe *la radunanza de' ſponſali, la quale ſempre interviene a caſa de' genitori. Hhai* حي *vive.* Hhaja حياة *vita. Hhami, calidus* حمي Sub eadem voce ait, *Da queſta voce nacquero li altri* Hhammiema *colomba, perche da ſe è piena di calore, Hhammemiet* حمامية appellari *la feſta dell Epifania del Signore a caſa delle colombe.* Harum etymologiarum prior frigida eſt; altera longe arceſſita. Non enim ob conſpectum in Chriſti baptiſmo ſpiritum S. in forma columbæ deſcendentem, dixerunt feſtum Epiphaniæ حمامية *columbarium,* ſed *balneare, feſtum balneare,* plane ut Græci τὰ Φῶτα, *quia Chriſtus* ex opinione eccleſiæ orientalis *in eo* ἐΦωτίϑη id eſt ἐβαπτίϑη, *balneatus fuit. Hhemet quietus, quieti datus fuit* eſt a خمد. *Hhabs, carcer,* حبس. *Hhaqem* حاكم. *Hhara* حارة *platea. tricq* & *tricqat* طريق et طريقة *via. Harra, ſtercus humanum* خرية. *Hhatem* خاتم *annulus. Hhaten* ختن *cognatus, ſocer, gener* &c. *Hhtent* ختنة *cognata.* De verbo خزن hæc notat: Hhazen, *fece la proviſione del grano per un anno, chiamato ancora* Muna [مونة]. *La voce e pun..., derivata da* Hhazer *o* Hhazri, *atrio o ingreſſo.* Rurſus ſpecimen etymologiarum, quas ingenium noſtrum Melitenſe peperit. *Hhniena* حنانة *miſericordia. Hhoſpien* حسبان & *Mahhsèp* محسب *ratiocinatio. Hhlas,* خلاص *liberatio, evaſio in libertatem;* addit in inſula eccleſiam eſſe *tal hhlas* dictam, *della liberazione per il parto,* ad quam mulierculæ frequentes accurrant. *Hhſiep* aut *Hhasba* حساب & حسبة *reputatio,* quam vocem ab Hebraica *Chiſſibonoth* derivat; non male. Eſt certe חשב & حسب eiusdem originis. *Ighaſeſe* expo-

exponit per *rannichia*, ſeſe contrahere in minutum, quem ad modum aves ſolent, nido ſeſe abdentes; eſt ab عشش in octava coniug. اعششش. *It* يد *manus. Idein* يدين *manus* in duali. *Itqatta* eſt ab عتق fuit *liber, ingenuus*, & in ſecunda Coniug. *attaqa, miſit in libertatem.* * *Itzahar florere, nitere*, أزهر. *Kadim, antiquus* eſt قديم. *Kares* reddit per *agro, aigre*. Arabicum eſt قارص *aciditate pungens.* Quod autem addit Arabice eam vocem ſignificare *periculoſum*, eius auctorem idoneum non habuit. *Kaſina crepatura*, eſt قصمة. *Kaui, fortis, robuſtus*, قوي. *Kaura* interpretatur „*luogo maritimo, o „literale*, coſi detto in Malta e Gozo. ſignifica *Ponente.*„ خور eſt Geographis Arabicis *ſinus maris. Kſciur* reddit *ſcorza del grano o altri ſimili. cortex* & *gluma* eſt قشور quæ vox Arabice tantum cortices notat, quales ſunt pomorum, pyrorum, nucum, item *gluma*, quatenus adhuc granum in calamo veſtit. Sed furfures appellant Arabes نخالة *Nochalah.* Confudit hæc Noſter quando addit. *Queſta ſcorza in Roma chiamaſi* ſemola, in Malta *Nochala. Il* Du Cange *e* Furetiere *la vogliono derivato dalla Germanica voce* Gruſch *e* Kruſch; furfurem *ſignificante* &c. Iterum ſpecimen etymologiarum ex hoc libello depromtum. *Leil notte* ait [ليل] *detto pure Dlam.* Hoc eſt ظلام. *Levi torquere* eſt لوي. *Lghap ſaliva*, لعاب *Libien* لبان. *Logma tozzo di pane chiamato dalli Ebrei lachme.* Non eſt ab Hebraico לחם ſed ab Arabico لقمة *bucella*, non panis tantum ſed etiam carnis. *Magghad locus ſeſſioni aptus, ſedes.* مقعد. *Maſctu, peſtinavi* مشطت *Matmura repoſitorium, apotheca, cavea.* مطمورة. *Mdina* مدينة *urbs. Medd* مد *prolongatio, extenſio. Medien* مدين *debitor. Meli* ملي *implere. Melqi, receptus, exceptus*, ملقي ὑπαντώμενος; cuius vocis en argutam derivationem. *La voce, ſtimo, che ſia derivata da* Molochus, *detto dagli Ammoniti* Molech, *ch' è*

un

un idolo cosi chiamato, perche fu da loro accolto ricevuto e venerato. Meri, contradicere مري derivat ab Hebraico מריבה *Mrihh, alacer, gestiens, tripudiabundus,* مرح. *Messa tactus,* مس. *Mgiar, scala,* litus, ubi escenditur e navi, ἀνάβαθρα, مجر Multa ad hanc vocem aliena habet. Id unum sufficerit tenere, litus tale, ubi appellunt naves, ab Arabibus appellatum fuisse متجر *locus tractionis* a جر *traxit*, quia naves ibi solebant in terram trahi, & in sicco collocari. Patet id ex eo, quod Noster ait in insula Gozo, locum aliquem appellari *Mgiar i Scini scala della galera.* مجرالشواني Addit in fine non omnino male. *in tale caso la parola vien ad esser composta da due sillabe* Me, *luogo*, giarr, *portare, trasportare*, quia nempe homines & merces ibi extrahuntur. *Mismum* forte vitium typographicum, aut corruptela dialecti est pro *Misghum* مزعوم *reputatus. Misqta ta sciagra* aut *ta scieuq* est *masliche spinarum* seu campestris. Sciagrā est Arab. شجرة *arbor*, & *scieuq* شوك. *Mramma* interpretatur *aedificium rusticum, tugurium.* In Arabico مرمة est domus vetus putrida, cariosa. *Nadur* est collis in insula Malta, Arab. ناطور σκοπιά. *Nati, do,* نانى est ab اتي. solent enim Maltenses pro prima persona singulari praeteriti aut praesentis eam formam, quae Arabibus aliis, Grammaticis certe, prima persona pluralis futuri est, adhibere. *dabimus*, pro *do*, aut *dedi;* ita paullo ante p. 163. est ننشر *nonscior* *expono, explico: nonscru* ننشرون *exponemus.* & paullo post *nemfet penetro,* ننفذ, & *nemfdu penetrabimus* ننفذون *Nghama confusus sermo,* est vel نحامة vel نغامة vel نهامة Ad vocem *Nofs* haec affert: „*Nofs* che l'Arabo dice *nosf* è „metà. ma la nostra voce è meglio detta, essendo divenuta „da *noph* posta tra le voce Egizzie & Ebree da Passeri.„ Confudit *Nofs* نفس *anima*, & *Nosf* نصف *dimidium. O sci ahhna* interpretatur, *o quanto siamo fortunati, o disfaventurati.*

turati. Si hæc vera ſunt, deberent hæc vulgariter detorta eſſe ab Arabico أي شي نحن *quanta vel qualis res ſumus!* quo evaſimus! ſed non facile eſt hæc cum ſequentibus conciliare. *Per ſalvarſi di qualche pericolo dicono i Malteſi* o ſci ahhna *anguſtiati ſalvateci, ajutateci.* Reſpondet ergo Arabico أوسعنا *Pſciara, nuntius felix* eſt بشارة. *Qala velum navis,* قلعة. *qali, frigere, aſſare,* قلي. *qam, reſurrexit,* قام. *qammaſa, ſaltatrix,* قماصة. *qara, legit* قرا. *qara & qargha, cucurbita* قرع. *qarahh, mortificavit, iniuriis affecit, coegit invitum* اكره. *qatta, faſciculus, manipulus,* قطعة. *qbir, grandis,* كبير ubi hanc addit obſervationem: *Cabir reputato per dio dagli Antichi, e da Malteſi per il demonio.* Mur ghand daq el qbir. *vattene da quel gran demonio.* Melitenſes عند pro من عند dicunt. من عند ذاك الكبير *averte te ab iſto grandi diabolo. qebrit, ſulfur,* كبريت. *qelp, canis* كلب. *qghat ſedit* قعد. De voce *Qoccia* quæ frumentum coctum, item panem benedictum notat, habet ſcitam obſervationem hanc. „Voce „forſe laſciata dagli Saraceni e Siri, i quali dicono *Codcia,* da „*Cadeſc*, ſacrificò. Il pane veniva diſtribuita in chieſa ne' „funerali de' morti, in ſuffragio dell' anime loro. Il frumen„to cotto ſi diſtribuiſce oggi nell aniverſario giorno de' bam„bini. „ *qolla, hydriam & verticem ſignificans* eſt Arab. قلة. In inſula Gozo duo ſunt promontoria, unum *qolla el baida* قلة البيضا *promontorium candidum* dictum, alterum *qolla e ſaffra* قلة الصفرا *promontorium flavum*, item tertium *qolla el hhamra* قلة الحمرا *promontorium rubrum* olim ibi erat. de *qoton* قطن *bombyce* vel *goſſipio* notat goſſipium *tirato dalla rodella, da loro chiamata* Raddiena [مرادنة] appellari Maghzul, مغزول *cioè* filato, & *applicato in tele* ſcioqqa. [شقة] *qronfol* قرنفل χαιφόφυλλον, unde *girofle. qtiep, liber* كتاب. *qul, comede,* كل ab اكل. *Rahep* monachus, ſacerdos, راهب *Ras* caput راس. *rmied* رماد *cineres. Romblu* eſt a ῥόμβος, ῥομβάλιον, ludus ille, qui noſtratibus

V v v *Kegel*

Kegel, Gallis *aux quilles* appellatur. Vox itaque Græcæ originis. *Saba, ventus*, præsertim eous, صبا. *Saum, jejunium*, صوم. *Sabaq, praeire*, سبق. *Safa, purus, nitidus, limpidus* صفي. *Sajet, piscator*, صياد. *Sajet tal ghsafar, auceps* صياد العصافير. *Saqqar, obice claudere* سكر. *Sarra* aut *Essara, luctare*, in imperativo, اصرع aut صرع vel اصطرع. *Satar, abscondere*, ستر. *Sciaghar, capillus* شعر. *Sciehh, senex*, شيخ. *Sciahh, avarus fuit*, شح. *Sehmu, portio eius* سهمه. *Seqer* سكير *ebrius. Sequia, canalis, aquaeductus* ساقية. *Sghir, parvus* صغير. *Sidi, mi domine*, سيدي *Sliema, salutatio*, سلامة. *Sliema ghaliqom achua* سلام عليكم اخوة *pax vobiscum, fratres. merhhba biqom achua, bene veneritis fratres*, مرحبا بكم اخوة. *Tabria*, vel potius *ta bria, de deserto, bria* enim est البرية. *takap, perforare cum tono & contentione*, تقعف. *ta la haun, veni huc*, تعالي هنا aut طلع هنا. *tarra, tener, recens*, طري item *humidus, succidus*.

Abstinemus a pluribus excerpendis, quum præsentia sufficere possint ad id, quod voluimus, obtinendum. Voluimus autem specimen dare linguæ Melitensis, rei oppido raræ; dein demonstrare, eam meram Arabicam vulgarem esse, cum exigua labe aliarum gentium, quæ insulam hanc cingunt; & cum ea versantur; tandem quoque Arabicæ linguæ amantibus & ex Grammatica eam callentibus, exemplis monstrare, quantopere vulgaris Arabice pronuntiandi ratio ab illa distet, quam Grammaticæ inculcant. Tanta autem est ea diversitas, ut mirum non sit, si neque Arabice docti Europæi Arabice pronunciantes Arabes intelligant, neque vicissim ab his intelligantur.

DISSERTATIONES DUAE CRITICAE HISTOricæ, una de XXV. annis Romanæ Petri cathedrae, adversus utrumque Pagium, altera de actis SS. martyrum Cosmæ & Damiani, nec non de monumentis basilicæ, ipsis in urbe

urbe erectæ. Auctore Fratre BERNARDINO MEZZADRI, *tertii ordinis S. Francisci, Illustrissimo & Excellentissimo Principi,* IO. BAPTISTAE *de* ALTERIIS, *Equiti & Commendatori Hierosolymitano, dicatæ.*

Romæ, excudebat generosus Salomoni, in foro S. Ignatii, anno iubilæi 1750. superiorum permissu, 4. plag. 15. c. fig. æn.

In I. dissert. A. in arenam reducit decantatam illam & toties tractatam quæstionem, de XXV. a. cathedræ Romanæ Petri. Ubi enim cl. Auctor sæpius cum amicis disseruisset, de primordiis ecclesiarum, Ravennatensis, Nepesinæ, Fesulanæ, Lucensis, Ticinensis, & aliarum, harumque primam originem, ex *Baronii* sententia, ad discipulos Petri, a. C. 46. ordinatos, retulisset, eos sibi contradicentes habuit, qui auctoritate utriusque *Pagii* ducti, 10. a. ad summum, quos cathedræ Petrus insidens exegerit, supputaverant. Visum igitur est ipsi, Pagiorum, simulque suas rationes proponere, quo lector judicare possit, utræ præponderent. *Franc. Pagii* sententiam in breviario rom. pontif. c. 3. & seqq. exhibitam breviter repetit, eaque huc redit: Petrum, non imperante *Claudio*, sed Nerone ad imperii clavum sedente, Romam venisse, quod cum contigerit post a. C. 54. quo Nero imperium adiit, & Petrus sub eodem, propter caussam Christi, mortem violentam subierit, nonnisi 10. a. eidem dandos esse contendit; opinionem autem, quam *Baluzius* iam proposuerat, de 25. annis a Petro administrati episcopatus romani, ortum suum ducere a *Lactantio*, qui de M. P. c. 2. prædicationi singulorum apostolorum ad Neronis imperium usque, 25. a. adscripserit. Hanc Pagii sententiam impugnat, (1) auctoritatibus, *Irenaei* L. III. c. 3. Pag. 7. 9. *Eusebii* in chronicis, *Theodoreti* in c. I. ad Rom. aliorumque adseverantium, Petrum primum evangelii doctrinam Romæ annuntiasse, & primum pontificem ibidem egisse. Equidem L. I. Recognitionum adfirmatur, Barnabam prima christianæ fidei semina Romæ sevisse: sed cum hoc cum temporum rationibus in concordiam mitti nequeat, & Recognitionum libri dubiæ sint fidei, adversus Pagios ita argumentatur: *aut Barnabam, aut Petrum, romanam ecclesiam instituisse,* quæ ante im-

 perium

perium Neronianum florentiſſima iamdum fuerit. Quorum primum cum diffiteantur, alterum pro certo habendum eſſe decernit, adeoque Petrum ante Neronis imperium Romam
Pag. 9-11. profectum fuiſſe autumat. (2) Argumentum ducit ex epiſtola Paulli ad Romanos, ubi clare ſatis indicetur, coetum Chriſtianorum, ante eius ad urbem acceſſum, Romæ, & numeroſum, & florentem fuiſſe, c. I. 8. 13. 15. XV. 15. 16. Faceſſere igitur iubet *Lactantium* de M. P. c. II. qui ſcribat, *Nerone imperante, Petrum Romam veniſſe.* Quem ne ſibi adverſum habeat, adducit ſententias illorum, qui libellum hunc Lactantio abiudicaverunt; opponit teſtimonia *Euſebii* & *Hieronymi;* porro, ipſum potuiſſe primum Petri in urbem ingreſſum *reticendo* præteriviſſe, quale quid etiam in ipſis ſacris deprehendatur litteris, quoniam ingreſſus ſub *Claudio* magis fuerit privatus & occultus, ille ſub Nerone publicus & illuſtris; denique hunc memorare, quoniam in eo erat, ut deſcriberet vexationem Neronis, ſub quo & Petrus veritatem chriſtianæ religionis ſanguine ſuo obſignarit. Ipſum denique Romæ ante Neronis imperium fuiſſe, & quidem Claudio imperante, probare ſatagit ex 1. Petr. V. 13. ubi per Baby-
11-17. lonem, ex ſententia *Papiae, Hieronymi, Oecumenii, Bedae,* & multorum aliorum, Romam tropice ſignificari opinatur. Stabilita igitur, uti ſibi perſuadet, ſententia ſua, examinare adgreditur obiectiones. Notaverant Pagii, ex iis, quæ *Valeſius* ad *Euſebium* L. II. c. 16. obſervaverat, adparere, Petrum, ſi Lucam in apoſtolorum actibus ſequi velimus, anno 2. Claudii Romam venire non potuiſſe: ipſe regerit, neque etiam in illis aliquid huic ſententiæ adverſum haberi, potuiſſe illum, carcere liberatum, Romam abire, inde Hieroſolymam regredi, ac primo Concilio Hieroſolymitano præeſſe; qui duplex adventus Petri a *Theodoreto* L. I. hæret. fabul. agnoſcatur, cum dicat,
17-19. ipſum *rurſus veniſſe*, Romam ſcilicet. Inde infirmare nititur confectarium, quod Pagii ex duplici profectione romana duxerant, inde conſequi nimirum, etiam duplex Petri cum Simo-
19-21. ne mago certamen ſtatui debere. Tandem inquirit, quid cenſendum ſit de ſententia illorum, qui XXV. a. Petro in epiſcopatu romano datos, ex XXV. a. prædicationis apoſtolorum
21. 22. arceſſunt. Nullus fere dubitat cl. *Mezzadri*, ſententiæ ſuæ

plures

plures eſſe acceſſuros, quod *innitatur non modo ſcriptoribus celeberrimis, ſed & ſcripturae ſacrae, adeoque ſolidam habeat veritatem.* Sed enim, quantum nos iudicamus, argumenta dudum refutata modo repetiit, ut leguntur apud *Salmaſium*, de primatu papæ, *Spanhemium* diſſ. de temere credita Petri in urbem Romam profectione, commentatores Lactantii, potiſſimum *Baluzium* & *Paullum Bauldri*. Eſt etiam illa ita comparata opinio, ut, niſi quis veritati hiſtoricæ vim facere velit, ne quidem probabilis reddi queat: quæ ratio fuit, cur & ex pontificiorum grege plures viri eruditi, & illi quidem acris ingenii iudiciique, eam prorſus reiecerint, ex quibus nominare licet *Valeſium*, *Baluzium*, *Papebrochium*, *Pagios*. Neque inde, ſi Petrus munus epiſcopi Romæ 25. adminiſtravit annis, ipſorum cauſſæ quidquam præſidii accedit. Primatum ſedis romanæ arceſſunt a mandato & conſtitutione Chriſti, qui Petrum apoſtolorum principem declaraverit, eique & ſucceſſoribus ſui loco curam univerſæ eccleſiæ demandarit: hoc igitur ius, ſi unquam datum fuit, adhæret cathedræ romanæ, etiamſi per exiguum tempus ſedi romanæ præfuit. Ex verbis *Theodoreti* plus efficit Auctor, quam ex illis ſecundum iuſtas ratiocinationis leges ſequitur. Verba in ed. Romana 1547. habent: *ἀλλὰ πάλιν ὁ θεῖος ἀφικύμενος Πέτρος ἐγύμνωσεν, κ. τ. λ.* Sed de adventu Petri in urbem, vel primo, vel ſecundo, nihil quidquam in antecedentibus aut conſequentibus habetur, & ſenſus planus evadet, ſi ſubintelligas verba *εἰς πάλειν*, Petrum *ſecundo, iterum* in certamen cum Simone mago deſcendiſſe. Sed ſatis de his. Progredimur ad reliqua.

Diſſertatio II. duabus abſolvitur partibus, quarum *prima* ea referuntur, quæ ad ſanctos hos ſpectant, *ſecunda* de templis, ſanctis his martyribus Romæ conſecratis, diſceptatur. Prima VII. complectitur capita. C. I. coniunctim exhibet illa, quæ apud ſcriptores antiquiores, ante Sæc. X. de illis reperiuntur; eademque, quo mutua adpareat conſenſio, cum illis confert, quæ in breviario romano habentur. C. II. diſceptatur, cum tria eiusdem nominis Pag. 1-9.
paria, eiusdem profeſſionis, medici ſc. qui religionem chriſtianam, diverſo licet tempore, ſanguine ſuo confirmarint, memorentur, quid de illis cenſendum, & qui factum fuerit, ut templum fratribus gemellis, Arabibus, Romæ fuerit excitatum? cum tamen in ora ab eccleſia romana longe diſſita, nec ad illam ſpectante, vitam egerint, atque amiſerint. C. III. ſermo integer encomiaſticus *Georgii*, 9-14.

 char-

chartophylacis ecclesiæ magnæ constantinopolitanæ, post metropolitæ Nicomediensis, clari sæc. IX. de S. Martyribus Cosma & Damiano, quem latine loquentem fecit *Combefisius* & *Wagnerechius*, repetitur; quo adpareat, in illo nihil de contentione trium ovorum, nihil de locutione cameli, nihil denique de multitudine parium haberi. Hunc sermonem plurimi facere Combefisium, testatur

Pag. 15-32. Auctor. Verum, si quis illum absque praeiudicio attentius legerit, comperiet, inconsideratum panegyristen heroas suos immodicis tollere laudibus, ipsorum virtutes longe anteponere fidei ac virtutibus Abrahami, ipsis, in cælo versantibus, tantam vim tribuere, ut mala omnis generis a clientibus suis depellere possint, plus etiam dare Mariæ, quam humana conditio, quam tamen nunquam est egressa, patitur. C. IV. disseritur de sanctorum martyrum translationibus. Corpora illorum ex Ægea Ciliciæ delata fuisse dicuntur Cyrum, Comagenes metropolin, ibique deposita in templo, sanctis his dicato, quod, cum ruinam minitaretur, imperator Iustinianus, ob sanitatem illorum beneficio recuperatam, in ampliorem formam ædificasse & exornasse fertur. Inde reliquias circa exitum sæc. XII. sedente Alexandro III. in Gallias deportatas, alii Venetias demissas tradunt: quoniam vero hæ translationes cum temporum rationibus in concordiam redigi nequeunt, probabilius esse coniicit, Romam, & quidem iam ante Sæc. VII. deve-

32-38. nisse. C. V. cultus illis proprius, ex antiquis missalibus edisseritur. C. VI. nominantur templa illis excitata, in urbe sc. Cyro, Byzantio, Roma, item altaria & sacella, & quæ Ravennæ in templo S. Mi-

38-41. chaëlis effigies Cosmæ & Damiani visitur. C. VII. occupatur in miraculis illorum recensendis, de quibus tempore concilii Nicæni integrum exstitisse librum memorat, quo patres huius concilii adversus iconomachos usos fuisse indicat, qui forsitan liber perierit, quorundam miraculorum descriptionibus, in codicibus bibliothecæ Vaticanæ, adhuc obviis.

41. 42. Pars II. describit XII. cap. templum, sanctis his Romæ sacratum, & quidem C. I. disseritur de situ & origine illius. In clivo, ante Palatinum montem, iuxta viam sacram est erectum, quod primis Romæ conditoribus constitutum fuisse videtur, inde profana repurgatum superstitione, sanctis his consecratum; quod num factum fuerit a *Felice* II. an IV. qui etiam aliis III. esse putatur, discutitur. Posterior tamen sententia c. II. ex inscriptionibus probabilior redditur, ut hinc consecratio ad sæc. VI. sit re-

43-52. ferenda. C. III. exponuntur nomina, quibus secuto tempore insignitum fuit. Adpellatum est in *tribus foris*, quia propinquum erat foris Cæsaris, Augusti, & Nervæ; *in silice*, forte a templo, quod Paullus I. Petro & Paullo condidit, in quo, referente *Anastasio*, *lapis siliceus* adservatus fuisse creditur, in quo impressa genuum vestigia, quæ illi in certamine cum Simone mago posuerunt, conspiciantur; porro *basilica diaconalis in foro romano*; denique *prope*

52-54. *templum pacis*, quoniam illi quasi coniunctum. De muneribus in illud

illud, succeſſu temporis a pontificibus collatis, honoribus item, quibus idem mactaverunt, proceſſionibus denique ad illud inſtitutis, ſermo fit C. IV. Cultus templi huius conceſſus eſt Fratribus religioſis ordinis S. Franciſci, quod oſtenditur c. V. Templum, vetuſtate labefactatum, Urbanus VIII. in eam reduxit formam, qua in præſentia conſpicitur, atque aræ maiori beneficium indulgentiarum eſt elargitus C. VI. Ornamenta altaris, eiusdemque effigies delineantur C. VII. ac earundem explicationes adiunguntur; quæ imagines tabulis aeneis repræſentantur. Reliqua ornamenta, quæ interiorem huius templi partem ſplendidiorem reddunt, itemque ſacella, deſcribuntur, & inſcriptiones quædam referuntur. Altaria, imagines, & inſcriptiones, quæ in loco templi huius inferiori, ſeu eccleſia ſubterranea, animadvertuntur, deſcribuntur & exhibentur C. IX. De indulgentiis, multa munificentia huic templo conceſſis, verba facit C. X. de reliquiis, quæ partim in vaſe capaciori, partim in aliis capſulis & urnis adſervantur, C. XI. Tandem C. XII. ordine diaconi omnes, qui huic templo præfuerunt, quique dignitate cardinalitia eminuerunt, inde ab a. 1106. ad præſens ævum, ſollicite enumerantur.

Pag. 55-59. 59. 60. 61. 62. 62-66. 67-71. 72-77. 78-81. 81-88.

NOVA LITTERARIA.

ELISABETA AUGUSTA, Scientiarum atque Artium Promotrix, Optima, Maxima, in legibus Academiæ Imperialis Petropolitanæ, a Se inſtauratæ, clementiſſime prudentisſimeque iuſſit, *ut Praeſes publicari quotannis curet problema erudito orbi ſolvendum, praemio centum aureorum propoſito illi, qui feliciorem prae caeteris ſolutionem illius argumenti exhibuerit.* Huic munificentiæ, Scientiarum incremento inſigniter profuturæ, ea, qua ſolet, ſolertia reſponſurus *Excellentisſimus Academiae Praeſes, Praepotens minoris Rusſiae Hetmannus,* AUGUSTAE *Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Ismailovicae Protribunus, Ordinum Equeſtrium S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri & S. Annae Eques,* CYRILLUS COMES A RASUMOWSKI, poſt adiudicata ſuperiori anno duo præmia, duas iterum quæſtiones curavit proponi, has nempe:

In annum cIↄ Iↄcc LVI.

Quaenam ſit cauſſa proxima mutans corpus foetus, non matris gravidae, huius mente a cauſſa quacunque violentiori commota, & quidem, cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quam in ſuo corpore mater manum adplicuit? Ubi illorum quoque cogitata ad certamen de praemio admittentur, qui contrariae ſententiae addicti argumenta veroſimilia in medium proferent.

In

In annum cIↄ Iↄcc LVII.

Motus diurnos planetarum circum axes proprios, inprimis Veneris vertiginem, cuius commodissime determinandae copiam annus 1756. facit, accuratius observare, & inconcussis observationibus, iisque novis, una cum positione aequatorum, demonstrare atque definire.

Nunc autem, eiusdem Excellentissimi Præsidis auctoritate, Academia declarat, quod ex plurimis de priori quæstione ad se missis dissertationibus, unam selegit præmio statuto centum aureorum condecorandam. Quæ cum in fronte gerat lemma: *Oscitante uno, oscitat & alter*; auctoris nomen & conditio, post resignatam publice schedulam, sub eodem lemmate dissertationi additam, ita patent: *Carolus Christianus Krause*, Phil. & Med. D. in Acad. Lipsiensi. Quoniam autem in hac dissertatione, affirmativa quæstionis pars, originem mutationum in foetu ab imaginatione materna repetens, stabilitur: non ingratam eruditis operam se præstituram Academia arbitratur, dum unam quoque ex iis, quæ negativam defendunt, sibi quidem optimam visam, simul typis curabit exscribi. Hæc lemma adscriptum habet: *Nunquam natura aliud docuit, aliud experientia*, eiusque, ut ex addita schedula cognoscitur, auctor est D. *Io. Georg. Roederer*, Med. & Anat. Prof. in Acad. Georgia Augusta.

In annum cIↄ Iↄcc LVIII. proponitur quæstio:

1. *Qua praerogativa constent magnetes artificiales prae naturalibus?* 2. *Quae sit optima eos conficiendi methodus?* 3. *Utrum phaenomena nova per magnetes artificiales detecta theoriae magneticae adhuc propositae satisfaciant? si minus, ut quis novam eorum phaenomenorum explicationem suppeditet.*

pro cuius solutione optima, praemium centum aureorum promittitur, sub iisdem conditionibus, quæ adhuc obtinuerunt. Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut æque de hac, ac de proposita in annum cIↄ Iↄcc LVII. quæstione, cogitata sua atque observata ante diem 1. Iunii cuiusque anni cum Academia communicare velint. Publicatum *Petropoli*, in conventu Academiæ sollemni, die VI. Septembris, cIↄ Iↄcc LVI.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLVI.

Pars II.

METHODUS IURISPRUDENTIAE EX PROpriis & peregrinis iuribus Germaniæ receptae, aliquibus monimentis anecdotis illustrata, cum indicibus satis commodis. Opus HENRICI CHRISTIANI BARONIS de SENCKENBERG, Consil. Imper. Aulici.

Francof. ad Moenum, ap. Varrentrappium, 1756. plag. 32. in 4.

Hodego opus esse iuris studioso nemo negaverit. Nec desunt, qui viam monstrare conati sunt scriptis de Methodo libellis: sed coeci coecos ducunt, aut per ambages salebrosas ac devia ad scopum tendunt, aut quod sufficeret non præstant. Plenius rem tractat Ill. Auctor. Præfatione & capitibus quatuor opus absolvitur. Illa instituti rationem reddit, atque adolescentes futuros ICtos, quibus imbui a puero iuvet, exponit. Haustis scilicet legendi literasque pingendi arte, patriæ, Latinæ, Græcæ, linguarum, Theologiæ etiam rudimentis, anno ætatis octavo Historiam catholicam; nono Historiam præcipue Romanam; decimo eadem quidem, sed non grammatice tantum, potius philosophice, inprimis autem ethice ac politice repetita prælectione; undecimo ex Scriptoribus Romanis potioribus, ea quæ ad Rhetoricen, eius genus iudiciale potissimum, spectant, similia;

 duode-

duodecimo, Poetica resque gestas Germanorum; decimo tertio Historiam Ecclesiasticam & literariam eos doceri fas esset.

Capite primo generaliter de Methodo Iurisprudentiæ Germanicæ discendæ præcipit. Anno ætatis decimo quarto ad Præcognita & Adminicula Iurisprudentiæ accedat adolescens. Est autem ius, quo utimur, Germanicum, adsutis licet peregrinis haud paucis laciniis. Hæc enim Germanica fuerunt donata civitate, & frustra sunt, qui Quirites nos effectos ridiculo errore contendunt. Potest nihilominus Ius nostrum distingui in triplex: a) Iustinianeum nempe, cui accedit Longobardicum, b) Canonicum, & c) Germanis patrium. Singula ex suis haurienda fontibus, secus ac faciunt suadentque Usuum Modernorum consarcinatores. Futuro ICto opus est 1). *Praecognitis & Adminiculis Iuris*, de quibus Auctor Capite II. 2). *ratione iuris discendi*, de quo Cap. III. 3). *modo reliqua agendi & iurisprudentiam adplicandi*, de quo Cap. IV.

Ad Præcognita & Adminicula referuntur: 1). Historia literaria Præcognitorum Iurisprudentiæ, comparanda lectione librorum eam exponentium, etiam catalogorum, Ephemeridum eruditarum, bibliothecarum & bibliopoliorum frequentatione, colloquiis cum eruditis, cet. 2) Studia, quæ humaniora vocantur, quo spectant artes Heraldica, Theatrica, pictoria, Grammatica, Rhetorica, oratoria, Poesis, Critica, linguæ Italica, Gallica, Anglica, Germanica vetus & hodierna, Græca, Latina casta & barbara. 3) Philosophia, & instrumentalis quidem cum theoretica vel saltim vulgari via persequenda; practica diligentius tractanda, præsertim Politica: Ius Nat. ex Pufend. Off. aut Schmausio discendum forte. Iuris Publ. Univ. nomen inficetum adpellat Ill. Auctor; rem negat, eique Politicen Architectonicam substituit. 4.) Historia civilis & ecclesiastica, & civilis quidem Græca, Romana, & Germanica: hæc amplissimo studio indaganda. In Historia Eclef. singularum Ecclesiarum Germanicarum origines, & fata, diligenter eruenda. Nec insuper habendæ Antiquitates, sive civiles, sive sacrorum.

Tertio

Tertio capite, initio, de iuris ſtudio generaliter, ac deinde ſectionibus VI de iure Iuſtinianeo, Canonico, Germanico privato, Feudali, Germanico publico, & de inſtitutione ad praxin, ordine præcipitur eo, quo hæc fere in Academiis diſci ſolent. Non quod probetur Auctori; multa enim contra monet: ſed quod hæc uno impetu corrigi nequeunt. Initium ſtudii iuris faciendum ab *Hiſtoria Iuris*, quæ tripartita: Iuris ipſius ſive Legum, dein Iurisprudentiæ, ac tandem exercitii Iurisprudentiæ, ſive ordinis negotiorum civilium gerendorum. Ius ipſum univerſum diſcendum ſyſtemate uno, aut, ſi occaſio deſit, via trita. Inſtitutionibus Iuſtinianeis ſurrogandum cenſet Auctor Ill. *Corpus Legum*, cui minimum Iuſtini II. Aug. & Longobardorum temporibus in Italia legis fuerit auctoritas. Editum illud ab Auctore Francof. & Lipſ. 1734. in 4. Quoad lectiones in Pandectas placet Methodus Paratitlaris, ſed magis placet tamen Methodus naturalis, qua iam multi ſatis DD. ambitum Iuris Iuſtinianei tradere allaborarunt. Ius Canonicum pariter ſimili methodo naturali potius, quam ex ordine Decretalium, addiſcendum. Negliguntur male iura Eccleſiæ Germanicæ peculiaria, eaque tum Publica tum Privata, Catholicorum & Evangelicorum. Ius Germanicum privatum diu ſepultum, nunc reviviſcere, artusque denuo movere incipit. Fontes eius hic indicantur perſpicue. Dividendum illud in Univerſale & Particulare. Nec differt ab hoc Ius principum Germaniæ privatum, quod primus fabricavit Gribnerus. Deſideratur Corpus Iuris Germanici Privati, quod ſi concinnaretur, divitiæ noſtræ adeo forent conſpicuæ, ut alienis diutius vivere nemo facile cuperet. Ipſa interpretamenta prudentum noſtrorum, & rerum iudicatarum auctoritas, quam miſeris etiam rationibus fulciantur, utplurimum tamen ſunt ſoboles legitima Iuris Germanici, quæ paſſim oberrando matrem deliteſcentem quæſitat anxia. Iura Feudorum ex Longobardicis & Germanicis ſunt conflata. Longobardicis hodie fere illuſtrationis ſaltèm loco utimur, nec diſparitas ulla inter *Capitula Ordinaria & Extraordinaria* ſtatuenda. In ſtudio Iuris

Germ. Publ. iuventus mature ad fontes ducenda, nec insuper habendum Ius Publicum particulare *Territoriorum.*

Praxis Iuris, docendo, scribendo, causis agendis, consulendo & respondendo, iudicando, negotiis in *Cancellaria* aut legationibus agendis, fere absolvitur. De singulis quædam monet Auctor.

Capite quarto melioris cultus caussa commendantur Collegia disputatoria, examinatoria, peregrinationes Academicæ, conversatio cum viris eruditis, commercium epistolicum, peregrinationes, collectiones Actorum, Diplomatum, cet. Si bene præparatus ad Iuris studium accesseris, Auctor suadet, ut primum quidem annum Præcognitis & Adminiculis, secundum Iustinianeo & Canonico Iuribus, tertium Iuri Germanico, Privato, Feudali, quartum præparationi ad praxin, & quintum demum perpoliendæ arti legitimæ impendas.

In notis continuis, auctores cuiusvis disciplinæ ac quæstionis præstantissimi larga feruntur manu, passimque observationes rariores occurrunt. Placet & nervosum, strictum, ac masculum dicendi genus.

Nitido huic opusculo subiiciuntur Excursus sex, silentio nequaquam premendi. Primus inscribitur: *Notitia Iuris literaria, brevissima & selecta, ut & de officio Auctoris.* Disseritur initio de necessitate cognitionis librorum, modisque eius acquirendæ. Libri vero distinguuntur in 1) Generales, 2) speciales & singulares, 3) subsidiarios, 4) Voluptuarios, & Collectiones MSS. Ad subsidiarios referuntur a) fontes Iuris, b) Acta publica, c) Diplomata, d) Lexica, e) Consilia, Responsa, Decisiones, f) Observationes, Epistolæ, Ephemerides eruditorum, g) Disputationes & Deductiones, h) Opera, eorumque Collectiones. Copiæ hic educuntur Auctorum, addita plerumque crisi aut nota, monstrato item potiori usu. Sectio posterior de officiis auctoris exponit. Monita præcipua huc redeunt, ut auctor famæ consulat decenter, libertate sentiendi utatur, nec temere nec timide, lectoris simul & bibliopolæ habeat rationem. Optat Ill. Auctor, ut

cen-

censores publici librorum constituantur docti, ac sapientes. Theologos vero hinc abesse iubet.

Appendix II. est *de Methodicis Iuris Scriptoribus.* Ius in artem redigi posse, Auctor nullus dubitat. De methodo si quaeras, naturalem identidem laudat. Praestitum id olim in *Corpore Legum*, de quo & supra. Referuntur huc Guil. Durandi Speculum, Rogerii Magistri Wacarii Libri IX., Sebastiani Derreri Iurisprudentia, Io. Bodini Iuris universi distributio in Tabulas, Tengleri, Brantii, Gobleri conatus. Secuti hos multi, qui aut Ius Iustinianeum solum, aut simul Ius Germanicum, aut aliud Positivum Privatum, aut Canonicum, aut Feudale, aut Publicum Germaniae, aut denique omnia haec Iura Positiva simul, tractarunt, & in unum, quod vocant, systema coegerunt. Recenset hic Auctor omnes, quos in scriniis habet suis. Cum tamen nemo adhuc arcem expugnasse ipsi videatur, subiungit distributionem Systematis Iuris Universi, quod in quatuor Dissertationes Praeliminares, & Libros V. partitus est. Horum primus de Personarum, secundus de Rerum, tertius de Obligationum, quartus de Successionum iure, ac quintus tandem de ordine administrandi exequendique res Iuridicas, inscribitur. Singuli libri in Partes, & hae in capita scinduntur. Hoc ordine, uno & opere, exponi ac comprehendi optat, quicquid in publicis & privatis, aut etiam sacris, apud Germanos vim legis obtinet. Ad calcem Pufendorfii institutum perstringitur, utpote qui operis sui libris VI. prioribus systema Iuris Civilis Romani, posterioribus vero Politicam Architectonicam potius, quam Ius Naturae & Gentium, tradiderit. Locus lectu dignissimus.

Tertia digressio est *de receptione Iuris Romani in Italia & Germania*, eique accedunt *Chartae anecdotae octo.* Haec tractatio, an plura huedum vix non ignorata exhibeat, an potius perperam admissa proscribat, difficile est dictu. Hinc maxime commendanda est iis, quibus Iura medii aevi curae cordique sunt. Absolvitur introductione, ac Sectionibus tribus.

Accepimus ab Italis Ius Iustinianeum, summo quidem nostro malo. Hinc enim Doctorum factio rempublicam inva-

 sit,

ſit, omnem fere iuris condendi ac dicendi poteſtatem rapiens ad ſe: mos maiorum proſcriptus, eiusque adſertores diris fere devoti: ſcilicet crumenæ illi conſultum ibant ſuæ. Medicinam parabat Maximilianus I. Aug. ſed ſero. Deſtitutum ſe videbat viris, qui id agerent: creverat litium multitudo: confuſa iam erant iura patria cum peregrinis, neutra intellecta ſatis: utriſque vis facta: mirabatur orbis Germanicus, ſe Romanum factum eſſe. Inde multi cordati Ius iſtud patria noſtra exturbatum iverunt; auſu tamen imprudenti, immo temerario: admiſſus & receptus eſt hoſpes in civitatem, & probatus palam. Quis eum nunc ſine fraude depellat loco? Ferendus itaque, ſed ſic obſervandus, ut ne ultra fas & rationem dominetur. Hæc Introductio perorat.

Sectione prima oſtenditur: *Ius Romanum Iuſtinianeum, ſemper a Iuſtiniano inde uſque ad Lotharium II. vel III. Imperatorem Italis eſſe excultum.* Probatur id per partes, & argumentis haud poenitendis. Iuſtinianus, ſubacta Italia, ius ſuum in eam apud Romanos & Gothos introduxit: Longobardi ſuccedentes veteribus illud reliquerunt colonis. Errant, qui ſub *Lege Romana* Theodoſii Codicem intellectum volunt. Contrarium probant Codices & Chartæ iſtius ævi, utpote in quibus codicis Theod. nulla, Inſtitutionum contra, Digeſtorum, Novellarum Iuſtiniani, non rara mentio. Fuit autem Longobardis *Lex Romana breviata & contracta*, eaque, ut videtur, nec ab exemplari Inſtitutionum ad Mare Balticum invento, nec a *Corpore Legum* iam laudato, diverſa. Carolus M. nihil in iure privato Italorum mutavit, immo potius illud æque ac poſteri eius ſtudioſe ſervavit. Ottones ſimiliter iura liquerunt intacta, immo forte Academiam Iuris Iuſtinianei Ravennæ habuerunt. Henricus S. iisdem uſus fuit rationibus. Conradus III. Romanis uſum iuris iſtius iniunxit plane Seculo XIII. Dein Longobardicarum legum uſus rarior factus, crebrior tanto Romanarum, cum & præcipue Pontifices his velificarent.

Sectione II. probatur: *nec Lotharii, nec ſequiorum Imperatorum tempora, Italiae aliud quid tuliſſe, niſi id, ut ex moribus antiquis*

antiquis, fine nova lege, Ius Romanum Clericis & fisci iuribus adplicaretur, in ceteris autem esset fere fubfidii loco. Ius Rom. itaque tunc faltim confuetudinis vim habebat. Nec Lotharius iftud diferte confirmavit, qui tamen Bononienfium Academiam privilegiis ornavit. Mox vero, privata Doctorum follertia, docendi ratio mutata, locoque *Corporis Legum*, ipfæ Iuftiniani leges prælegi coeptæ. Nec fabulæ de Pandectarum Amalphitana inventione quicquam veri ineft. Conradus III. Aug. una cum Pontificibus fui temporis, Academiæ & ICtorum Bononienfium celebritatem mirifice adauxit. De Friderici I. in promovendo huius iuris cultu & ufu conftat fatis. Aft non poterat ille, etfi voluiffet, falvis pactis, iura mutare Italis ufu probata. Immo invalefcente magis magisque Iuris Rom. auctoritate, Itali ægrius id ferentes, patriisque iuribus metuentes, hæc fcripta facere, ftatutaque, quæ dicuntur, coeperunt condere. Manfit tamen Iuris Rom. ufus, fed fubfidiarius. Cum & Henricus VI. Otto IV. & Frider. II. tutelam illi præftarent fuam, evenit, ut brevi per totam doceretur Italiam. Eadem ætate & Gloffa publice fuit probata, populo faltim Bononienfium; & Iura Feudorum collecta, nec tamen, ut opinantur quidam, a Friderico II. confirmata.

Tertia Sectione demonftratur, luculentius quam adhuc factum, *Receptionem Iuris Iuftinianei in Germania, poft interregnum inprimis, fenfim fenfimque per partes contigiffe, nulla unquam publica lege, fed quafi in fubfidium. Volunt plurimi,* ait Auctor, *hoc Ius a Friderici II. aevo inde receptum, & varia legum & Diplomatum loca allegant- ... Generalem vero regulam conftituo, quae haec eft: fi nos, ut id omnis rerum geftarum feries docet, libera voluntate, Italorum ductu, Iuftinianea fenfim fenfimque receperimus, nos non peiore, atque illi funt, loco effe poffe. Hi vero ita receperunt, ut patria inftituta fibi falva vellent, iftaque praeferrentur: ergo & nos .... Romanum ergo Ius, fubfidiarium tantum, idque in cafibus habilibus, ubi mores patrii non fuperfunt.*

Ante, & per Carolidarum tempora, nihil nobis rei cum

Roma-

Romanis, ne cum Codice Th. quidem fuit. Loca ideo conscribillata ad Galliam saltim spectant. Seculis XIII. & XIV. flosculi & locutiones Iuris Romani quidem saepe occurrunt, sed verbis istis Romanis, res & iura Germanica induta fuere a Notariis & Legistis in Italia enutritis, indeque advenis. Sic v. c. *auxilium Iuris Canonici & civilis* non aliud tum significant, quam *Forum Ecclesiasticum & Civile*. *Ius Civile* & nonnunquam denotat *Iudicium oppidanum (Stadtgericht)*, prout *Plebescitum notat Iudicium Provinciale (Landgericht)*. Ita & Nobilitas Superior & Inferior Quiritium nomine venit. Usus potius continuus fuit Iuris Caesarei, scilicet nostri, & utriusque Speculi, Alemannici & Saxonici, quae utique Ius nostrum commune continent, additis saltim differentiis quibusdam Saxonicis & Suevicis. Hinc & Constitutiones Rudolphi I. Alberti, & Ludovici IV. hisce speculis insertae aut subiectae, iussu quidem Imperatorum, notanter Friderici II. Videntur autem ista Specula longe antiquiora esse ac vulgo creditur, immo & publice probata, licet postea interpolata passim. Carolus IV. is est, cui Ius Romanum plurimum debet. Tunc enim Iustinianus, antecessor in imperio nominatus, tunc demum eius Ius Caesareum vulgo dici coepit, tunc Academiae conditae, in iisque Doctores Iustinianei constituti. Et Clerici de opprimendo iure patrio haud parum cogitarunt, nec tamen in eo multum profecere. Mansit iuri patrio suus honos, mansit & usus eius in foro, pernegatus licet in cathedra. Nec Maximilianus I. Ius Romanum lege introduxit: nec Fridericus III. ei iuri nimium est patrocinatus. Manserunt ergo Iura nostra hactenus salva, adscitis in subsidium saltim Romanis, quod & chartis additis illustratur, quippe quae usum iuris patrii eius aevi, quo scriptae quaeque sunt, abunde evincunt. Sunt autem sequentes:

I. *Programma Uberti de Lampaniano, qui primus Iuris publici capita aliqua in Germania praelegit, de Lectionibus suis, & quibusdam capitibus Iuris Publici. Pragae 1380.*

II. *Ex Authentico: Urthel des Kayserl. Hofgerichts, in Sachen Heinrichs und Iohann Meinhards, Grafen zu Gortz, und Iohann*

Iohann Burggrafen zu Maidburg oder Magdeburg, die Herrschaft Kirchberg betreffend, de anno 1315.

III. *Ex orig. perg. Sigismundus Processum criminum, Weisenburgi in Noricis, ex Iure Germanico tum consueto in meliorem formam restituit, A. 1431.*

IV. *Ab Auth. Sigismundus Senatui Kaufburano, adversus facinoris suspectos, sine omni ulteriori inquisitione, iuramento Senatorum praevio, ad poenam mortis, aut corporis adflictivam, procedere statim permittit A. 1418.*

V. *Ab orig. Albertus II. Ratisbonensium in gratiam, proscriptionem, cui a iudicio Provinciali Norico innodati erant, dissolvit, 1439.*

VI. *Ex orig. perg. Fridericus Imperator in Iudicio suo camerali de lite quadam per interlocutoriam decernit, 1457.*

VII. *Ab origin. chartaceo. Praefectus Weisenburgensis per Maximilianum I. in causis Capitalibus iis adstringitur, quae Norimbergae consuetudinis morisve sunt, 1512.*

VIII. *Venditio pagi Tengenhofen per Senatum Ulmensem 1512. facta, ubi solennis traditio, & reliqua omnia Germanica, non nisi renuntiatione unius Exceptionis Romanae admixta, & vi simul reservata propria.*

Quarta additio inscribitur: *Maiestas Imperii, & libertas Nationis Germanicae in sacris, subiuncto Codice Probationum, omnis aevi memoriam conservante, cum figuris aeneis, addita introductione, & Bibliotheca scriptorum Maiestatis ac Libertatis, annexis Indicibus plenissimis.*

Sequitur conspectus totius operis, quod elaborandum sibi proposuit Illustr. Auctor, & libris VI. absolvendum: quorum primus *introductionem generalem*, secundus *iura totius Ecclesiae Germanicae*, tertius *iura Imperatoris circa sacra Privativa*, quartus *iura Territoriorum Germaniae*, quintus *iura Pontificis reservata, eiusque obligationes*, & sextus *ius & Interesse Dissidentium a fide Catholica, circa conservationem iurium Ecclesiae Germanicae*, exhibebit. Hunc conspectum excipit præfationis pars prior, ubi Auctor scopum lucidius exponit suum. Scilicet conqueritur, iura Ecclesiæ Germanicæ a nemine adhuc pro dignitate, aut iusto systema-

te fuiſſe expoſita. Præſtitiſſe tamen Proteſtantes plus quam Catholicos. Se vero hunc ſupplendum ſibi ſumſiſſe defectum. Peccatum fuiſſe hactenus utrinque, Catholicis Pontifici, Proteſtantibus Principibus ſuis, in ſacris tribuentibus nimis. Oportere eſſe caput Eccleſiæ, & eſſe vero legitimum ſucceſſorem Petri ac Vicarium Chriſti Pontificem Romanum. Hunc ſemper æquum ſe Chriſtianis populis ac principibus præſtitiſſe, niſi quid per temporum iniuriam factum. Nec vero eſſe illicitum, iura imperii ac Sacerdotii trutinare. In latiſſima hac provincia, & Populi, & Maieſtatis, & Pontificis iura in concordiam eſſe redigenda. Pontificem patris univerſalis, Reges filiorum: illum ſolis, Imperatorem lunæ loco non inepte haberi. Præſidia huius Iurisprudentiæ varia colligenda & adhibenda. Nec negligenda eſſe adminicula, ex rebus geſtis vicinorum regnorum, præſertim Franco-Gallicis, petenda. Eſſe enim Chriſtianis ſyſtema quoddam rerum publicarum, quod Monarchiam ſyſtematicam dicas. Laudandos Imperatores libertatis ſtudioſos, venerandos Pontifices, iis optimo ſenſu, etiamſi forte non rite obniſos. Non alium regnis, niſi privilegii, in ſacris eſſe titulum. Ceterum operi ſubiicietur Codex Probationum, iuxta ſeriem capitum ac rerum concinnatus, & index, qui Lexici ac Gloſſarii vicem ſuſtinebit. Librorum delectus præfaminis partem alteram conſtituet. Non eſt diſſimulandum, AuctoremPontificiorum cauſam hic agere tanto ſtudio, ut nequeat quiscunque demum maiore.

Appendice V. Auctor diſſerit de Corpore Iuris Germanici a ſe edendo, cuius rei conſilium tamen mutatum ex parte fuit. Exponit autem hic amplius 1) de Iure Cæſareo Germanico, eiusque Codices, originem, auctoritatem, et uſum, luci reſtituit. Mirandum ſane, hæc tanta fuiſſe vix non ignorata, ſemperque fide bona creditum, non aliud quam Iuſtinianeum nobis eſſe Ius Cæſareum: 2) de Speculo Alemannico quædam ſingularia adfert: 3) de Speculo Saxonico, Weichbildo, Cautela, Premitz & Gloſſa, quæ itidem editurus erat, niſi Grupenii labor a conſilio dimoviſſet: 4) de ordine iudiciorum Germanicorum, deſcripto libellis binis *Richtstig* dictis,

dictis, quorum alter ad civiles, alter ad feudales spectat caussas: 5) de Iure Bavarico, tum provinciali, tum oppidano: 6) de Codice Regularum Iuris Germanici, qui est seculi XIV. item de codice verborum iuris Germanici significationem sistente, & Luneburgi seculo XV. confecto. Tandem promittit editionem Iuris illius Cæsarei Germanici, nec non Ordinationum Iudiciorum medii ævi: quod opus omnes eruditi Germaniæ cives sine dubio cum plausu excipient.

Excursus VI. exhibet Supplementa ad Historiam Iuris Publici (Germ.), eiusque Iurisprudentiæ. Accedunt Chartæ anecdotæ tres. Brevem hic Auctor sistit historiam iuris nostri publici, ita quidem, ut non nisi singularia, eaque per lancem quasi saturam, depromat, viam tamen simul monstret, aliis amplius in eo negotio versaturis ineundam. Indigitat facta publica, leges, ordinem rerum publice gerendarum, rerum gestarum monimenta, claros auctores, modum iuris discendi docendique, familias ICtorum recentiorum, & id genus alia. Periodos constituit sex, quarum prima est a Carolo M. ad Henricum III: secunda ab Henrico IV. ad Henricum VII: tertia ab hoc usque ad obitum Friderici III: quarta a Maxim. I. ad Maxim. II: quinta a Rudolpho II, ad initia Ferdinandi III: & sexta a pace Westphal. ad nostra usque tempora. Literæ anecdotæ subiectæ inscribuntur:

I. *Ex Auth. Ludovicus IV. Rex Romanorum, Friderici Severi sociae, Filiae suae Mechtildi, dotem X. Mill. Marc. argenti, ex bonis Imperii, pro observantia dicat, 1323.*

II. *Ex Auth. Mandatum ad Muhlhusinos & Northusinos, quibus ius dotandi filias ex bonis Imperii pluribus explicat, & ut pignori se submittant iubet, 1329.*

III. *Ex Auth. Ludovicus IV, Friderico Severo X. Millia Marcarum, dotis nomine, in Muhlhusa & Northusa assignata, & pignore ulterius stabilita, denuo auctoritate Imperatoria confirmat, 1329.*

Ad calcem leguntur hæc verba: *NB. Diese Briefe sind in neueren Zeiten durch den Probst des Augustiner Klosters in Leihzig vidimiret worden, und liegen noch so zu Weimar.*

A SET OF ANATOMICAL TABLES &c.

i. e.

FASCICULUS TABULARUM ANATOMICArum cum explicationibus, & epitome praxeos artis obstetriciae, una cum conspectibus ad illustrandum tractatum huius materiae & collectionem casuum spectantibus, editis per WILLHELMUM SMELLIE M. D.

Londini, 1754. plag. 61. icones 31. in fol. reg.

Quo maioris momenti est natalibus hominum prospicere, eo plus laudis merentur, qui artem obstetriciam ad summum, qui concipi potest, perspicuitatis gradum evehunt. Inter hos facile princeps est *Clar. Auctor*, qui, cum ætatem in isthoc negotio, quod partum procurat, transegisset, doctrinæ illius, quam tanto cum studio excoluit, expositionem uberiorem dare in animum induxit. Namque, cum iam artis obstetriciæ theoriam & praxin duobus voluminibus anno 1752. edidisset, tertium propediem editurus, ea quæ ante magna cum cura descripsit, nunc iconibus illustrat. Triginta novem imaginibus, iustam, quæ a natura est, magnitudinem sistentibus, artem universam illustravit. Facilius enim est, eiusmodi res oculis usurpare, quam legendo percipere. Laudantur artifices, qui auctorem adiuverunt; namque, quotquot tabularum vel a claro *Rymsdykio*, vel *Campero* Professore Medicinæ in Academia, quæ Franequeræ Frieslandiæ est, delineatæ fuerunt, has æri insculpsit Crignionus.

Tab. I. sistit pelvis femineæ compagem totam, una cum V. vertebris lumbaribus.

Tab. II. Pelvis eadem ad perpendiculum dissecta, divisis una vertebris, osse sacro, & osse coccygis, ostenditur:

Tab. III. Pelvis habetur, cuius ossa distorta sunt, additurque in expositione, quam plena periculi res sit, viam partus hoc modo impediri.

Tab. IV. Pinguntur muliebria feminæ, cuius uterus est vacuus, ea facie ut perinæum sistatur.

Tab.

Tab. V. Ad horizontem divisa pelvis est, quæ uterum vacuum in situ naturali, cum fimbriis & ovariis, sistit.

Tab. VI. Segmentum utero, qui altero mense gravidus est, ablatum fuit; qua icone habetur & embryo eiusdem ætatis, simul & substantiæ aut parietis uteri augmentum, pro ratione incrementi foetus, sistitur.

Tab. VII. Exhibetur uterus gravidus, uti sexto vel septimo mense in cadavere visus est, qua ratione ille ultra pelvis marginem multum eminet, & intestina in utrumque latus dimovit.

Tab. VIII. Ille ipse uterus apertus, cum foetu, placenta, & funiculo ostenditur, & una ostii uterini mensura atque eminentia, qualis illa ætate esse potest, depingitur.

Tab. IX. Habet dissectum uterum, cui foetus inest octavum vel nonum mensem agens. Observamus hic, quod Auctor ubique, cum foetuum naturalem situm sistit, caput declive & ostio uterino propius exhibuit. Hac icone, ostii uterini apex iam maiorem partem deletus est.

Tab. X. Gemelli apparent, quorum cuique sua placenta est, altero caput, altero pedes prope ostium uteri habente: una ostenditur ostium, quale prope a partu solet, planum, subapertum, aquis in folliculum collectis, rupturæ proximis, esse.

Tab. XI. Uterus ita sistitur, ut chorion una cum placenta in toto suo appareat ambitu, nondum ruptum & aquis distentum, transparente simul amnio.

Tab. XII. Uteri iam ad partum laborantis diversus diameter exhibetur; namque ille eandem amplitudinem non servat, sed pro eo ac caput infantis plus descendit, ita quoque ille, aquis ad uteri ostium ruentibus, versus axin suæ capacitatis plus nititur, suamque rotunditatem plus amittit.

Tab. XIII. & XIV. Eadem mutatio, qualis proxima ad partum est, ruptis iam aquis, delineatur.

Tab. XV. Ostendit puerperam ea facie, qua perinæum conspici potest, apparetque caput foetus suo vertice prominens.

Tab. XVI. Exhibet partum difficilem, qui forcipe ad utramque aurem infantilis capitis applicato iuvatur.

Tab. XVII. Eundem laborem ſiſtit ductibus linearibus.

Tab. XVIII. Forcipis Smelliani effectum depingit in caput infantis, quando illud faciem verſus os coccygis directam habet.

Tab. XIX. Ille ipſe labor linearibus ductibus depingitur.

Tab. XX. Exhibet partum difficilem, cum occiput infantis intra Sacri curvaturam, frons autem prope os pubis, ſiſtitur.

Tab. XXI. Laborem ſiſtit forcipis, quando caput foetus in oblongam compreſſum eſt formam, oportetque caput verſus oſſis ſacri curvaturam reprimi.

Tab. XXII. Depingit foetus caput ita collocatum, ut occultetur fonticulus, toto foetu in latus procumbente, ut, niſi pedes arripi poſſint, forcipe opus ſit.

Tab. XXIII. Oſtendit foetum, cuius corpori uterus, effuſis antea aquis omnibus, proxime accumbit, funis autem umbilicalis foetui circa iugulum contortus eſt.

Tab. XXIV. Oſtenditur foetus, capite prægrandi, qui tota facie ſua oſtium intercludit, forcipe iuvandus.

Tab. XXV. Depingitur partus laborioſus, quo mentum foetus oſſi ſacro, vertex oſſi pubis, innititur, aquæ autem elapſæ vias ſiccas effecerunt.

Tab. XXVI. Ille ipſe ſitus, cum forcipis uſu.

Tab. XXVII. & *XXVIII.* Diſtortæ pelvis, uti partus difficilis cauſſæ, exempla proponuntur.

Tab. XXIX. Foetus clunibus ad oſtium eſt, funiculus autem circa iugulum, brachia & dorſum cum nodo verſus eſt.

Tab. XXX. Habetur foetus clunibus imminens, aſt ſupinus.

Tab. XXXI. Foetus pedem & manum exſerit de oſtio, ipſe transverſim iacens.

Tab. XXXII. Foetus dorſum oſtio obiicit, ſiniſtro brachio exſerto.

Tab.

Tab. XXXIII. Abdomen foetus prae oſtio iacet, propendente funiculo.

Tab. XXXIV. Pectus, cervix, & ſcapula ſiniſtri lateris, ante oſtium ſunt.

Tab. XXXV. Poſtquam foetus toto corpore natus eſt, qua ratione caput parum obſequioſum forcipe longiuſculo curvo iuvandum ſit, explicat.

Tab. XXXVI. Oſtendit modos, quibus caput avulſum, in utero remanens, educendum ſit unco defixo intra fonticulum. Notari hic oportet, uterum eouſque in ſe contractum tunc eſſe, ut ille inter ſe & caput nihil ſinat intereſſe ſpatii.

Tab. XXXVII. Depingit inſtrumenta in partubus laborioſis utilia, forcipes ſcilicet; accedit uncus, cuius alter finis anguſtior, alter plenior eſt, abortui educendo commodus.

Tab. XXXVIII. Siſtitur inſtrumentum flexile ex balena, quod eſt ſpecillum lineo involucro obductum, ad arripienda capita loco forcipis, accedunt catheteres feminei cum peſſariis.

Tab. XXXIX. Oſtendit uncos, tam ſolitarium, quam coniugatum, ſi quando caput infantis obeſt, quo minus pedes inveniri poſſint, aut illud aperiendum & cerebrum educendum eſt; accedit forfex, cuius uſus ad calvam aperiendam tunc eſt, ubi pelvis obliquata, & via proinde anguſta uncos non admittit.

LA FIGURE DE LA TERRE,

i. e.

FIGURA TERRAE, DETERMINATA OBSERvationibus BOUGUERI & de la CONDAMINE, Academiae Regiae Scientiarum Soc. qui iuſſu Regis in Peruviam, ad obſervandum ibidem circa aequatorem, miſſi ſunt; una cum narratione ſuccincta huius itineris, quae deſcriptionem regionis, in qua factae ſunt operationes, continent. Auctore BOUGUERO.

Pariſiis,

Parisiis, apud Iombertum. Itinerarium continet plag. 14. Tab. unam. Figura Terræ. Alph. 2. plag. 4. Tabb. 8. in 4. reg.

Missos esse a Rege Christianissimo, ad figuram telluris curatius determinandam, eodem tempore, partim polos versus, partim sub æquatorem, lectissimos quosdam Academiæ regiæ socios; egregiosque illius itineris polaris fructus, luci iamdudum expositos, nemo est qui ignoret. Cum itaque horum ex observationibus, summa cum cura institutis, constiterit figura terræ sphæroidica, & exacta quantitatis eiusdem determinatio: procul dubio diu multumque desideratum fuit ab iis, quibus huius inquisitionis veritas curæ cordique est, cognoscere, quid ex alterius quoque partis observationibus resultet; ut, quæ a remotis adeo a se invicem observatoribus eruta sunt, an secum congruant, exinde pateat; &, cum veritas sibi ipsi semper constare debeat, ea mutuo, (quem sperare licebat,) consensu, hoc magis corroboretur. En igitur, hocce desiderium penitus expleturam, præsentem alterius itineris Peruviani, factarumque ibidem observationum, expositionem satis amplam, eamque a doct. *Bouguero*, aliis egregiis prorsus ingenii monumentis iam claro, concinnatam. Etsi vero circa figuram terræ potissimum versetur præsens labor; non ad solos tamen Astronomos aut Geographos pertinet, sed & ob additam ipsius regionis descriptionem, rerum notatu dignissimarum simul & iucundissimarum copia plenam, Physicos omnes, & historiæ naturalis amatores, imo quosvis exterarum regionum gentiumque cognoscendarum cupidos, ad legendum potest allicere; præterea que Physicis non poterunt non sese commendare, quæ in fine, de attractione, in superficie terræ conspicua, per experimenta proponuntur.

Itinerarium, primo sese offerens, continet præter narrationem suscepti itineris, descriptionem partis Peruviæ inter mare & magnos montium anfractus, sub nomine *la Cordeliére* cognitos, comprehensæ; descriptionem amplam istius tractus

tractus montium, & regionis, quam circa Quito includit; denique reditum Auctoris a Quito ad mare Atlanticum, per fluvium Magdalenæ. Observationes exhibentur multifariæ de rebus illic memorabilibus, spectantes tam ad historiam naturalem, ut gradus caloris & frigoris, tempestatem, meteora, naturam soli, strata sub eo varia, montium altitudinem, habitum externum, observanda in iis circa aeris subtilitatem & effectum in corpora humana, barometrum, nubium altitudinem & crassitiem, gradum frigoris, ipsos montes ignivomos, terræ motus, fluvios, inundationes, cataractas, fossilia denique, inprimis lapides & aurum, plantas, insecta, reptilia, aliaque animalia, interspersis ubique doctis annotationibus, ad Physicam generalem pertinentibus; quam ad ipsos incolas, eorum habitum corporis, victum, habitationem, ingenium & mores, tenuem artium apud eos progressum, monumenta veterum Indorum, & id genus alia. Ex his, floriferis ut apes in saltibus, delibabimus quædam, quæ singularitate sua inprimis se commendare videbuntur: etsi difficile fateamur esse, e tanto rerum egregiarum apparatu quædam seligere. In omnibus regionibus calidis zonæ torridæ, Pag. 16.
arbores radicem suam non ultra superficiem soli extendere, notatur, quinimo in pluribus palmis eam ex ipsa terra exire, & imam trunci partem exsurgere successive, prout arbor ætate procedit, adeo ut sæpe 6 aut 7. pedibus in aere sit elevata hæc pars, & radices inde exeuntes forment quasi speciem pyramidis. In Peruvia inveniuntur pleraque insecta Europæa, 19.
sed communiter multo maiora nostris, & sæpe magnitudinis monstrosæ. Regio ista in medio zonæ torridæ, & fere in eo- 21.
dem cum maris superficie horizonte, sita est, ut facile conjici poterit, omnium calidissima. Attamen thermometrum *Reaumurianum* post meridiem nunquam usque 26, vel 28, gradus ascendit; mane vero paulo ante solis ortum ad 19, 20, vel 21. Est itaque caloris continuitas, quæ tantum apparere facit æstum zonæ torridæ; profecto enim thermometrum in Gallia sæpe multo altius ascendit. Vires nimirum, perspiratione violenta, & sudore, exhauriuntur continuo, &, calo-

re noctu parum diminuente, iam a prima luce earum sentitur deiectio, animo non minus quam corpore. Sed, quod mirum videbitur, in terris istis, ultra modum calidis, non minus ingens regnat humiditas, idque ita se habet cum omnibus locis inter utrumque tropicum, ubi sylvæ extant. In ipsis locis altioribus, ubi aqua defluere alioquin solet, limo ad pedem usque dimidium immerguntur viatores. Omnia fere utensilia brevi humore & putredine consumuntur. Sed statim ultra fretum Guayaquil, meridiem versus, diversissimæ indolis incipit regio. Non nisi sabulum est, sylvæ nullæ, &, (quo maxime a præcedenti discrepat), nulla unquam pluvia, etsi coelum sæpe nebulosum. Problema hoc est physicum, notatu sane haud indignum, etsi solutione admodum difficile, utpote a penitiori nubium cognitione pendens. Phaenomenon enim utrumque est prorsus regulare, & constans, nec angustis limitibus circumscriptum. In qua pluit, regio, ultra 300. milliaria protenditur longitudine, sed pluvia adeo forti & continua infesta, ut vix habitari possit, etsi vis auri, in terra reperiunda, avidos homines alliciat. Alter tractus, in quo nunquam pluit, ultra 400. mill. longus est, & 20 vel 30. latus; nulla ibi unquam exaudiunt tonitrua, nullas unquam tempestates metuunt, adeo ut etiam domus Limæ, & alibi, nullis tectis operiantur, sed tegminibus solum iunceis. Ex hoc certe patet, qualitatem atmosphæræ & naturam soli multum in se invicem influere. In sylvis enim regionum calidarum aer semper crassus, etsi coelo extrorsum

Pag. 36. sereno, aereque puro; cuius & ratio physica in propatulo est. Provincia Quito adeo supra maris superficiem eminet, ut eius incolæ tuto prædicari possint mortalium editissimi, & aerem respirantes plusquam tertia parte rariorem: est enim altitudo supra mare 14. aut 1500. hexap. & barometrum ad 20. poll. consistit. Insignis est ille montium tractus, quem

38. supra nominavimus, præ omnibus totius orbis terrarum montibus, ambitu & altitudine. Inter maximos est mons *Pichincha*, quem conscendit Noster, tresque ibi septimanas commoratus est. Violentissimum in eo frigus dominatur. Barometrum constitit ad 16. poll. & adhuc inventæ sunt elasticitates aeris exacte proportionales condensationibus, prout alibi

semper

ſemper obſervatum eſt. Hac occaſione regulam tradit Auctor, ad menſurandas per barometrum altitudines, valde ſimplicem: „ Altitudines mercurii pro duobus locis, in lineis expreſſæ, quærantur in tabulis logarithmicis vulgaribus; capiatur horum differentia, eiusque pars trigeſima ab ipſa auferatur: tum ſumendo cum characteriſtica quatuor primas figuras eam ſequentes, habebitur in hexapedis expreſſa altitudo relativa utriuſque loci. Sit e. g. pro uno locorum altitudo barom. 21. poll. $2\frac{3}{4}$ lin. = $254\frac{3}{4}$ lin. pro altero 15 poll. 11. lin. = 191. lin. horum logarithmorum differentia eſt 1250, unde demta trigeſima parte, reſtat 1209. numerus hexap. quæſitus. Ibidem pendulum, ſingula minuta ſecunda oſcillans, repertum eſt brevius $\frac{36}{100}$ lin. quam ad ripam maris. Singulare prorſus phænomenon opticum quotidie apparet in montium horum cacuminibus, etſi a nemine adhuc ante Noſtros obſervatum: congregati erant forte omnes, cum id primo conſpicerent, in montis quodam vertice. Nubes, cui involuti fuerant, ſe diſſipans, conſpectum admittebat ſolis, tum orientis, clariſſimi; mox nubes ad alteram partem ſecedebat; vix ad 30. paſſus remota, nimis parum adhuc diſtabat, quam ut ſub conſueta nubium forma candida apparere poſſet. En ſubito quivis in eam videt proiectam umbram ſuam, ſed nonniſi ſuam quiſque, nube ſuperficiem haud unitam offerente. Diſtinctiſſime in parva adeo diſtantia diſcerni poterant partes corporis omnes. Sed mirum præſertim viſu, caput ornatum apparebat nimbo, e tribus quatuorve coronis concentricis formato, coloris vividiſſimi, quavis eadem colorum variegatione inſigni, ac iris primaria, rubro interius poſito. Intervalla coronarum æqualia; ultima maxime debilis. In magna denique diſtantia videbatur circulus amplus candidus, omnia cingens. Erat iſtud quaſi apotheoſeos ſpectaculum, hoc inprimis mirabile, quod eo quivis gaudere ſibi videbatur ſolus, reliquorum coronis haud apparentibus; prout id reapſe pariter contingere ſolet in iride vulgari. Iridum harum diametros dimenſus eſt Auctor, quæ ſingulis mutabantur inſtantibus, ſervatis tamen

Pag. 39. 40. 43.

ſemper intervallis æqualibus. Cæterum phaenomenon hoc ſemper apparet ſaltem in nubibus, in iis adeo, quarum particulæ conglaciatæ ſunt; nunquam vero, iridis inſtar, in guttis aqueis. Forſan idem obſervari poſſet apud nos in turribus altiſſimis. Eiusmodi ſane nebulæ interdum conſpiciendæ, aliquot tantum paſſibus remotæ; reſtat ut eodem tempore ſol appareat in horizonte, in plaga oppoſita. Quin &, poſtrema hacce circumſtantia nequidem exacte locum habente, ſubinde ſe diſcernere potuiſſe portionem circuli candi-
Pag. 48. di, aſſerit Noſter. Dum æterna nive operiuntur montium horum iuga, ad generalem inde ideam deductus eſt de termino inferiori conſtanti nivis, per totum terrarum orbem.

Altitudo conſtans nivis hic ſemper obſervata eſt 2434. hexap. ſupra maris ſuperficiem. Non itaque parallela erit illa linea ſuperficiei terræ ipſius. Sub Zonæ torridæ medio tranſibit in diſtantia 2434. hexap.; ſub temperatarum initio circiter tantum 2100. hexap. (tanta enim fere obſervata eſt altitudo Pici Teneriffæ); in Gallia, aut regione Chili, ſaltem 15 aut 1600. hexap.; ſicque continuo accedet terræ, donec ipſam contingat ultra polarem utrumque. Exiſtere debet veroſimiliter alius eiusmodi terminus nivis conſtans ſuperior, ſed celſiſſimi quique terræ montes eo non pertingunt. In tali faſtigio regnaret perennis & perfecta ſerenitas, qualem in Olympo finxerunt, etſi perperam. Videtur diſtantia utriuſque termini in zona torrida eſſe ad minimum 11.
50. aut 1200. hexap. Notabimus hic, omnium, quos obſervavit, imo vidit A. altiſſimum eſſe montem *Chimboraco*, 3217. hexap. ſupra mare elevatum, parte autem nive obducta præ-
51. ditum pluſquam 800. hexap. Hac occaſione de cauſa phyſica frigoris continuo increſcentis, prout a ſuperficie terræ re-
53. ceditur, peringenioſe diſquirit Auctor. Dignum eſt obſervatu, in omnibus locis harum regionum editioribus, maximam ſentiri temperiei variationem, ſtatim, ac modo ex aprico in umbram ſeceditur, ita ut æſtuante ibi ſole, hic fere ſentiatur frigus. Ratio hic affertur, cur ſæpe thermometrum indicet gradum multo minorem, quam qui pro temperie aeris expectari

ctari poſſit. Craſſitiem nivis in his montibus, micrometri Pag. 58.
ope dimenſus eſt Auctor, 54. ped. & alia vice 76. ped. Re- 64.
gio hæc ſalibus adeo abundat, ut omnibus fere diebus, mane,
nitrum, forma florum leviſſimorum, in plateis & viis appa-
reat; id quod procul dubio debetur maxime cinerum, a mon-
tibus ignivomis eructatorum, copiæ, ubique cum terra mix-
tæ. Haud pauci enim horum montium ſunt flammivomi,
vel tales ſe fuiſſe luculentis teſtantur indiciis. Ubique in- 65.
ſignia eiusmodi incendiorum conſpiciuntur rudera; aliqui
ipſorum montium ad ſatis magnam profunditatem conſtant
nonniſi ſcoriis, pumice, fragmentis lapidum uſtorum; ipſa
forma eorum idem prodit, quæ e. g. in monte Cotopaxi eſt
coni truncati perfecti, parte eius inferiore prorſus regulari
facta, repanſa undique materia eiecta. Idem docent ſtrata ter-
ræ, ubi plurimum ſabuli nigri, aliarumque materiarum, ignis
vim paſſarum, reperitur. Eiuſmodi incendia ingentes ſimul 68.
ſolent inundationes producere, liquefactione nivium, unde tor-
rentes naſcuntur ad 60. ped. quin ad 120. interdum aſſur-
gentes, quos 17. aut 18. milliaria tribus horis percurriſſe
compertum eſt, & lapides magnitudinis 10 aut 12 ped. ad
14 vel 15. hexaped. diſtantiam horizontaliter fere provexiſſe.
Horrendos quoque terræ motus ſubinde conſequi, quibus ur- 71.
bes, pagi, immo integra montium cacumina evertuntur, mirum
amplius videri nequit. Notatu autem dignum eſt, terribiles 74.
iſtos caſus plerumque accidiſſe poſtremis anni menſibus. Sed
nulla fere non ſeptimana, (leves quidam ad minimum ſuccuſ-
ſus,) terræ motus percipi ſolent. De eruptionibus eiusmodi 77.
montium ignivomorum obſervatur, eas ſemper fieri repeti-
tis vicibus, quarum intervalla ſunt admodum æqualia. Sed
mittimus complures circumſtantias, de montibus hiſce eorum-
que phaenomenis, Phyſicorum attentione longe digniſſimas.
Addimus adhuc, in ſtratis terræ, hinc inde ad ſat magnam 65.
profunditatem aperte conſpiciendis, ne minimum quidem
maximarum inundationum, uti in reliquis fere omnibus terræ
regionibus, reperiri veſtigium, petrefacta prorſus nulla; ſed
omnia videri hic igni potius ortum debere, quam aquæ.

Pag. 84. In urbe Quito, varia circa magnetem experimenta instituit Auctor. Cum nempe constet, acus magneticas dirigi versus polos terræ magneticos, non aliam ob causam, quam utramque earum extremitatem ab his attractam; de eo autem lis sit, annon alter polorum terræ altero fortius attrahat, locum dictum omnium credidit ad decidendam hanc quæstionem accommodatissimum. Usus est hunc ad scopum acu cuprea longa, fulcro, ut acus magneticæ, imposita, super quo libere esset mobilis; altero autem extremo cuspide instructa, cui imponebatur acus magnetica vulgaris: credidit enim, si maior esset alterius poli attractio, fore, ut acus magnetica paulatim ipsam cupream secum deferat versus polum illum, donec utraque in directum iaceat. Sed nil tale consecutum est, acu cuprea in quovis situ quiescente. Concludit igitur exinde, duos terræ polos magneticos æquali gaudere attrahendi vi.

89. Cum extra regionem, tractumque illum montium, de quibus hactenus diximus, profectus esset Noster, singulare notavit, montes tunc forma præditos a priori longe diversa, aliamque prorsus originem arguente. Sunt enim strata eorum fere semper horizontalia, latera autem fere murorum instar verticalia & abrupta; adeo ut solum undique subsedisse videatur, remanentibus istis montibus, solidiori basi innixis.

95. In hisce terris reperiuntur araneæ, quarum venenum perhibetur longe perniciosissimum; sed horrendum inprimis est antidotum. Aegrum, nudum, in terra extensum, stramine operiunt, idque accendunt. Sunt, qui nec veneno, nec remedio, perirent; alii autem inde quidem, sed mente capti, evaserunt. Incolæ harum regionum satis inter se differunt, ingenio &

99. moribus. Omnes quidem satis desides, summo calore non vigorem ingenii, sed tarditatem inducente; aliqui, cetera boni, sociabiles, fallere, imo falli, prorsus nescii: alii prorsus stupidi, ultra modum pigri, integros dies uno eodemque loco sedendo, absque ullo motu, ulla loquela, transigunt.

Verum enim vero, instituti ratio avocat nos quasi invitos ab amoenissimarum rerum suppellectile, ad *alteram* & palmariam *Operis partem*, in qua totum de dimetienda terræ figura negotium

negotium fuse exponitur; sed & hic emicantibus ubique egregiis multis mathematicis physicisque disquisitionibus. *Prima* Pag. 1.
Sectio a principio repetit totam de figura telluris pervestigationem, supponendo, id agi, ut inter plurimas vias, hunc ad scopum ineundas, ea potissimum arripiatur, quæ, perpensis omnibus, videretur optima. Verum quidem est, non fuisse omnino in Academicorum nostrorum arbitrio, quam sibi eligerent observandi rationem; sed iussos fuisse, determinationi graduum meridiani sese potissimum applicare, cum paulo aliud primo cepissent consilium. Sed qualiacunque ista sint, assumit hic Auctor, liberum prorsus esse, qualis, aut quæ primum instituenda sit operatio; de eo tantum sollicitus, quænam præ reliquis præstantia se commendet. Ante omnia patet, ad definiendam terræ figuram, idque methodo ab omnibus aliis observationibus independente, necesse esse, ut mensurentur gradus aliquot cum æquatoris, tum meridiani, quorum e variatione & relatione mutua colligi possit, an illa sit sphærica, an sphæroidea, & qualis. Sed, si solius aut æquatoris, aut meridiani gradus mensurare, res exigat, adeoque alienas simul observationes assumere: in eo versatur negotium, ut, utrum horum suscipere expediat, decidatur. In dimetiendo gradu meridiani, per observationes astronomicas, non intra 4″ aut 5″, de vera eius quantitate nos certos esse posse, etsi scrupulosa omni attentione adhibita, Auctor asserit. In mensuram contra gradus æquatoris irrepere possunt errores, e correctione horologii non summe exacta, ex ipsa observatione momenti temporis, ex ipsius quoque vel minimo horologii defectu; adeo, ut ex omnibus his resultare possit error 2″ pro toto arcu, hoc est $\frac{1}{240}$ arcus 2 graduum, sex aut septem vicibus maiore errore, in arcu latitudinis 3 graduum, committendo. Nihilominus tamen, inquirendo, quam exacte methodo una vel altera definiri possit ipsa ratio inter utrumque telluris axem, longe alius deprehenditur utriusque effectus; quippe cum dimensio graduum æquatoris, relinquat problema adeo indeterminatum, ut per hanc solam sphærois prodire possit, modo maxime depressa,

modo

modo protracta. Accedunt & aliæ circumstantiæ, tam externæ, quam ex ipsa rei natura petitæ, quæ mensuræ graduum meridiani, præ altera graduum æquatoris, palmam longe præripiunt. Auspicato igitur accidit, ut, quam sequi iussi essent Viri egregii methodum, eandem ipsa natura & ratio suffragio suo maxime confirmaret. Age itaque, sequamur eos in Peruviam, ipsam meridiani dimensionem actu instituentes. Fieri id debuisse per seriem plurium triangulorum secum connexorum, satis liquet. Triangula hæcce, absolute, seu in ipsis suis planis diversimode inclinatis, considerata, *Sectio II.* perhibet. Basis prima electa fuit 6274. hexap. gall., in planitie Yarouqui, inter catenam duorum montium, singulari quodam naturæ beneficio relicta. Facta est hæc dimensio, summa cum cura, ab omnibus huius itineris sociis, in duas partes divisis. Ea, nonnisi multa cum molestia, ad finem perducta, deprehensa est inter utramque partem differentia 3 saltem pollicum; qualis sane rigor, in linea adeo longa, vix maior desiderari poterat. Exstructa dein est, in æternam rei memoriam, in utraque lineæ extremitate, pyramis, cum inscriptione, ab Academia regia elegantiorum litterarum concinnata. Quæcunque hac in operatione adhibitæ sint praxes, & cautelæ perquam variæ, sollicite a Nostro exponuntur, ut, quantum liceat verbis eius fidere, ad oculum pateat. Cum autem omnes lineæ, inter binas extremitates actu mensuratæ, diversissima inter se gauderent positione, elicienda dein fuit peculiari methodo ipsa longitudo rectæ, inter illas extensæ. Assumta iam & determinata basi, pergebatur porro ad construenda & mensuranda triangula, pro ipsius meridiani dimensione. Hic iterum integrum examen, cum quadrantibus tribus, duorum triumve pedum, hunc in finem adhibitis, ad eos verificandos, institutum; cautelas item omnes, in eorum usu observatas, sigillatim describit Auctor. Præterea exhibet methodum, angulos ad ipsum cuiusvis stationis centrum reducendi; quæ quidem attentio in re tanti momenti est summe necessaria, etsi haud adeo facilis. Porro, quid observandum sit in dimetiendis quadrante angulis, qui in planis

planis valde inclinatis ſunt poſiti, edocet. Sequitur diſquiſitio generalis perquam elegans, & in integra Gæodeſia utiliſſima, de eligendis triangulis, ad menſurandam, quantum fieri poteſt exactiſſime, lineam quandam, ut hic meridianam, maxime accommodatis. Spectat hæc ad materiam de quantitate errorum, in quæſitis ex erroribus, qui in datis committi poſſunt, oriundorum; haud adeo excultam adhuc, exceptis, quæ in *Appendice* ad *Harmoniam Menſurarum*, titulo *Aeſtimationis errorum in mixta Matheſi*, de ea propoſuit *Coteſius*, quæque in aliquo recentiorum *Commentariorum Acad. Paris. Tomorum* leguntur. In omnem nimirum dimenſionem anguli irrepere poteſt error, præter diviſionem inſtrumenti non ſumme exactam, tam e verificatione eiusdem, quam ex ipſa obſervatione, vel non exactiſſime collimando ad obiectum, vel numerum graduum & minutorum non perfecte diſcernendo. Hic non pendet ab ipſius anguli quantitate, adeoque aſſumi poteſt pro conſtanti, e. g. unius minuti. Dum itaque in triangulis ex angulis ſupputantur latera, errores horum erunt ut errores ſinuum, quorum anguli reſpondentes aſſumta illa quantitate a veris diſcedunt. Hinc facile patet, errores iſtos variæ eſſe magnitudinis, pro variis angulis, horumque ſinibus, mutata non ſolum ipſorum quantitate abſoluta, ſed & relativa, dum nempe idem error in minori ſinu commiſſus maioris eſt momenti, quam in maiori. Horum omnium theoriam hic generalem tradit Auctor, Geometrarum attentione omnino dignam. Demonſtrat, errores in calculo laterum trianguli committendos, eſſe, ut cotangentes angulorum reſpondentium, ſeu quoque ut differentias logarithmicas ſinuum eorundem. Hinc conditione datorum trianguli eligendorum, ut quæſita minimo cum errore prodeant, eruit. Ita, ſi quæratur longitudo lineæ menſurandæ ope baſis, ab altera illius extremitate incipientis, & poſitione datæ, optima hæc erit, ſi aſſumatur magnitudine æqualis ipſi lineæ quæſitæ: quare, hac primo tantum circiter cognita, vera eius longitudo dein exactiſſime definiri poteſt. Porro eiusmodi conditiones in pluribus triangulis, ſecum

 con-

connexis, inveſtigat. Ita ad menſurandam lineam prælongam ope feriei triangulorum, expediet, ea facere rectangula, ſimilia, & latera in progreſſione geometrica habentia. Denique in errores quoque inquirit emergentes, ſi longitudo menſuranda permagna dividatur in plures partes, harumque ſingulæ determinentur per feriem triangulorum ſemet inſequentium, &, quando, vel plura, vel pauciora eiusmodi aſſumere triangula conveniat, definit. Abſolutis his, pergit ad deſcribendum proceſſum integrum menſuræ triangulorum, ad determinandam meridianam inſtitutæ, addito omnium angulorum & laterum in ſingulis catalogo.

Horum reductionem ad planum horizontale, & comparationem laterum cum directione meridianæ, pertractat
Pag. 116. *Sect. III.* Primo huc pertinet determinatio altitudinis relativæ ſtationum ſingularum. Dein reductio laterum triangulorum ad planum horizontis. Poſtea proiectio angulorum in idem planum, pro qua, ad evitandum tædioſum calculum, uſus eſt methodo ſingulari, rem ad trigonometriam ſphæricam reducendo. Concipiendo nempe, productum ad ſphæram coeleſtem uſque utrumque crus anguli, & ex zenith ducendo duos verticales per extrema iſtorum: patet, in triangulo ſphærico, inter zenith & utrumque hoc punctum oriundo, dari tria latera, ob datam altitudinem utriuſque, & angulum inter ea concluſum, & quærendum eſſe angulum ad zenith, qui erit ipſe angulus in horizontem proiectus. Qualis hac ratione committi poſſit error, Noſter determinat. Porro exponit directionem laterum, ad meridianam relatam, hinc definitam ipſius meridianæ longitudinem 176940. hexap. gall.; reductionem eius ad ſuperficiem maris, una cum aliis circumſtantiis huc ſpectantibus. Denique determinationem altitudinis montium variorum, pro ſtationibus uſurpatorum, ab Auctore, data opera, barometri adminiculo, ſuſceptam legimus.

Peractis ea ratione operationibus gæodeticis, pergit ad obſervationes aſtronomicas, pro determinanda nimirum amplitudine arcus meridiani, inſtitutas. Et primo
172. quidem *Sect. IV.* verſatur generatim circa cautelas omnes,

in

in hac praxi in usum vocatas, vocandasque. Facile patet, amplitudinem hanc determinari per distantiam astri a zenith in utraque arcus extremitate. Ad evitandos autem, quantum fieri potest, errores, tam e refractione, quam e divisione instrumenti in limbo maiori, oriundos, eligenda est fixa, parum a zenith remota. Nullis quidem fere hæc res premitur difficultatibus, si astrum sit distantiæ mediocris, & haud summus desideretur rigor. Multo adhuc facilius idem expeditur, si de sola agatur variatione distantiæ astri a zenith; cum palmarium & unicum fere instrumenti requisitum tunc eo redeat, ut perfecte sit stabile. At contra, periculosæ plenum opus aleæ est, & e difficillimis Astronomiæ praxibus, si quæratur ipsa distantia astri a zenith, idque in rigore summo, adeo ut utendum sit sectore prægrandis radii. Merito itaque grates debet Auctori Astronomia, quod caput hoc, parum adhuc pervestigatum, singulari disquisitione persecutus est. Est itaque *Sectio* hæc instar tractationis generalis, de methodo optima perficiendi observationes astronomicas, pro definienda distantia zenith inter, & astrum, ei valde propinquum. Plures hic occurrunt circumstantiæ, ad quas sollicite attendendum est, & quæ pro minutiis haberi possent a iudice nimis præcoci, nisi summa eas commendaret necessitas. Ante omnia disquirit de forma sectoris, hunc in usum adhibendi, limbo perexiguo, filo cum pendulo & telescopio muniti, deque eum suspendendi mechanismo. Porro materiam, e qua conficiendus sit, examinat; ubi experimenta de dilatatione metallorum, & quantitatem erroris hinc emergentis, exponit. Hinc de longitudine telescopii est sollicitus, quam radio sectoris esse debere æqualem, & vitrum obiectivum ad summitatem radii statuendum, demonstrat. Axem opticum telescopii, accurate parallelum plano sectoris reddendum, edocet. Methodum, fila micrometrica exacte in foco telescopii collocandi, ostendit. Considerat hic variationes, quibus subiicitur focus telescopiorum magnorum, & errores inde resultantes. Variat enim focus iste, non solum pro constitutione oculi observatoris, &

pro ſpatio, quo oculare plus minusve immittitur; ſed & pro conditione atmoſphæræ, dum nempe aer, in teleſcopio conclusus, medium præbet, radios diverſimode transmittens noctu inprimis, quo fit, ut locus imaginis ambulare videatur, adeo, ut ipſe Auctor, hanc aberrationem in teleſcopio 12 pedum, ad 20″ ſeu 25″, imo ulterius aſſurgere, obſervarit. Quomodo cavendum ſit ab effectu omnium harum variationum noxio, fuſe perſequitur. Poſthac ad inſtrumentum ipſum reverſus, limbum in gradus dividendi rationem deſcribit. Denique uſum quoque eiusdem monſtrat, modum nempe, id exacte in planum meridiani collocandi, quo facto, & probe obſervatis omnibus præcedentibus, non poterit non tutiſſima prodire obſervatio. Quales vero exoriantur errores, ſi, vel manente adhuc ſectore exacte in plano meridiani, paralleliſmus teleſcopii negligatur; vel ipſe ſector, momento tranſitus aſtri per meridianum, non in ipſo hoc plano ſit conſtitutus, ultimo loco determinat.

Expoſitis his omnibus, velut principiis, ſequitur iam Pag. 227. ipſarum obſervationum, a Viris doctiſſ. inſtitutarum, recenſio, *Sect. V.* Etſi obliquitas eclipticæ non immediate ad ſcopum itineris huius pertinere videatur; eam tamen, cum per ſe haud exigui ſit momenti, & optime in zona torrida obſervari queat, ob minorem effectum refractionis, favente itineris hac occaſione non negligendam exiſtimavit Auctor. Primo itaque ſeſe hic offerunt obſervationes huius obliquitatis, ſolſtitiis, hiberno a. 1736, & æſtivo a. 1737, inſtrumento 12 pedum, in quina minuta ſecunda diviſo, factæ. Prodit autem exinde obliquitas eclipticæ 23° 28′ 32″, & latitudo urbis Quito, ubi factæ ſunt obſervationes, 13′ 7½″ auſtralis. Sequuntur obſervationes, in utraque extremitate meridiani, ad determinandam eius amplitudinem, peractæ, reluctantibus coelo terraque, illo nubibus & pluvia fere continuis, hac motibus nimis frequentibus. Ingenue eas omnes hic exponit Auctor, veritati unice litans, neglectis nequidem iis, quae paulo longius a reliquis ſecedunt. Primo anno eas inſtituit variis temporibus, in una extremitate, dein quoque, ne obiici poſſent aberrationes fixarum, inſequenti anno uno

uno eodemque tempore cum *Condaminio*, in altera extremitate. Elegit hunc in usum fixam Orionis *ε Bayeri*. Resultat vero ex his omnibus amplitudo arcus supra mensurati 3° 7′ 1″; inde, post reductiones debitas, longitudo primi gradus meridiani. ad horizontem maris relati, 56753 hexaped. gall.; hinc minuti proxime $945\frac{9}{10}$ hexap.; unde, assumendo rationem *Metianam* inter diametrum circuli & circumferentiam, erit radius curvedinis meridiani prope æquatorem 3251707 hexap.

Absoluta iam sunt omnia, ad ipsam mensuram propositam peragendam spectantia. Ut ergo ex iis elici possit quæsita telluris figura, necesse est, ut inventa gradus meridiani magnitudo comparetur cum reliquis, in aliis superficiei terrestris locis mensuratione detectis. Theoriam hanc exponit Auctor *Sect. VI.* omniumque problematum, figuram terræ e variis datis determinandi, solutionem generalem tradit. Fundamenti statim loco ponit methodum, e qua patet, quomodo figura terræ a magnitudine particulari numeri cuiusvis diversorum meridiani graduum pendeat. Quod cum eo redeat, ut determinetur curva e lege radiorum osculi, ideoque ad methodum tangentium inversam spectet, ubi quidem occurrunt differentialia variorum graduum, inter se permixta: disquisitionem hanc multo simpliciorem reddidit consideratione curvæ, quam *gravicentricam* adpellat, hoc est eius, quæ concursu omnium verticalium in quovis terræ puncto efficitur, verbo: evolutæ curvæ telluris. In huius itaque curvæ naturam curatius inquirit, & inprimis relationem inter coordinatas eius, & excessus variorum meridiani graduum supra primum, atque latitudinis sinum vel cosinum, detegit: id quod facile præbet medium, pro lege quavis latitudinum, ea quæ quæruntur determinandi. Hoc stabilito, varios casus speciales examini subiicit, ubi ponuntur incrementa graduum meridiani ultra primum, vel ut quadrata sinuum latitudinis, vel ut cubi, vel ut biquadrata. Horum ultimus inprimis apprime convenit variationibus, quæ in curvatura meridianorum actu observatæ sunt. E præsentibus enim observationibus, erat gradus meridiani primus prope æquatorem 56753 hexap.; ex iis, quas in Gallia instituerunt

Pag. 276.

 Mau-

Maupertuis, Clairaut, Camus, le Monnier, de Thury, & de la Caille, in latitudine 49° 23′ inventus fuit gradus 57074 hexap.; ex iis denique, quæ in Lapponia institutæ sunt, sub circulo polari, prodit gradus, (facta quadam reductione,) 57422. hexap. Duorum posteriorum excessus supra primum 321, & 669, sunt proxime ut biquadrata sinuum latitudinum respondentium 49° 23′, & 66° 19′. Hinc ergo prodiret ultimus gradus sub polo 57712 hexap., excedens primum 959 hexap.; ratio gradus æquatoris ad primum gradum meridiani ut 112 ad 111; ipsa denique ratio axium telluris ut 179: 178. Alias dein eiusdem problematis solutiones proponit Auctor; ubi vel gradus meridiani comparantur, non cum sinibus latitudinum, sed cum latitudinibus ipsis; vel quoque variæ aliæ assumuntur relationes inter gradus meridiani, eorumque distantias ab æquatore. Generatim enim fatendum est, problema de telluris figura, definienda e mensuratis tribus illis gradibus meridiani, manere adhucdum indeterminatum; quippe cum ex iis constent tantum tria curvæ puncta, quæ quidem limites inter præcipuas terræ dimensiones satis determinant, eamque esse sphæroidem notabiliter depressam arguunt, attamen curvaturam totius meridiani adhuc in dubio relinquunt. Varias itaque hypotheses assumsit Auctor, easque cum mensuris inventis comparavit. Omnia hæcce tentamina, eo ordine, quo successive in ea incidit, ingenue hic exponit Auctor. Tandem vero nullam conditionibus rei melius respondere invenit, ea, de qua iam supra mentionem fecimus; quippe cum quatuor datis, tribus illis gradibus meridiani, & gradibus longitudinis, in parte Galliæ maxime meridionali mensuratis, prorsus congruat. Huic itaque acquiescere non dubitavit. Computavit exinde tabulam pro magnitudine singulorum graduum, nec non pro coordinatis tam meridiani, quam gravicentricæ. Dimensionibus supra allatis addimus, diametrum æquatoris fieri 6562026 hexap. & axem 6525377, quarum differentia est 18324. Subiunguntur aliæ quædam disquisitiones, circa proprietates geometricas figuræ telluris varias, ut: rectificationem

tionem meridianorum: magnitudinem graduum terrestrium, consideratorum ceu gradus circulorum magnorum in directionibus a meridiano diversis, vel normali, vel obliqua: magnitudinem graduum parallelorum: constructionem tabularum laxodromicarum, & latitudinum crescentium seu reductarum.

Hisce omnibus coronidem imponit *Sectio VII.* Pag. 327. ad conditionem totius massae terrestris pertinens. In ea nimirum observationes circa gravitationem exhibentur. Nimis iactata est illa a *Richerio* detecta gravitatis in superficie terrestri variatio, quam ut in eam sub aequatore porro inquirere non sit operae pretium. Multa itaque cum pendulo experimenta, variis sub latitudinibus, variisque supra mare elevationibus, instituit Auctor. Circumstantias eorundem, nec non reductiones postea cum iis factas, hic ample exponit. Exinde primo deducit comparationem, gravitatem inter & vim corporum terrestrium centrifugam, a rotatione telluris ortam. In effectum utriusque inquirendo, detegit, variationes illas, in longitudine penduli observatas, non posse derivari a sola vi centrifuga; sed ipsam gravitatem primitivam prope aequatorem iam esse debere minorem, antequam a vi ista adhuc aliquid ei detrahitur. Videri posset primo intuitu, hoc oriri ex eo, quod maior sit sub aequatore distantia a centro, quam polum versus; gravitas autem decrescat cum distantiis: sed accuratius re examinata, palam fit, diminutionem illam gravitatis fieri debere, etiamsi eadem foret distantia, e sola directionum diversitate; id quod ex aequilibrio columnarum fluidarum, a superficie terrae ad centrum pertingentium, demonstrat Auctor. Quae lex, non minus ac altera de directione gravitatis superficiei eius semper normali, hinc non ad centrum unicum tendente, proprietates duas palmarias gravitatis primitivae constituit. Porro aliam conclusionem ex observationibus illis derivat, de diminutione gravitatis, pro varia altitudine supra maris superficiem. Deprehenditur ea sequi quamproxime rationem duplicatam distantiarum a centro; ideoque satis conformis est legi cognitae de viribus centripetis. Levem tamen differentiam,

tiam, qua gravitas in monte altisſimo inventa eſt haud prorſus adeo diminuta, quam deberet, a fortiori gravitatione, propter ingentem ibi montium catenam, derivat. Aliam nunc, eamque ſingularem & curioſam ſubiungit diſquiſitionem: an a montibus attractio fieri queat ſenſibilis, & qua ratione ea poſſit obſervari? Hoc enim, ſi ullibi, fieri deberet prope enormes illos Peruviæ montes, quos tantum noſtros Pyrenæos, Alpes, rel. ſuperare pronuntiat Auctor, quantum turres urbis tecta vulgaria. Etſi nimirum maſſa vel maximi montis negligendam prorſus partem maſſæ totius terreſtris efficiat; tamen multo maior proximitas centri montis quam terræ, aucta attractione in reciproca duplicata diſtantiarum, id quodammodo compenſaret, ita ut pendulum e directione verticali paululum declinare poſſet. Exempli loco ſumit montem *Chimboraco*, 3200 circiter hexap. ſupra mare altum, baſi autem 10 aut 12 mille hexap. & in altitudine 850 hexap. adhæc diametro 3500 hexap. præditum. Huius ſoliditatem ſtatuit circiter 20000 million. hexap. cub. quæ licet a ſoliditate globi terreſtris 7400 million. vicibus ſuperetur, tamen, poſita diſtantia a montis centro gravitatis 17 aut 1800. hexap. hoc eſt circiter 1900 vicibus minore quam a centro terræ, augeretur effectus plus quam 3600000 vicibus, ut adeo tantum 2000 circiter vicibus minor maneat. Hinc directio gravium montem verſus a verticali deduci poſſet angulo 1′ 43″. Ad methodum quod iam attinet, eiusmodi deviationem actu detegendi, vix apparet, qui id fieri poſſit ullo modo per obiecta terreſtria, & quascunque menſuras circa ea inſtituendas; vel quod ipſa non minus eadem attractione afficiantur, vel quod alii errores irrepentes quantitatem adeo exiguam certe cognoſcere non ſinant. In coelo itaque quærendum ſubſidium. Statim enim patet, perquam ſimplex fore medium, ſi e ſtatione, meridiem aut ſeptentrionem verſus a monte poſita, & tam parum quam fieri poteſt a centro gravitatis ipſius remota, obſervetur latitudo. Attractione enim locum habente, perpendiculum inſtrumenti infra a verticali verſus montem declinabit, hoc eſt, tantundem zenith ſupra

ſupra ab eadem ad alteram partem recedere videbitur. Aſſumatur dein alia ſtatio, & quidem in eadem linea orientem vel occidentem verſus, (hoc eſt in eodem parallelo, quod obtinebitur obſervato azimutho ſolis,) ac in diſtantia a monte ſatis magna, ut nullus amplius attractionis effectus metuendus ſit, ibidemque eodem inſtrumento pariter obſervetur latitudo. Inventa enim, ſi quæ ſit, utriusque latitudinis differentia, erit ipſisſimæ attractioni debita. Alio modo idem obtineri poſſet, obſervando ſaltem utrinque altitudinem aſtri cuiusdam meridianam. Vel quoque, ſumendo duas ſtationes, alteram meridiem, alteram ſeptentrionem verſus; quo facto altitudines ſtellarum hinc augerentur, inde minuerentur, ſicque duplicaretur effectus, fieretque magis ſenſibilis. Simili ratione plures excogitari poterunt methodi. Acquieſcit Auctor primæ, eique ſimplicisſimæ, de latitudinibus; & ita quidem, ut inſtrumentum verificetur ſimul eodem tempore, quo ipſa inſtituitur obſervatio. Hoc nempe fit, obſervando æqualem numerum fixarum, utrinque a zenith meridiem & ſeptentrionem verſus iacentium; ſic enim attractio afficiet non ſummam, ſed differentiam ſaltem altitudinum utrinque ſumtarum; ideoque eius effectus diſtinguetur facile ab eo qui ab inſtrumenti erroribus orietur. Hanc methodum actu applicavit ad montem *Chimboraco,* de quo ſupra mentionem fecimus, &, comite *Condaminio,* permultas obſervationes inſtituit. Circumſtantias omnes, tam itineris longe moleſtisſimi quam ipſarum obſervationum, ample exponit. Misſis his, ſufficiet, lectoribus indicare, quid ex iis reſultaverit. Sumendo nempe medium inter omnes obſervationes, prodiret effectus attractionis circiter $7\frac{1}{2}$ minutorum ſecundorum. Hunc an pro explorato habere liceat, ipſe lectoris iudicio, perpenſis omnibus obſervationum momentis, ingenue relinquit. Fatendum eſt enim, eum prodire multo minorem, quam expectari poterat. Tamen id mirum videri nequit conſideranti, quam parum conſtet nobis, ne dicamus de inteſtinis montium, ſed inprimis de integra totius terræ maſſa, & denſitate interiori; unde effectus attractionis eſſe poterit longe

 alius,

alius, quam qualem supra coniectura assecuti sumus. Quicquid sit, certe tamen ex istis observationibus satis constat, attractionem magnorum montium producere posse effectum quendam sensibilem: quae veritas sane haud exigui in Physica momenti est. Sed dies, & commodior observandi locus, forsan plura hac de re nos olim docebunt.

EPICTETI ENCHIRIDION, GRAECE ET LAtine, cum scholiis graecis, nunc primum e bibliotheca Regia Dresdensi vulgatis, & novis animadversionibus.

Dresdae & Lipsiae, impensis Mich. Gröllii, 1756.
16 pl. in 8.

Cum libelli huius Epictetei, quanquam ille vulgo omnium manibus teratur, ad artem criticam comparata editio, in qua, ad fidem MStorum & editorum codicum antiquorum, varietas lectionis notata, & accurate ad regulas suas exacta & diiudicata esset, haberetur nulla, Interpres subvenire publico usui voluit. Habebat ea res tanto plus difficultatis, quod non qualiscunque cognitio graecae linguae, & antiquitatis, ut ad aliorum librorum interpretationem, sufficiebat: sed praeterea subtilium & tenuium disciplinae Stoicae praeceptorum cognitio non levis requirebatur, adeo ut personam plane Stoici induere, sensumque mutuare necesse interpreti esset. Quanquam ingressus ille eam viam est, qua ei non difficile esset, Stoicorum rationem accuratius cognoscere, & superiores interpretes aliquantum post se relinquere. Nam cum enchiridium hoc eundem Arrianum, cuius dissertationes Epicteteae supersunt, auctorem haberet; cumque illud iam olim a Simplicio, qui Iustiniani Imp. tempore vixit, commentario docto & diligenti, quanquam saepe praeter rationem Stoicam, ut Interpres passim notat, explanatum esset: ille utrumque diligenter, nec sine fructu, cum illo comparavit, & non pauca inde, tum ad interpretationem, tum ad emendationem enchiridii, decerpsit. Cumque illud a chri-

a christianis monachis descriptum, & ad disciplinam christianam accommodatum, sub *paraphraseos* nomine circumferretur; & hoc adhibuit, & aliud a S. Nilo abbate interpolatum, necdum ulli interpreti usurpatum. Iam quicquid praeterea variantis lectionis a superioribus interpretibus congestum esset, in usum suum convertit: tum vero ipse antiquas editiones diligenter inspexit; de quibus, ut & de ceteris adminiculis, in praefatione succincte disserit. In enchiridii autem verbis excudendis, Uptoni editionem, maximam partem ad Meibomianae fidem expressam, sequutus est, nisi quod in nonnullis locis lectionem antiquiorem revocavit. Versionem ex Uptono Meibomianam retinuit, id quod factum nollemus; nam nimium illa *κατὰ πόδα* expressa, nec satis latina est, nec graecae dictionis vim assequitur. In commentariis, non pauca disciplinae Stoicae capita, quaedam etiam interiores graecarum litterarum rationes, v. c. voc. *ἐπιστρέφεσθαι* ad c. 10, *περιγίνεσθαι* ad c. 12, *συμπεριφέρεσθαι* ad c. 16, *ὀφρῦς* ad c. 22. *περιγράφειν* ad c. 33. § 7. *ἀξία* & *ἀπαξία* ad c. 36. expositae sunt: in verbis vero philosophi multa restituta. Sic c. 2. *ὁ μὲν ἐν ὀρέξει ἀποτυγχάνων — ὁ δὲ ἐν ἐκκλίσει περιπίπτων* reponit, ratione simul ex Arriano reddita. Eod. cap. § 2. recte *ἀποτυχεῖν ἀνάγκη* coniicit. C. 33. § 13. recte reponit *διαπεπληγμένον πρὸς τὰ ἐκτός*. C. 50. § 2. *προσέχειν* commode emendat. Contra C. 6. non necessarium erat, *ἐπὶ τοῦ ἵππου ἀγαθῷ* reponere; cum vulgata eundem sensum praestet. Sic & apud *Xenoph.* Mem. I. 6, 14. *ἵππῳ ἀγαθῷ ἥδεται*. In calce adiecta scholia non sunt adeo magni pretii; nec tamen in iis operam suam desiderari passus est Interpres. Ne autem ignorent docti homines, cuinam hanc Epicteti editionem nitidam atque egregiam debeant, scire eos volumus, *Heynium* V. Cl. cuius Tibullum nuper admodum laudavimus, Editorem esse; a quo, qua est doctrinae copia, multa sibi meliores litterae, & praeclara, pollicentur. Nos ei fortunam, quamcunque sibi optarit ipse, ex animo precamur, quin ominamur.

SYMBOLAE LITTERARIAE, OPUSCULA VA-ria, philologica, scientifica, antiquaria; signa, lapides, numismata, gemmas, & monumenta medii aevi nunc primum edita complectentes. **VOL. IV.** ***ornatum Tabulis III. aere incisis.***

Florentiæ, 1749. 13 plag. in 8.

Quam induerunt apud omnes & elegantiæ & eruditionis gratiam Gorianæ ſymbolæ, ex ea nihil adhuc eſſe diminutum, facile adparebit libellos, quos hoc volumen complectitur, ſingulos perluſtraturis. Statim poſt mantiſſam præfationis, in qua inſcriptiones aliquæ Romæ haud ita pridem effoſſæ nunc primum proferuntur, hanc conſpicimus commentationem, quæ inſcribitur: Io. BAPTISTAE PASSERII, *Piſaurenſis, protonotarii apoſtolici, ac regiae ſocietatis Londinenſis, Etruſcae, Cortonenſis, & Olmucenſis, membri, de hebraiſmo Aegyptiorum diſſertatio, ad religioſiſſimum doctiſſimumque virum Paullum M. Paciaudium, clericum regularem Teati-*
Pag. 1. *num.* Primo ſtatim libri capite in eo verſatur doctiſſ. Auctor, ut, ad linguam Etruſcorum explicandam multum facere doceat, non modo græcam linguam, verum etiam ebraicam; huius autem voces in lingua latina adhuc ſuperſtites, non
5. aliunde, quam ex etruſca ipſi obtigiſſe, ſuſpicari iubeat. Capite II. helleniſmus Etruſcorum non a Græcis, quod vulgo creditum, ſed ab ipſorum potius origine natales ſuos repete-
6. re demonſtratur. Ebraiſmo Etruſcorum patrocinatur caput III. atque ex eo totam græcam linguam ebraicis verbis abundaſſe, excitato inſigni græcorum vocabulorum cenſu, oſtendit. Ita v. c. *Achelous* a נחל *torrens*, derivatur, unde etiam Nilus dicitur; *Aracne* ab ארג *texere*, unde latinorum *aranea*; *Salamina* a שלם *ſalvus, ſoſpes, pacificus*, ideo, quod primum ad eam adpellentibus ſalutem & requiem præſtiterit.
10. Capite IV. in eo totus eſt Auctor, ut, ebraiſmum Græcorum derivari, vincat, ab ipſorum ultima origine, quæ tum fuit, quum totus fere, qua ad orientem vergit, terrarum orbis, ebraicis vocibus perſonaret; id quod oſtendunt nomina propria

pria locorum atque heroum, ebraicam indolem redolentia. Ita dictus videtur *Caucasus* a כוכב f. כוכבים, *stellae*, quarum indagandarum studium in montis huius cacumine frequenter usurpatum fuisse perhibetur; ita etiam *Cappadocia* a קפדה, *divisio*, exstitisse dicitur, quod montibus altissimis descripta ac munita, a vicinis terris seiungitur; item *Caborus*, Armeniæ fluvius, a כביר *copiosus, adfluens; Niphates*, Assyriæ terminus, a נפת, *terminus, locus terminum constituens.* Quæ quidem vocum græcarum cum ebraicis adfinitas quum negari haud possit, profecta esse illa potissimum a coloniis Aegyptio-
rum in Græciam deductis (cap. V.), quas quidem multas Pag. 14.
fuisse, ex Diodoro Siculo discimus; deinde etiam a studiis, artibus, & religionibus, quæ ex Aegypto in Græciam transmi-
grarunt, efficitur cap. VI. Spartanos necessitudine quadam at- 15.
tingere Ebræos, ex obvio in istorum vocabulis ebræi sermonis
genio, cap. VII. demonstrat; eandemque adfinitatem in lin- 16.
guæ Phrygiæ vestigiis deprehendit vener. Passerius. Propius
ad id, quod instituerat, capite VIII. ita accedit eruditissimus 21.
Auctor, ut ipsas litterarum græcarum formas ebraismum olere, neque a Chaldæis, sed ab antiquis Ebræis derivandas esse vincat. Ex hisce autem fontibus ebraismus in Græciam traductus, in linguam Etruscorum secessisse & consedisse perhi-
betur. Caput IX. Aegyptios ebræa lingua, vel alia eius non 26.
multum dissimili, esse usos, probatur ex ipsorum prima origine, & ex longa, quæ intercesserat, cum Ebræis consuetudine. Cui quidem sententiæ auctoritatem pondusque ita cl. Passerius conciliat, ut, Iudæos in captivitate ægyptiaca linguam patriam, eamque ab Aegyptiorum sermone multum discrepantem, conservasse, eo minus veri esse simile vincat, quo certius de linguæ domesticæ iactura, ex transmigratione babylonica a Iudæis facta, nobis constet. At existimari ita vix patiuntur non nulla sacri codicis, duo inprimis, effata: quorum alterum Genes. XLII. 23. filios Iacobi, cum Iosepho sibi tunc incognito loquutos, nescivisse narrat, quod intelligeret ipsos Iosephus, eo, quod per interpretem loqueretur; alterum vero, idque fortasse maius, Psalm. LXXX, 5.

 Iose-

Iosephum, quum exiret e terra Aegypti, linguam, quam parum cognitam habuisset, audivisse dicit; unde Chananaei, Aegyptiis ceteroquin vicini, diversa tamen lingua usi fuisse videntur. Verum hæc, quæ contra nituntur, cap. X. strenue concidit Auctor, linguamque chananæam ebraicæ admodum adfinem fuisse, adductis in testimonium luculentioribus exemplis, hoc pacto demonstrat, ut punicæ linguæ fragmenta, quæ ebraice loquendi rationem speciemque præ se ferant, excitet.

Pag. 39. Omnia autem, quæ hucusque fuerunt disputata, excipit *Lexicon Aegyptio-Hebraicum*, nempe *vocum Aegyptiarum, quae ex hebraica lingua derivantur.* In quo quidem libello, dici vix potest, quantum resideat eruditionis, & quam late pateat eius usus: ut qui inservire non intelligendis tantum & explicandis veterum scriptorum profanorum monimentis, sed illustrandis quoque haud paucis sacrarum tabularum locis, possit.

105. Socias sese adiungunt limatissimo huic commentario, eiusdem *Io. Baptistae Passerii dissertationes binae,* quarum prior agit

107. *de aeneo Iovis signo, duplici serto coronato.* Cuius quidem conscribendæ commentationis opportunam sibi a venerando Gorio copiam eo factam fuisse, Auctor profitetur, quod signi imagunculam aeri incisam perlustrandam ipsi transmisisset. Refert autem illa hominem, prolixa ornatum barba, unico pallio vestitum, protensa dextera, pectore ventreque nudis, capite vero duplici corona redimito. Atque hunc quidem duplicis coronæ ornatum inprimis illustrandum in se suscepit *Passerius.* Quod ita facit, ut unam Iovi coronam propriam fuisse & debitam, ostendat, huic autem aliam aliquando superaddi ab eis, qui nacta victoria, gratum huic deo & devotum animum declarare cuperent, esse solitam, aperiat. In qua quidem re hic olim mos obtinuit, ut ista adventitia quasi corona, aut capiti Iovis imponeretur; aut, si forte nimis procerum signum esset, in sinu eius; aut denique, ubi ne id quidem liceret, in pedibus monimenti collocaretur: unde etiam evenire quandoque solebat, ut furto averterentur istæ, parum diligenter alligatæ. Posterior doctissimi viri dissertatio, *de num-*

118. *mo Ballaeorum* est conscripta. Nummus hic, e museo Goriano

riano depromtus, oculis lectorum eleganter expressus subiicitur; in quo præ ceteris inscriptio, quæ unica voce ΒΑΛΛΑΙΟΥ absolvitur, digna visa est reverendo Auctori, quam pleniori disputatione prosequeretur. Advertit statim lectorem ea coordinandi litteras, quæ in hoc titulo cernitur, ratio, qua a dextra versus sinistram eæ componuntur, adeo certe antiqua, ut, si a populis ad orientem spectantibus discesseris, non, nisi forte apud antiquissimos Græcos, servatum unquam esse hunc morem deprehendas. Quum vero hoc verbum ΒΑΛΛΑΙΟΥ, sive, quæ forma frequentior, adeoque magis vera esse Auctori videtur, ΒΑΛΛΑΙΩΝ, (postrema littera vetustate corrupta, O autem τοῦ Ω vicem sustinente,) urbem quandam, eiusque populum, significet; suo omnino iure in eo elaborat vir doctus, ut, cui tandem urbi nummus hic debeatur, aperiat. Vindicare autem sibi, inito quasi certamine, videntur urbes, *Balla* in Macedonia, & *Balis*, in Lybia Cyrenaica sita. Isti favet illud *Stephani de urbi-* Pag. 119.
bus: ΒΑΛΛΑ, πόλις Μακεδονίας, ὡς Πέλλα. ὁ πολίτης: 120.
Βαλλαῖος. Huic autem fidem facere studet Auctor. Nec sane refragantur ea, quæ in nummo animadvertimus; quippe qui altera facie exhibet caput, quod Africam omnino olet, altera integram imaginem, quæ Balim ipsum, a quo hæc urbs nomen sortita est, sine ullo dubio refert. Hunc vero, licet, eundem esse cum isto idolo Baal, & ab Ebræorum בעל nominatum fuisse, quidam existiment; magis tamen viro doctissimo eorum sententia arridet, qui Balim hunc fuisse co- 124.
loniæ istius deductorem putant. Cui quidem sententiæ vel ex eo pondus conciliatur, quod Græcos, scimus, maximo in honore habuisse urbium suarum conditores: Africæ autem incolas solitos esse reges suos in deorum numero ponere, ex *Strabone* discimus, qui lib. XVII. *eos*, inquit, *a quibus beneficium acceperunt, & reges pro diis habent & putant, reges communes omnium custodes & servatores esse.* Unum est illud, quod urgere maxime, qui contra nituntur, possunt, Africam propriis litterarum formis fuisse usam in obsignandis nummis, adeoque græcæ potius, quam lybicæ urbi, hunc esse num-

mum

mum tribuendum. Sed hi fere erunt, qui non perpendant, Cyrenem, huic nostræ urbi propinquam, Græcorum coloniam fuisse, hinc autem perpetuam Cyrenensium cum Græcis amicitiam, immo legum, studiorum, & institutorum societatem communionemque esse natam. Pergimus ad reliquas, quæ hoc in volumine continentur, dissertationes. Sequitur
Pag. 129. enim: *De crassitie laterum, quibus veteres in magnis molibus & substructionibus utebantur*, *epistola* Iacobi Belgradi, *Soc. Iesu Presb. in Academia Parm. Publ. Math. Prof. & Acad. & Instit. Bon. Soc. ad Ant. Franc. Gorium.* Architectonicæ artis haud exiguam, qua pollet, facultatem, eo confert doctissimus Auctor, ut ostendat, quid caussæ sit, cur in magnis molibus cernamus adhibitos olim fuisse lateres, longe iis graciliores, quibus vel hodie utimur, vel etiam veteres in privatis ædibus, iisque parum amplis, exstruendis, uti consueverunt. Quam quidem caussam in eo ponendam esse, adductis haud levibus rationibus, pronuntiat, quod ædificio duraturo gracilioribus magis, quam crassioribus lateribus consulatur. Hæc vero omnia ita disputat venerandus *Belgradius*, ut lectæ huius commentatiunculæ poenitere non magis pos-
135. sit, quam elegantis istius alterius, ita inscriptæ: *Iacobi Belgradi, ad eundem Ant. Franc. Gorium epistola altera, qua basis Ariminiensis inscriptio militaris recens inventa illustratur.* Breviter, sed non inerudite, lucem adfundit inscriptioni, tunc recens Arimini repertæ, quæ sic habet:

C. NONIO
C. F. AN. CAEPIAN
EQVO. PVBL. EX QVIN
DECVRIS. IVDICV
PRAEF. COH. III. BRITT.
NVM. VETERANOR
EQVITATAE. TRIB. LEG. I. AD
TRICIS. PIAE. FIDELIS. PRA
ALAE. I. ASTVRVM. PRAEPOS

XV-

NVMERI. EQVITVM. ELECTOR
EX ILLYRICO

C. VALERIVS. SATVRNINVS. I.

ALAE. I. ASTVRVM. PRAEF. OPT
L D D D

Quam hic repetivisse inscriptionem, eo magis iuvabit, quod in eadem explicanda versatur dissertatio, quae sequitur: *Ad clarissimum Patrem Romualdum Rotam, Societatis Iesu, Ariminensis Collegii Rectorem, de inscriptione Arimini nuper reperta; Francisci Ant. Zachariae, eiusdem societatis, epistola.* Consentit cum *Belgradio* doctissimus Auctor in eo, legendam esse inscriptionem hoc Pacto: *Caio Nonio Caii filio, Caepiano, equo publico, ex quinque decuriis iudicum; praefecto cohortis tertiae Brittonum veteranorum equitatae; tribuno legionis primae adiutricis, piae, fidelis; praefecto alae primae Asturum; praepofito numeri equitum electorum ex Illyrico, Caius Valerius Saturninus, decurio alae primae Asturum, praefecto optimo. Locus datus decreto decurionum.* Hoc autem sibi inprimis proposuit eruditissimus Auctor, ut, quae de hoc lapide disputaverat *Ioannes Blanchius*, in epistola, litterariis ephemeridibus Florentinis inserta, ea aut ulteriori disquisitione augeret, aut, si quid parum recte ab isto prolatum videretur, amice reprehenderet emendaretque. Hoc modo veriora multa, nec sane inutilia, de gente Noniorum, de equo publico, de cohortibus Brittonum, de vocabulo: *equitatae*, de equitibus electis, aliisque rebus huc pertinentibus, a rever. viro disputata legimus. Aetatem autem inscriptionis post Galbae tempora collocandam esse, non temere censet Auctor. Agmen claudit idem vir doctissimus, adiectis quibusdam epistolis, quarum hic est index: *Lettere di Franc. Antonio Zaccheria, della compagnia de Gesù, all' illustrissimo Sig. Onofrio del Mosca, Cavaliere di S. Stephano, e tra gli Arcadi della colonia Alfea Perfimbo Selleniano, Sopra alcune antichità di Pisa.* Ea se nobis hic sistunt antiquitatis monimenta, ut, potiora ex iis repetituris difficilis videatur electio. Quo magis erit adcusanda celeberrimi *Montefalconii* sententia, *diar. ital. pag. 395.* Pisana moni-

Pag. 143.

177.

monimenta *trita & vulgaria* dicentis. Sed, ne longiores simus, hic subsistimus, egregio venerandi Gorii, de his litteris praeclare promeriti, consilio, felicem semper exitum perennemque gloriam precati.

HISTOIRE DE CLEMENT XI. PAPE &c.

i. e.

HISTORIA CLEMENTIS XI. P. M. AUCTORE Dom. REBOULET, Seniore Primicerio Academiae Avenionensis.

Avenione, apud Claudium Delomb, typographum sancti officii, & Franc. Girardum, typographum collegiorum pontificalium, 1752. 4. mai.

Tom. I. Alph. 1. plag. 15.

Tom. II. Alphab. 1. plag. 9½.

Memoria Clementis XI. digna omnino erat, quae ad postremam aetatem transmitteretur. Excellentibus ingenii dotibus, doctrina atque virtute eminuit, eiusque studium, quo eruditos est prosecutus, erat plane singulare. Merita ipsius in ecclesiam romanam, quam omni ratione tutari ac ornare est adnisus, tanta fuere, ut non facile ulli antecessorum suorum cedat. Ea erant tempora, quibus sedi romanae praefuit, ut modo his, modo illis partibus se addicere cogeretur, unde pro partium studio multae ipsi molestiae sunt creatae. Ipso sedente, controversiae Iansenisticae recruduerunt, quas cum publica quadam constitutione componere adlaboraret, tantum abfuit ut litibus finem imponeret, ut potius accenderet discordiarum fomitem, qui proxima quaeque corripuit, & cui exstinguendo remedium aptum excogitari adhuc nullum potuit. Auctor, qui pluribus scriptis, potissimum historia regni Ludovici XIV. celebritatem nominis est consecutus, extremis vitae annis totus in eo fuit, ut historiam Clementis XI. studiose consignaret; ei operi cum immoreretur, filius edendum curavit. Non videtur in illo exactas historiae leges

leges ſequi voluiſſe: modo enim facta, quæ tanti non ſunt, vehementer extollit, modo errores ac male facta extenuat, imo virtutis colore infucat, & id quidem non alia de cauſſa, quam ut heroem ſuum tanquam conſummatum exemplar principis, ac ſupremi civitatis chriſtianæ monarchæ nobis exhiberet. Repræſentat illum tanquam ſupremum, nec ullis legibus circumſcriptum moderatorem, qui de celſa ſpecula, oculos lynceos, in omnes orbis, non chriſtiani ſolum, verum etiam a chriſtianiſmo alieni, partes, continuo deflectat, & opportune, quid opus factu ſit, decernat. Videas hic in ſcenam redire pontificem, qui tantam potentiam ac dominatum exerceat, quantam uſurpabant, qui luctuoſis illis temporibus ſuprematum, liceat uti vocabulo conſueto, etſi non ſatis latino, in res omnes, & humanas & divinas ambitioſe ſibi adſerebant, & quibus omni ex parte pontifici obſequi pium ac religioſum, eidem obniti profanum ac deteſtandum habebatur. Diximus, Auctorem aliquando hiſtoriæ leges migrare, ac eventus, qui nunquam contigerunt, fingere, modo ad herois ſui gloriam faciant: documento eſſe poſſunt, quæ deinde in medium proferemus. Huc vel maxime ſpectat illud, quod P. II. p. 137. narrat, principes heredes, Boruſſiæ ac Ruſſicum, a. 1717. Romæ fuiſſe, interventu Clementis deinde parentibus ſuis reconciliatos: cum tamen prior tum temporis quinque tantum annos haberet, nec Italiam umquam adierit. Si ex hac relatione iudicium de reliquo operis ipſius hiſtorici contextu eſt ferendum, certe illud Auctori noſtro parum favens eſſe poterit. Sed ad ea nos convertimus, quæ de vita ac rebus geſtis Clementis memorat, etſi præcipua tantum momenta ſtrictim exhibere nobis liceat.

Iohannes Franciſcus Albani, (id quippe nominis ante pontificatum ei erat,) illuſtribus parentibus d. 21. Iun. a. 1649. in lucem hanc eſt editus. In eo educando & erudiendo ſolicita cura fuit adhibita; & quoniam præclara erat indole, egregie profecit, doctrinæque præmaturæ ſpeciminibus editis, eruditiſſimorum & magnorum virorum, ipſius etiam *Chriſtinae*, reginæ Sueciæ, gratiam conſecutus fuiſſe dicitur. *Innocentius* XI.

 aliam

aliam itemque aliam dignitatem ecclesiasticam in ipsum contulit, eiusque successor *Alexander* VIII. eum non solum in omnibus suis honoribus confirmavit, verum etiam d. 30. Febr. 1690. purpuratorum senatui adscripsit; quam tamen dignita-
Pag. 1-16. tem supplicem deprecatum fuisse Albanum, Auctor adfirmat. Quanta cura ac sollicitudine munere hoc suo, difficillimis temporibus, quibus lites cum *Ludovico* XIV. de regalibus, uti adpellant, & legatorum immunitatibus, fervebant, fuerit functus; quanta benignitate fuerit prosecutus litteratos, artifices, pauperes atque adflictos; quanto denique ardore illos, qui ab ecclesia Romana secessionem fecerant reducere adlaborarit, am-
17-29. plis verbis dilaudatur. A cupiditate colligendarum opum alienus erat maxime, nec volebat cognatos suos ex ecclesiæ opibus ditescere; immo ipse effecisse dicitur, ut *Innocentius*
29-32. XI. decretum contra sic dictum *nepotismum* promulgaret. *Ioanne Sobieskio*, Sarmatarum rege, fatis functo, multum contribuisse fertur, ut *Fridericus Augustus*, Saxoniæ princeps
34-35. elector, rex crearetur. Magna in suspicione erat, pontifici suasisse, ut, posthabita domo Austriaca, *Philippus* Andegavensis successor regis Hispaniæ Caroli II. testamento declararetur; qua re in invidiam atque odium incurrit.
37-41. Mortuo pontifice, itemque rege Hispano, purpurati, prævidentes exorituras tempestates, concordibus suffragiis Albanum elegerunt, qui post multam tergiversationem tandem dignitatem pontificiam accepit, d. 23. Nov. a. 1700. initiatus. Cognatis suis statim a primo pontificatus momento significavit, non habere eos quod sperarent, virtutibus ad honores viam
41-52. sibi munirent. Rem publicam salutaribus legibus instruxit, statum ecclesiasticum melius ordinavit, officio suo in cultu publico sedulo est functus, partes etiam episcoporum aliquan-
53-60. do obivit, quin & pro concione sacra subinde verba fecit. Cum lites inter Imperatorem & Galliarum regem in apertum bellum erumperent, arbitrum sese interposuit, ac pacem reconciliare omnibus viribus est adnisus; sed cum nihil efficeret, neutri parti accedere consultum duxit. Sub idem tempus Imperator electorem Brandenburgicum, regem Borussiæ agnovit, qua super re Clemens querelas ad Augustum detulisse perhibetur.

Ponti-

Pontificis sc. vicem Christi in his terris gerentis, esse, regna orbis terrarum dispensare, hoc igitur inscio ac invito, neminem sese pro rege gerere debere. Defuncto *Iacobo* II. luctum suum in publico Pag. 72-75.
Consistorio est testatus, simul vero lætitiam suam declaravit, quod *Ludovicus* XIV. filio eius natu maximo patrocinium esset largitus, eundemque regem Britanniæ pronuntiasset: purpuratos ille omnes, ut idem facerent, est exhortatus, operamque navavit, ut recte educaretur, inque religione pontificia obfirmaretur. Catholicis, qui 76-83.
in terris Turcicis multum adfligebantur, per intercessionem Imperatoris, Galli, & Poloni, quietem & liberum religionis exercitium restituit. Bello iam sæviente, pacis conditiones proponere non inter- 84-86.
misit. Videbatur in partes Gallorum inclinare; multas hinc a Cæsarianis molestias perpessus est. Dum belli flamma latius per Italiam serperet, terras suas adversus hostilem impressionem firmare instituit. Motus Iansenistici in Gallia, itemque Belgio, multas 86-89.
ei molestias facessiverunt. Certe Carolum Austriacum regem Hispaniæ agnoscere renuebat: qua re exacerbatus Imperator, belli in- 107-117.
comoda sentire eum voluit. Classis Brittannica & Belgica, mare mediterraneum ingressa, terris pontificiis minitabatur. Initium inde belli in- 119-120.
ter Augustum, Poloniæ regem, & Carolum XII. Regem Suecorum; 122.
quod quam perniciosum fuerit Augusto Regi, enarratur. Copiæ Cæsarianæ æque ac Gallicæ terras pontificis multum infestabant. 125-139.
De progressibus religionis romanæ in Africa & Asia, speciatim apud Sinenses, sermo instituitur; qua occasione ad quæstionem de cultu Confucii, & animarum demortuorum maiorum, A. delabitur. A 139-158.
Persarum rege per litteras obtinuit, ne christianis gravis esset, & ut libertatem religionem suam profitendi iis concederet. Maronitas etiam iuvit. Controversiis Iansenisticis in Gallia recru- 158-161.
descentibus, constitutionem edidit celebratissimam, *vineam Domini Sabaoth*, rel. Catholicis in Syria & Palæstina aliquid levaminis con- 168-173.
ciliavit. Legationes, in caussa religionis, versus Africam & Asiam destinavit. Cum Imperatore litigavit de iure primariarum precum A. 1706. d. 17. Maii 20. cardinales simul creâvit. Irruptionem Ca- 173-185.
roli XII. in Saxoniam A. inde, & quas duras conditiones Augusto proposuerit, atque Silesiis multa templa ac scholas restituerit, describit. 187-192.
Cum Galli & Hispani ubique fere locorum infelicibus cladibus adficerentur, Clemens iterum pacem reducere tentavit, frustra tamen. 193-196.
Componendarum litium ergo, ad Sinenses miserat *Tournonium* purpuratum: sed fine suo potitus non est, potius contentiones sunt auctæ, eidemque & missioni mala multa incubuerunt. Augustum R. animum 196-210.
resumsisse, ac bellum de novo instruxisse, cum Carolus impressionem in Russiam fecisset, ut Imperatorem de solio deiiceret, traditur.
De scripto quodam theologorum Helmstadiensium, super differentia 211-214.
inter confessionem Augustanam & religionem romanam, iudicium fertur ab A. & quid circa abiurationem *Elisabethæ*, sponsæ Caroli R.

 Hispaniæ,

Pag. 215- paniæ, fuerit actum, edisseritur. Rakotzianam seditionem per litte-
220. ras sedaverat Pontifex, potuerat igitur gratæ mentis demonstratio-
nem ab Imperatore exspectare: sed cum bellum continuaretur, ter-
ræ pontificis miserum in modum expilatæ & devastatæ sunt,
quin & ipsi urbi Romæ terror incussus. Quibus malis fractus
Clemens, pacem cum Imperatore iniit, & Carolum regem
Hispaniæ agnovit, ita tamen, ut iuribus Philippi nilquidquam dero-
221-247. garetur. Verum hac re ita offendit Philippum, ut is antistitibus
Hispanis, & subditis suis, omne cum aula Romana commercium in-
247-250. terdiceret. Fortunam Augusti post Suecorum cladem ad Pulta-
vam a. 1709. reducem, A. recenset. Quantam curam in ab-
usibus in Polonia emendandis, religione item romana in Saxo-
254-262. nia & alibi locorum propaganda, impenderit, deinde memorat. De
cardinali Bouilloneo, qui iram Ludovici XIV. incurrerat, aliqua
262-265. proferuntur. Contentio de Comaclo inter Imperatorem & aulam
270. Romanam agitata, tandem sopita fuit. Furor Persarum in Christianos
iterum fuit cohibitus. Tournonius in China, & vincula & dira tor-
menta est perpessus, cuius obitum in cardinalium consessu multum
271-282. doluit Clemens.

Tomo II. hæc sunt. *Iosepho* Imp. vivis excedente, in eiusque locum
a. 1711. *Carolo* subrogato, Clemens vigilavit, ne quid detrimenti cape-
1-14. ret ecclesia Romana. In Aethiopiam aliquos, qui evangelium adnuntia-
rent, destinavit: hi quidem multos partibus suis adiunxerunt, sed
ut ecclesiam Aethiopicam Romanæ adsociarent, hoc efficere non
potuerunt. Motus inter Maronitas excitatos, sua auctoritate com-
16-22. posuit. Contentiones, inter academicos Colonienses enatas, ita termi-
navit, ut iura academiæ & sedis Romanæ sarta conservarentur. Angli,
22-23. insulas Maioricam & Minoricam tenentes, multa admisisse argue-
bantur, quæ in detrimentum religionis catholicæ vergerent,
pontifex igitur, interventu regis Galliæ, effecit, ut iussu *Annæ
Britannicæ* conatibus his obex poneretur. Pax, de qua tum ageba-
23-25. tur, multas Clementi curas dedit, ne quid, quod ecclesiæ esset no-
cumento, concluderetur. *Pium* V. d. 22. Maii, multa cum sole-
25-26. mnitate, in sanctorum numerum retulit. In Sicilia de iurisdictione
acriter contendebatur, quibus Papa contentionibus modum pone-
re haud potuit. Quid egerit in controversiis inter pagos Helveti-
cos reformatos & catholicos, quæ in apertum bellum in detrimen-
41-45. tum romanensium eruperant, indicatur. Cum deinde a. 1713.
pax Ultraiecti componeretur, per regem Galliæ id egit,
ut articulus IV. pacis Risvicensis retineretur, ac de novo confir-
maretur. Alia adhuc multa, commodo ecclesiæ Romanæ, est
45-52. molitus. Patriarcha Alexandrinus in communionem ecclesiæ
Romanæ concesserat, quod largam lætitiæ materiam Clementi præ-
buit. In pace Badensi cavit, ne quid in ecclesiæ suæ damnum decerne-
retur;

retur; impedire tamen non poterat, quo minus quædam gererentur, quæ ipsi vehementer displicerent, v. c. Elector Brandenburgicus rex Borussiæ, dux Hanoveranus elector, Sabaudus rex Siciliæ, se inconsulto, agniti. Venetis, qui bello petebantur a Tur- Pag. 53-58.
cis, auxilia submisit, eisdemque socios conciliavit. Controversiæ de 65-67.
iurisdictione Siciliæ, maiori longe ac antea animorum motu fuere resuscitatæ. Occasione adnotationum moralium Quesnellii cum 67-71
acerrime decertaretur, ut certaminibus illis finem imponeret, ac pacem restitueret, tandem 10. Sept. 1713. famosam illam, quæ primis verbis dicitur, *unigenitus Dei filius*, constitutionem publicavit. Sed tantum abfuit, ut scopo responderet, ut potius contentiones inde augerentur. Rex Galliæ, litium pertæsus, ad ultima descendit, concilium convocaturus: sed mors, quæ a. 1715. ei supervenit, destinata intervertit. Cum post obitum *Annæ*, Bri- 72-115.
tanniæ reginæ, *Georgius* Hannoveranus solium regium conscenderet, Iacobus competitor, a Scotis invitatus, opibus pontificis confisus, ius suum, quod mentiebatur, exsecuturus, insulam adiit, sed non ita multo post ingentem cladem passus, rediit unde venerat. Cum imperator Turcicus bellum prosequeretur, & a. 1716. Corcy- 116-119.
ram obsidione cingeret, pontifex Venetis auxilia tulit, & Imp. Carolum sollicitavit, ut Venetis suppetias ferret, atque in Hungaria bellum adversus Turcas moveret. *Schulenburgius*, qui Corcyram præsidio tenebat, Turcis se fortissime opposuit, ut prævalere non possent; dum, po steaquam fortiss. *Eugenius* Sabaudus d. 3. Aug. incomparabilem victoriam reportasset, obsidionem solvere cogerentur. Secuta est Temesvariæ deditio; cuius victoriæ ergo Clemens sollemni cum pompa Deo publice gratias egit. Iacobus, ubi ausibus suis exci- 120-128.
disset, ad pontificem concessit, qui de necessario victu ei providit, ac Urbinum sedem adsignavit. A. 1717. Eugenius Belgradum obsidebat, 134-136.
& cum auxilio urbi venirent Turcæ cum numerosissimo exercitu, hunc ingenti fortitudine fudit. Belgradum, Turca fugato, in deditionis conditiones descendit. Veneti etiam felici successu gaudebant, locis, sibi in Peloponneso & alibi ereptis, recuperatis. Sub hoc 139-149.
tempus rex Hispaniæ impressionem in Sardiniam fecit, ad quam consiliis Alberonii inductus fuisse censebatur. Ea multum invidiæ creabat regi, quod non deessent qui criminarentur, ac si contra datam fidem terras Imperatoris invaserit, atque ex pacto cum Turcis egerit. Sed & Imperator in regno Neapolitano multa moliebatur, quæ pontifici minus erant accepta. Controversia su- 194-154.
per constitutione unigenitus, Ludovico vivis exemto, aliam longe faciem induit. Ad *Philippum* Aurelianensem summa rerum devolvebatur. *Noaillius*, caput collegii, quod res sacras dirigebat, constituebatur; illi igitur, qui constitutioni adversabantur, animum receperunt. Equidem omnia tentabantur, quo pax tandem restitueretur, sed negotiationes felici successu carebant. Tandem Noaillius,

una

una cum aliis quatuor episcopis, a pontifice minus informato ad
Pag. 156- melius informandum, & ad futurum concilium provocabant. Philip-
191. pus interea Sardiniam pariter atque Siciliam occupaverat, quo Imperator pacem cum Turcis inire cogebatur. Hoc facto, expeditionem contra Hispanos suscepit, eosque ex insulis occupatis eiecit. Molitiones Philippi minus placebant Clementi, quod Imperator victorias suas adversus Turcas longius prosequi potuisset; & quoniam Alberonius regem ad hoc bellum incitasse dicebatur, postulantibus pacifcentibus, omnibus suis dignitatibus in Hispania excidit, & regno excedere iussus, sero tandem libertatem Romam eundi
192-199. impetravit. A. 1719. pontifex decretum, quod dicitur *pastoralis officii*, in Galliam misit, eosque omnes, qui ulterius constitutionem *unigenitus* accipere detrectarent, ab ecclesiae communione seiunxit: verum etiam ab hoc, qui in adversa erant parte, provoca-
200-203. bant. Praeceperat pontifex, superiore tempore, missionariis in Sinensium imperio, ut recens conversos a superstitiosis ritibus abducerent: cum autem mandato hoc parum effectum esset, ad Imperatorem Sinensem ablegavit *Carolum Ambrosium Mezzabarbam*, tanquam vicarium apostolicum, & legatum a latere. Is initio quidem benigne ab Imperatore fuit exceptus, sed cum finem legationis eius rescisceret, animum a mutationibus illis alienum satis ostendit, etsi bullam pontificiam
207-220. Mezzabarba publicaret. Episcopi Galli tandem declaraverunt, qua
222-227. via pax reduci posset: sed Noallius omnibus obstitit. Philippum Clemens induxit, ut Mauros, Ceutam obsidentes, adgrederetur, quod tam fortiter ab eo factum legimus, ut non multo post
230-231. urbs ea libera esset ab hostibus. Tandem laboribus ac morbis fractus Clemens, cum antea epitaphium breve ac simplex sibi scripsisset, d. 19. Mart. 1721. de hac vita decessit, a. 71. m. 7. & 27. dieb. vivendo impletis.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLVI.

REMARKS ON ECCLESIASTICAL HISTORY

i. e.

OBSERVATIONES HISTOR. ECCLESIASTICAE.

Διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας.

Londini 1751. III. Vol. Alph. 4. in 8.

Observationum historicarum copiam tantam nondum esse, ut addi illis nihil novi possit, præstantissimi operis, quod iam indicamus, exemplo evinci luculenter, aliaque omnia edoceri posse existimamus. Ea enim huius libri est conditio, ut multa exhibeat, quæ in re Christianorum antiqua, vel minus recte adhuc intellecta erant, vel non ita, uti par erat, explicata. Auctor harum observationum, *Iohannes Iortinus* est, qui Londini sacris curandis præest, aliisque doctrinæ speciminibus, ut Dissertationibus super religione christiana, & observationibus miscellaneis, anglico idiomate scriptis, celebre iam inter eruditos nomen nactus est. Non eo autem animo hasce conscripsit observationes *Iortinus*, ut in omnem coetus purioris historiam inquireret, sed ut ea potissimum exinde delibaret, quæ ad stabiliendam confirmandamque religionis christianæ veritatem facere inprimis viderentur. Hinc mira rerum hoc libro propositarum, omisso temporis ordine, enata est varietas, quæ ad præstantiam operis ipsius augendam multum conferre videtur. Quum itaque dignissimus omnino sit liber Iortini, qui curatius per-

 penda-

pendatur, faciemus iam periculum, & potiora obſervationum
momenta indicabimus, ut, quantum huic operi ſtatuendum
ſit pretium, a quovis intelligi facile ac diiudicari recte poſſit.
Pag. 1. *Tomo* I. Cl. Auctor ipſa rei chriſtianæ incunabula conſiderat,
quantumque religioni propagandæ Imperii Romani conditio
3. tunc temporis profuerit, exponit. Tiberius enim Imperator, libidini aliiſque ſceleribus deditus, rem chriſtianam parum
curabat. Quare haud probabile videtur eſſe, quod chriſtiani
olim credidere, eum inter Deos referre Chriſtum voluiſſe.
8. Suetonio enim teſte, fuit *circa Deos negligentior: quippe addictus mathematicae, perſuaſionisque plenus cuncta fato agi*, putabatur.
Nero quidem ex urbe chriſtianos pepulit, ſed propter eiusmodi crimina hoc fecit, quorum nulla in ipſis culpa depre-
9. hendebatur. *Malefici* enim a Suetonio appellantur chriſtiani,
quia, quæ de miraculis divinis forte audiverant gentiles, ma-
10. gicis tribuebant artibus. Hac occaſione locus Iuvenalis,
Sat. XIII. v. 64. a Iortino ita emendatur, ut pro *mirandis*
ſub aratro piſcibus inuentis, ponatur *miranti* ſub aratro; quemadmodum eadem Satyra talia occurrunt loquendi genera: irato
ſiſtro, & eſuriens ramus olivæ: deinde pro gurgitibus *miris*, legendum putat Auctor gurgitibus *miniis*, i. e. ſanguineis. Sed
nondum probata ſatis hæc nobis videtur emendatio; neque
enim, cur a recepta uſu lectione recedendum ſit, adparet.
12. Anno poſt reſurrectionem Chriſti quadrageſimo excidium
Hieroſolymæ accidit, a cuius eventu veræ religionis auctoritas
20. omnis pendebat. Optimus enim Servator, factum illud, pro
ſumma, qua pollebat, rerum futurarum ſcientia, prædixerat; quod ſi non eveniſſet, conclamatum eſſe de religione
31. videri potuerat. Sed bene ſe res habet. Omnia enim ita,
uti a Chriſto pronuntiata ſunt, eveniſſe novimus. Effata autem hæc, iam ante Hieroſolymam exſciſſam extitiſſe, libri Novi
Foederis, ab Apoſtolis eorumque diſcipulis litteris conſignati,
41. teſtantur. Quorum quidem Scriptorum & interna conditio,
43. & externæ etiam res circumſtantes, ſatis ſuperque indicant,
46. ea ab hominibus illis, quibus tribuuntur, profecta eſſe. Ex

historia

hiſtoria enim eccleſiaſtica notum eſt, Iohannem, lectis tribus
prioribus evangeliis, & approbatis, ſupplementi loco ſuum ad-
didiſſe. Doctores etiam, quos patres vulgo appellant, pri- Pag. 50.
mis poſt C. N. ſæculis, ad ſcripta N. F. provocant. Viri enim 56.
apoſtolici, Clemens, Barnabas, Hermas, Ignatius, & Poly-
carpus, multa ex evangeliis & epiſtolis loca ſæpenumero exci-
tant. Immo hæretici v. c. Gnoſtici, Cerinthiani, Ebionitæ, 60.
Baſilidiani, & Carpocratiani, plerisque N. F. libris aſſenſum
præbebant, iisque nonnunquam ad defendendos errores ſuos
abutebantur. Quodſi quis contra veritatem vaticinii huius 87.
ex eo dubium moveat, quod non ad verbum evenerint, quæ
Chriſtus de lapide ſuper lapidem non relinquendo prædixit:
reſponderi recte poteſt, hoc ad figuratum pertinere dicendi
genus; ſed ne hoc quidem dubitantibus concedi opus eſt. 88.
Euſebius enim, ſcriptor fide dignisſimus, affirmat, ſe oculis
ſuis vidiſſe τὴν πάλαι βοωμένην Συὸν ζεύγεσι βοῶν ὑπὸ Ῥω-
μαίων ἀνδρῶν ἀρουμένην, celebratam antiquitus Sion, iunctis
bubus, a Romanis arari.

Iam ad vaticinia V. T. in univerſum pervenit Cl. *Iorti-* 90.
nus, quantoque ea humano generi emolumento fuerint, per-
ſpicue docet. Deinde in ea præcipue inquirit effata, quæ de 164.
Mesſia pronuntiata putantur. Quatuor horum genera eſſe 180.
affirmat Auctor: 1) meras accommodationes, quæ ab Apo-
ſtolis factæ ſint; 2) vaticinia expreſſa, quæ de Mesſia ſolo 182.
explicari debeant; 3) typos, ſeu eiusmodi facta V. T. quæ Ser- 183.
vatorem futurum reſpexerint; 4) eiusmodi vaticinia, quæ du- 188.
plicem patiantur explicationem, & typis fere adnumeranda
ſint, quale eſt Deut. XVIII. 18. ubi ex accurata Chriſti &
Moſis comparatione, ſermonem de Mesſia eſſe adparet.

In reliquis Tomi primi obſervationibus, conſtitutiones apo- 200.
ſtolicæ, ſcripta patrum apoſtolicorum, & libri Sibyllini exami-
nantur, & quid ſentiendum de his omnibus ſit, erudite demon-
ſtratur. Sed data opera de his dicere omittimus: tum quod
nimis longum foret tradere ea, quæ ad diiudicandum ſuffi-
cere poſſent; tum quod ita cohæreant omnia, ut ex illis depromi
ſumma aliqua vix queat. Ad alterum potius harum obſer-

 vatio-

vationum volumen progredimur, & quæ memoratu digna
maxime ibi reperiantur, dispiciemus. Primo loco de mira-
culis, quæ religionis veritatem insigniter comprobant, non-
Pag. 3. nulla profert *Iortinus*. Potiora, quibus fides illorum mira-
5. culorum nititur, momenta, hæc sunt: 1) publicis in locis ple-
rumque fiebant; 2) ab hostibus veritatis conspici poterant;
3) ad confirmandam doctrinam humano generi maxime pro-
ficuam peragebantur; 4) ingens eorum numerus erat; 5) multi-
10. que testes pro veritate mortem obibant; 6) neque ab ipsis Chri-
sti adversariis facta negabantur, sed malis tantum caussis ef-
12. ficientia isthæc perperam tribuebatur, quæ tamen, ob doctrinæ
præstantiam, nonnisi a spiritu perfecto proficisci poterat.
40. Miracula, quæ post Apostolorum ætatem producta perhi-
bentur, eandem non merentur fidem. Multi inter eruditos,
uti van Dale, Moylius, alii, de certitudine horum miraculorum
47. plane dubitarunt: sed frustra in eo esse videntur. Quodsi
primorum christianorum vita, mores, ac probitas conside-
rentur, certe dubitari non potest, facta nonnunquam inter
eos esse miracula, quæ fide digna sunt, nullamque fraudem
56. produnt. Quamdiu vero duraverint vera miracula, fini-
ri curate non potest. Optima sine dubio eorum est senten-
tia, qui, qua fidem, quam merentur, miracula, in quatuor ea
69. dispescunt temporum periodos, ita quidem, ut prima eorum
75. epocha verissima Christi apostolorumque complectatur mira-
cula; secunda ad initium seculi II. pertingat, & eiusmodi
80. comprehendat miracula, quæ probabilitate summa adhuc gau-
dent; tertia vero horum periodus usque ad Constantini M.
tempora sit proroganda, & nonnulla contineat miranda, quæ
neque affirmari, neque negari in universum possunt; &
92. ultima denique miraculorum ætas nullis limitibus circumscri-
benda existat, ubi tamen fabulis ac fictitiis plerumque mira-
culis plena sunt omnia, fraudibusque ita scatent, ut,
quid verum fortasse adhuc illis insit, reperiri nullo modo
possit.
150. Ad legionem fulminatricem mox devenit Auctor, &, quid
163. sentiendum ea de re sit, luculenter enarrat. Inter omnes
constat,

constat, Imperatorem Marcum Aurelium, in bello contra Quados gesto, tempestate aliqua præter expectationem exorta, ab hostibus esse liberatum. Gentiles quidem rem istam magis suis, Christiani contraria ex parte precibus ad Deum O. M. missis, miraculum illud tribuere. Atque hac ratione historia de legione ista fulminatrice efficta videtur esse, de qua Eusebius ipse scribit: ταύτα μὲν ὅπη τὶς ἐθέλει τιθέσθω. Pag. 176. 189.

His enarratis, super Origene ac Gregorio Thaumaturgo non- 234.
nulla disputat Iortinus, & in ea præsertim inquirit, quæ de his 246.
summis viris, malo plerumque in eos animo, traduntur; ac deinde hæresin, quæ a Manichæis nomen sortita est, explicat, & 250.
veram eius indolem, quantum sine partium studio fieri poterat, mirifice commonstrat. Difficile profecto est, de hæreticorum istorum sententiis & opinionibus recte iudicare, quum omnia, quæ de illis novimus, ab eorum adversariis profecta sunt, qui maximo & implacabili in eos odio incensi, in hoc potissimum omnem posuere operam, ut quibus possent modis, invidiam hæreticis istis pararent.
Manes enim, Apostolum se ac Prophetam eo consilio a Spiritu S. 256.
missum, ut religionis nævos emendaret, iactaverat. Hinc 260.
divinam litterarum sacrarum originem negabat, aliosque earum loco libros divinitus scriptos proponebat. Deum extensum putabat, ac præter eum principium aliquod malum, a quo omne malorum genus in mundo oriretur, statuebat.
Malum autem principium non pro vero, ut a Christianis 267.
perperam credebatur, habebat numine; sed unicum tantummodo colebat Deum, cultumque malorum dæmonum ma- 272.
gnopere detestabatur.

Atque hæ sunt præcipuæ Tomi secundi observationes, præter quas, sub finem eius voluminis, variæ atque lectissimæ reperiuntur accessiones & emendationes dictorum quorundam, quæ Tomo I. vel plane omissa, vel minus accurate erant prolata. At enim, mittamus de his dicere, quum brevissima plerumque omnia sint, neque ita comparata, ut decerpi ex illis aliquid apte possit: ad volumen tertium potius accedamus. Prima hoc loco observatio, apparentem Constantino M. crucis

figuram ſpectat, ſuper qua multa ab eruditis diſputata ſunt.
Pag. 2. Nonnulli enim, inter quos Fabricius eminet, phænomenon
naturale, halonem ſcilicet, crucis inſtar fuiſſe exiſtimant. Hinc
inſcriptionem, qua inſignita crux iſta perhibetur, pro corona,
victoriæ ſigno certisſimo, habent, & vocabulum γραφὴν,
3. quod ab Euſebio hoc loco adhibetur, non de vera explicant
ſcriptura, ſed meram deſignare rei cuiusdam imaginem ac
10. ſpeciem putant. At enim in diverſa ire videmus alios, qui
verum fuiſſe miraculum pronuntiant, & γραφὴν λέγουσαν
per litteras veras explicant. Quæ quidem ſententia, quamvis habeat præ reliquis, quo ſe commendet; nondum tamen
ita probata ſatis videtur eſſe, ut dici in contrarium nihil posſit,
nullusve dubitationi cuidam locus relinquatur.

30. Circa eadem Conſtantini tempora, hæreſis Ariana, quæ per
eccleſiam diu multumque graſſata eſt, oriebatur, tantisque animorum motibus utrinque diſceptatum fuit, ut componi lites
50. iſtæ nulla ratione poſſent. Imperator quidem Conſtantinus
Concilium Nicænum eo conſilio convocabat, ut, quid de Ariana ſententia ſtatuendum ſit, recte pronuntiaretur. Sed non
61. reſpondit eventus, quin potius finito Concilio iſto, maiora in dies
100. incrementa capiebat res Ariana. Hinc Cl. Iortinus, ſuper
conciliorum natura & effectu, multa lectu dignisſima profert,
quibus auctoritas eorum indubitata mirum in modum labefactari poſſe videtur.

139. Eodem modo miraculum illud, quod Conſtantini ætate accidiſſe fertur, detecta nimirum Chriſti crux, variis anſam præbuit fraudibus, cultusque huius ligni plane impius mox
ita crevit, ut crasſisſima exinde idololatria oriretur. Præcipua itaque circa hanc rem quæſtio in eo verſatur, num crucis illius inventio aliquot poſt mortem Helenæ annis efficta
demum fuerit, an Helenæ ipſi fraudis huius culpa ſit tribuen-
146. da? Horum certe prius maximam probabilitatis ſpeciem præ ſe
ferre videtur. Quodſi Helena crucem reperiſſet, Euſebius
ſine dubio factum tam inſigne non reticuiſſet. quum inven-
150. tum Chriſti ſepulcrum ab eo prædicetur. Helena præterea, octogenaria fere, iter Hieroſolymitanum ſuſcepit, ideoque
ſi

ſi tunc temporis omnino eveniſſet, ab aliis facilius decipi potuerat, quam ut ipſa ad fraudem faciendam apta fuerit. Præter haſce, aliaſque nonnullas ſuper eiusmodi rebus dubiis obſervationes, de Scriptoribus etiam ipſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ, Euſebio nimirum, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Pag. 135.
Evagrio, ſcriptisque eorum, multa erudite diſputat, quidque 198-200.
de uno quoque horum ſentiendum ſit, luculenter declarat Ior- 202.
tinus. Ultimo denique loco, duæ in hoc opere præſtantisſimo occurrunt obſervationes ſatis prolixæ, quarum altera, 247.
triſtisſima tyrannorum, qui religionem chriſtianam infeſtarunt, fata, curatius deſcribuntur; altera vero de Iudæis agitur, eorumque hiſtoria ad hunc uſque diem deducitur. Inter alia, quæ hic a Iortino traduntur utilia, ea præcipue notanda videntur, quæ de cauſſis proferuntur, cur Iudæi tam difficulter chriſtianam amplectantur religionem? quamque ob rem, ſi effata Scripturæ S. recte explicentur, ſperandum adhuc tempus ſit, quo inſignis emendatio, & felicior pertinaciſſimorum iſtorum hominum conditio, eveniet.

Atque hæc fere ſunt, quæ ſuper præclaro *Iortini* libro iſthoc ſcribere, e re lectorum putavimus. Quibus quidem ex dictis quum aliquo ſaltim modo adpareat, quam mirifice rei chriſtianæ hoc libro conſuluerit Iortinus; ita ſperamus quoque, ac confidimus omnino, fore, ut finis, quem Auctor huius operis præfixum habuit, certisſime obtineatur, omnesque exinde diſcant profani, quam vani eorum in rem chriſtianam ſint conatus, & quam firmo contra divina ſacrarum litterarum auctoritas nitatur fundamento.

TRAITE DES ARBRES ET ARBUSTES QUI SE CULtivent en France, en pleine terre, &c.

i. e.

DE ARBORIBUS ET FRUTICIBUS,

per

per Gallias libero solo vegetantibus, Liber, Dom. du HAMEL du MONCEAU &c.

Parisiis 1755. apud Guerinum & Delatour, cum Privil. Regis.

Tomi II. Alphab. 2. plag. 2. c. fig. æn. 139. in 4.

Arbores & frutices, corpus lignosum, & gemmæ e cortice erumpentes, tanquam foliorum florumque ovula aut involucra, definiunt, & a ceteris plantis, quas ob mollitiem, & quod caulem hyeme deiiciunt, herbas dicimus, distinguunt. Suffrutices denique vocant plantas, quibus corpus lignosum est, sed gemmæ adsunt nullæ. Excellens Auctor, arborum & fruticum, seu arbusculorum, veluti vox gallica sonat, seriem, in latum extendit, & plantas, quibus lignosior caudex est, etiamsi illæ gemmas haud ferunt, veluti absinthium, asparagum, abrotanum, chenopodium, atriplicem, sub arbusculis comprehendit. Igitur non potest non dicendorum numerus esse amplissimus: multorum annorum labor hoc libro sistitur, nec tantum de herbis, quas Gallia fert, lignosioribus, & arboribus, vere ita compellandis, sed & illis, quas, sub diverso coelo natas, solum Galliæ nutrit, nec solummodo eruditionis, sed & utilitatis causa scriptum est. Namque, si quæ ex arboribus ad rem nauticam, ad oeconomiam, ad horticulturam, faciunt, diversis contemplationibus sistuntur. Omnium ordines exponuntur quam curiosissime. Etsi enim Liber alphabetico ordine concinnatus est, ut in ista serie, etiam plebeii, qui methodum non capiunt, rem quæsitam invenire possint: attamen sub ipso operis limine, subtiliori characterum expositione, quæ philosophum delectare possint inveniuntur largiter. Namque tres potissimum sunt conspectus, sub quibus plantarum suarum affinitates Auctor considerat. Alter ex floribus, alter ex fructibus, ex foliorum specie tertius desumtus est. Primus ordo sistit arbores fruticesque, veluti florendi modo conveniunt. Ita autem natura sese in multiplicandis stirpibus, iisdemque propagandis, gessit, ut cau-

sas

ſas fructuum, flores, eſſe voluerit duplices, quorum alii agerent, paterentur alii. Illi maſculi, hi feminei ſunt: utriusque generis flores vel ſingulares ſunt, vel invicem mixti, eidemque corollæ immerſi; & feminei quidem flores ubique fructus rudimentum ſiſtunt, ſcilicet *piſtillati*, cum, qui maſculi ſunt, *flaminei* dicuntur. Igitur arbores etiam & frutices hoc ita habent, ut, duplici de cauſa in diverſis floribus vel florum partibus recondita fructificent: namque ex illis ſunt, quibus flos maſculus & ſtamineus atque flos piſtillatus & femineus in diverſo ſtirpis eiusdem loco collocatus eſt, quando aliis uterque flos in diverſa ſtirpe ſiſtitur; quo titulo, arbores quasdam, uti *Quercum, Lentiſcum, Fraxinum, Hypophaen*, mares & feminas, appellare ſolemus, quandoquidem in una ſtirpe flos, in altera fructus eſt. Denique ſunt arbores, quarum cauſæ fructificantes ſub uno complexu hærent, ut eadem corolla utrumque florem comprehendat, quem propterea hermaphroditam dicimus: hac lege naturæ, ad ductum Celebris *Linnaei*, tribus clasſibus vegetabilia duriori compage prædita, non ſecus ac reliquæ plantæ, diſpeſcuntur in familias, quas ſiſtimus.

PRIMA CLASSIS

Arborum & fruticum floribus maſculis & femineis, diſtinctis, uni vel diverſæ ſtirpi inhærentibus.

SECTIO PRIMA.
In diverſa ſtirpe.

I) Duobus ſtaminibus.

uno piſtillo, *Salix.*

II) Tribus ſtaminibus.

uno piſtillo, Caſia, *oſyris* LINNAEI.

III) Quatuor ſtaminibus.

uno piſtillo, Rhamnoides, *Hippophae* LINNAEI.
uno ſtigmate, Viſcum.
duobus ſtilis, Gale, *Myrica* LINNAEI.

IV) Quinque ſtaminibus.

Tribus ſtigmatibus.
Terebinthus. } *Piſtacia* LINNAEI.
Lentiſcus. }
uno piſtillo, Siliqua, *Ceratonia* LINNAEI.

V) Sex ſtaminibus.

Smilax. 3 ſtilis.	Fogara, variantibus ſtaminibus, 5 piſtill.
Gleditſia. 1 piſtillo.	Aſparagus, 1 piſtill.
ZanthoxylumLINN.	

VI) Staminibus octo.

Populus, 1 piſtill.

VII) Decem ſtaminibus.

Coriaria. 5 piſtillis.

VIII) Duodecim ſtaminibus iunctis.

Iuniperus. }
Cedrus. } *Iuniperus* LINN. 3 ſtigm.
Sabina. }
Taxus. 1 ſtigm.
Ruſcus. 1 piſtill.
Ephedra. 2 ſtil.

SECTIO SECUNDA.

Floribus maſculis & femineis ſuper eandem ſtirpem.

I) Staminibus quatuor.

Alnus. } *Betula* LINN. 2 ſtil. Betula. }	Morus. } 2 ſtil. Buxus. }

II) Staminibus duodecim, pluribus.

Quercus. } *Quercus* LINN. Ilex. } Suber. }	Corylus. plur. ſtil. Carpinus. 2 ſtil. Platanus. 1 piſtill.
Nux, *Iuglans* LINN. plur. ſtil.	Liquidambra. 2 ſtil.
Fagus. } *Fagus* LINN. 3 ſtil. Caſtanea. }	

III)

III) Staminibus unitis.

Pinus. Abies. Larix. } *Pinus* LINN. 1 stil.	Cupressus. *sine pistillo.* Thuya. *2 stilis.*

SECTIO TERTIA.

Floribus hermaphroditis, masculis, femineis, eidem stirpi, sed distincto loco, inhaerentibus.

Atriplex. *1 stil.*	Fraxinus. *1 pistill.*
Empetrum. *1 stil.*	Celtis. *2 stil.*
Acer. *1 stil.*	Alaternus, *Rhamnus* LINN. *3 stigm.*

CLASSIS SECUNDA.

Flore hermaphrodito unius petali.

SECTIO PRIMA.

Flore campanulato, vel Infundibiliformi.

I) Duobus staminibus, uno pistillo.

Lilac, *Syringa* LINN.	Phillyrea.
Iasminum.	Olea.
Ligustrum.	Chionanthus.

II) Quatuor staminibus, uno pistillo.

Burcardia, *Callicarpa* LINN.	Elæagnus.

III) Quatuor staminibus, quatuor pistillis.

Aquifolium, *Ilex* LINN. *4 stigmata.*

IV) Quinque staminibus, uno pistillo.

Azalea. Periclymenum. Xylosteum. Symphoricarpus.	} *Lonicera* LINN. Belladonna *Atropa* LINN.	Iasminoides. *Lycium* LINN. Solanum. Pervinca, *Vinca* LINN. Nerium. Sideroxylum.

V) Quinque staminibus, uno pistillo.

Periploca.	Ulmus.

VI) Quinque ſtaminibus, tribus piſtillis, ſeu tribus ſtigmatibus.

Tinus. *3 ſtigm.*	Opulus. *3 ſtigm.*
Viburnum. *3 ſtigm.*	Sambucus. *3 ſtigm.*

VII) Sex ſtaminibus, tribus ſtigmatibus.

Yucca.

VIII) Octo ſtaminibus, uno piſtillo.

Thymelæa. *1 ſtigm.*	Thymelæa.	Erica.
Paſſerina.		Vitis idæa, *Vaccinium* Linn.
Daphne.		Guaiacana, *Dioſpyros* Linn.

IX) Decem ſtaminibus, uno piſtillo.

Chamærhododendron, *Rododendron.* Linn.	Uva urſi.
Arbutus.	Gualteria.

X) Pluribus decem ſtaminibus, calyci affixis.

Styrax.

SECTIO SECUNDA.

Fiore Monopetalo irregulari, galeato, barbato, perſonato.

I) Duobus ſtaminibus, ſeminibus quatuor.

Roſmarinus.	Salvia.

II) Quatuor ſtaminibus, duobus longioribus, duobus brevioribus, ſeminibus quatuor.

Teucrium.	*Teucrium* Linn.	Lavandula.	*Lavandula.* Linn.
Chamædrys.		Stoechas.	
Thymus.		Phlomis.	
		Hyſſopus.	

III) Floribus hermaphroditis irregularibus, 4 ſtaminibus, duobus longioribus, duobus brevioribus, ſeminibus capſulæ incluſis.

Bignonia.	Vitex.

IV) Quinque ſtaminibus, bacciferæ.

Caprifolium.	*Lonicera* Linn.
Chamæceraſus.	
Diervilla.	

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Flore monopetalo regulari in caput collecto, flosculoso vel semiflosculoso.

I) Quatuor ſtaminibus, uno piſtillo.

Globularia.	Cephalanthus.

II) Floribus hermaphroditis & femineis, hermaphroditis, quinque ſtamina unum piſtillum habentibus.

Abrotanum. Abſinthium. } *Abrotanum* LINN.	Baccharis, *Senecio.* TOVRNEF.
	Othonna.

III) Floribus hermaphroditis, ſolis, ſingulis quinque ſtamina unum piſtillum habentibus.

Santolina.

IV) Floribus hermaphroditis, ſolis, ſtaminibus duodecim, pluribus, uno piſtillo.

Acacia, *Mimoſa* LINNAEI.

V) Floribus maſculis & femellis, ſub involucro ſuccoſo occultis.

Ficus.

TERTIA CLASSIS.

Flore hermaphrodito polypetalo.

SECTIO PRIMA.

Flore regulari.

I) Tribus ſtaminibus, uno piſtillo.

Chamælea, *Cneorum* LINNAEI.

II) Tribus ſtaminibus, duobus ſtilis.

Arundo.

III) Quatuor ſtaminibus, uno piſtillo.

Cornus.	Ptelea.
Evonymus.	

IV) Quatuor ſtaminibus, duobus piſtillis.

Hamamelis.

 V) Quin-

V) Quinque ſtaminibus, uno piſtillo.

Rhamnus. } Rhamnus LINN.	Vitis. *1 ſtigm.*
Frangula. } *3 ſtigm.*	Groſſularia. *Ribes* LINN.
Itea.	Evonymoides, *Celaſtrus* LINN.
Hedera.	

VI) Quinque ſtaminibus, duobus ſtilis.

Zizyphus, *Rhamnus* LINN.	Bupleurum.
Chenopodium.	

VII) Quinque ſtaminibus, tribus ſtilis vel ſtigmatibus.

Paliurus, *Rhamna* LINNAEI.	Tamariſcus, *decem quandoque ſtaminibus.*
Rhus. } *Rhus* LINN.	Staphylodendron, *Staphylaea* LINN.
Toxicodendron. } *Rhus* LINN.	Granadilla *Paſſiflora* LINN.
Cotinus. } *Rhus* LINN.	

VIII) Quinque ſtaminibus, quinque piſtillis.

Aralea.

IX) Sex ſtaminibus, uno piſtillo.

Berberis.

X) Sex ſtaminibus, tribus piſtillis.

Meniſpermum.

XI) Septem ſtaminibus, uno piſtillo.

Hippocaſtanum, *Eſculus* LINNAEI.
Pavia.

XII) Octo ſtaminibus.

Ruta.

XIII) Octo ſtaminibus, tribus ſtilis.

Polygonum, Atraphaxis.

XIV) Novem ſtaminibus, uno piſtillo.

Laurus.

XV) Decem ſtaminibus, uno piſtillo.

Azedcrach: *Melia* LINNAEI.	Ledum. LINN.
Clethra.	Molle.

XVI) Decem ſtaminibus, duobus piſtillis.

Hydrange.

XVII)

XVII) Staminibus duodecim, pluribus, calyci affixis, uno pistillo.

Myrtus.	Prunus.
Punica.	Armeniaca.
Persica. } Amygdalus	Cerasus. } Prunus LINNAEI.
Amygdalus. } LINN.	Laurocerasus.

XVIII) Staminibus duodecim, pluribus, calyci affixis, tribus quatuorve stilis.

Syringa, *Philadelphus* LINN.	Pyrus.
Crataegus.	Malus. } Pyrus.
Sorbus.	Cydonia.
Mespilus.	Spiraea. *3 pistill.*

XIX) Staminibus duodecim, pluribus, calyci affixis, indeterminato stilorum & pistillorum numero.

Rosa.	Rubus.
Butneria.	Pentaphylloides, *Potentilla* LINN.

XX) Staminibus duodecim, pluribus, pistillo unico affixis.

Capparis.	Stewardia.
Tilia.	Grewia.
Cistus.	

XXI) Staminibus duodecim, pluribus, pistillo affixis, indeterminato pistillorum numero.

Tulipifera, *Liriodendron* LINN.	Anona.
Magnolia.	Clematitis.

XXII) Staminibus duodecim, pluribus, in unum corpus unitis, quinque stigmatibus.

Ketmia.

XXIII) Staminibus duodecim, pluribus, in plura corpora concretis, duobus stilis.

Androsaemum, *Hypericum* LINNAEI.

XXIV) Staminibus pluribus, duodecim, in plura corpora iunctis, quinque stilis.

Hypericum.	Ascyrum.

SECTIO

SECTIO ALTERA.

Floribus polypetalis, irregularibus, decem staminibus.

Spartium, Genista LINNAEI.	Pseudo Acacia. *Robinia* LINN.
Genista, *Spartium* LINN.	
Genista Spartium, *Ulex* LINN.	Coluthea.
Cytiso Genista, *Spartium* LINN.	Tragacantha.
Cytisus.	Barba Iovis, *Anthyllis* LINN.
Anonis.	
Emerus } LINNAEI.	Siliquastrum.
Coronilla } LINNAEI.	Amorpha.
Anagyris.	

Arboribus fruticibusque ita ordinatis, clarus Auctor paginam vertit, & naturæ opus sub alio rimatur intuitu, suosque ordines ex fructibus eorumque compage vel numero metitur. Namque quibus nuda sint semina, quibus eadem sint calyptris vel succosis vel membranaceis involuta, quot semina ex pistillo fiant, an unum an duo, an tria, an quatuor, an plurima, quot sint involucrorum semina in se comprehendentium sectiones aut vascula, describitur: qua in re Clarus Auctor Morisonum, Raium, Hermannum, Auctores habuit. Ne autem videretur ubique assentiri exteris, aut nimium Linnæo in ordinibus florum stabiliendis tribuere, Summi Viri, Tournefortii, inter Gallos, interque omnes, qui illo tempore rem herbariam scriptis illustraverunt, facile principis, notiones ubique immiscuit. Denique foliorum formas singulariter intuitus Clarus Vir est, easque concinno ordine digessit, quæ simplicia, quæ composita, bifolia, trifolia, quinquefolia, quæ digitata, angulosa, coniugata essent, considerans. Etiamsi enim foliorum contemplatio genera non definit, illa tamen haud obscure delineat, vel illustrat. Veluti igitur eruditioni satisfactum est, ita & utilitati: namque sub unius cuiusvis arboris titulo, qua re stirps aliqua rempublicam vel oeconomiam iuvare, atque vel commodo vel oblectamento esse possit, clare exponitur, & uniuscuiusvis Icon toto habitu, hinc floris & fructus character, sub fronte cuiuslibet tituli, imagine,

imagine, ſiſtitur; dignus omnino liber, qui vel ſubtilitatem, vel ipſam rem in hiſtoria arborum ſectantibus, inter familiares habeatur, maxime illis utilis futurus, qui, cum literati ſunt, rure una vivunt, quibus lectione huius operis nihil eſſe poterit iucundius.

RECHERCHES SUR DIFFERENS POINTS IMportants du Syſtéme du monde, &c.

h. e.

PERVESTIGATIO GRAVISSIMORUMQUORUNdam Syſtematis mundi momentorum, &c. Auctore Dom. d' ALEMBERT, rel.

Pariſiis, 1754. 4.
Tom. I. Alphab. 1. plag. 21. *Tom. II.* Alphab. 1. plag. 13. cum 3 Tab. æn.

Celeberrimus Auctor, de omnibus Philoſophiæ partibus, editis de Dynamica, de motu aquarum, de motu corporum in mediis reſiſtentibus, de ventorum motu & cauſis, de æquinoctiorum præceſſione, luculentis operibus, aliiſque ſchediaſmatibus, quibus vel commentarios academiæ ſcientiarum regiæ, vel diaria eruditorum ſubinde exornavit, immortaliter meritus, hoc eruditiſſimo atque profundæ ſcientiæ præclaro documento, univerſam Neutoni philoſophiam coeleſtem egregie illuſtrat, & amplificat. Tribus libris, quæ indefeſſo labore, atque incredibili ſagacitate, de mundi ſyſtemate meditatus eſt, exponens, primum lunæ motibus tribuit, duobus reliquis præcipua ſcientiæ aſtrorum momenta complexus. Omnibus quidem reconditorum ſcientiæ aſtronomicæ capitum ſcrutatoribus conſtat, iam alios doctiſſimos mathematicos, poſt monſtratam a Neutono viam, multa contentione ac ſtudio in evolvendis atque accurate definiendis lunæ motibus occupatos fuiſſe: nemo tamen, ut doctiſſ. Alembertus, preſſo pede Neutoni veſtigia ſecutus, ſcientiæ incremento ita liberaliter conſuluit; cum diverſas vias, licet non

improbandas, alii atque alii ingressi, practicæ astronomiæ cultoribus, inventis ipsorum usuris laboriosam valde atque incommodam operam imposuerint. Doctissimus Auctor, in hoc primo de lunæ motibus libro, pergit, ubi Neutonus substiterat, sicut ipse hic summus Geometra, telam in geometria exorsus ubi Cartesius finierat, scientiam hanc ad illud fastigium evexit, quod multa admiratione iam suspicimus. Dignitatem argumenti commendare opus non est, cum a pluribus iam annis, primi ordinis mathematici, in perficienda lunæ theoria, inprimis Neutoniana, unice occupentur, atque certum sit, accuratam longitudinum in ipso quoque mari inventionem, a lunarium tabularum præstantia ac virtute pendere. Quam igitur lectori nostro debemus, limatissimi huius atque reconditis geometriæ fulcris inædificati operis notitiam, non melius atque concinnius, quam ipsis acutissimi Alembertii verbis, ex præmisso præfamine impertiemus, quo instituti sui rationem & scopum, singulari sermonis nitore ac perspicuitate explicat. Hunc enim in omnibus, quæ evulgavit, supra laudatis operibus, morem semper tenet, ut præmissa diserta ac perspicua præfatione, liberali certe consilio, illorum quoque commodis & studiis inserviat, qui siderum motus observantes, aut scientiæ amore capti, non abditos tamen geometriæ recessus, quos cum Auctore nostro summi nostrorum temporum mathematici scrutati sunt, sibi familiares habent; aut quibus tædiosos, algebraicos imprimis, calculos tractare non vacat. Sic Neutonum quoque olim statuisse, æquum esse ut communi reipublicæ litterariæ commodo consulatur, meminimus, qui immortalis, de philosophiæ naturalis principiis mathematicis, operis librum tertium, methodo populari se primum scripsisse ait, ut a pluribus legeretur, qui sacris his ob geometricæ scientiæ defectum prohibentur. Commendatur nostri huius operis præfatio, singulari maxime atque raro in summis mathematicis dictionis nitore ac venustate, quæ Cel. Auctori ita familiaris est, ut summa cum lectoris voluptate, abstrusa scientiarum adyta perspicue adeo & dilucide explicet, ut illustris Fontenellii commentarios nobis legere videamur, quibus

quibus historiam profundarum academiæ regiæ parisiensis meditationum inimitabili artificio olim exposuit. Nullum in styli exasciata elegantia ac leporibus discrimen deprehendimus, cum satis tamen appareat, quod rei litterariæ peritis abunde constat, si non verborum selectu atque apparatu, certe rerum scientia ac profunda doctrina hunc Gallorum Ciceronem a doctiss. Auctore nostro longe superari. Non modo copiosam argumenti, in quo versatur, atque inventorum ad hæc spectantium vicissitudinis historiam, præmisso hoc discursu exhibet: sed viam quoque assidue commonstrat, qua progrediendum est, non in indagandis tantum siderum motibus, verum in stabiliendo etiam & consolidando totius scientiæ naturalis ambitu. Quod primi ordinis philosophi faciunt, singularem erga incomparabilem Neutonum reverentiam prodit, longe ab illorum moribus alienus, qui summi viri famam timidiuscule ac tecte se sugillare posse sibi gloriæ ducunt. Propter scientiæ vero integritatem, atque illorum usum, quibus ulterius progredi propositum est, quæ imperfecta ille reliquit, aut ubi humani aliquid passus est, candide ac modeste fatetur & indicat. Incorruptus tamen iustitiæ censor, ut suum cuique tribuatur, illud monere æquum iudicat, si eruditorum omnium ævi posterioris labores ad investigandam huius universi structuram iusta lance expendamus, hoc facile inventum iri, astronomiam physicam Gallorum industriæ longe plura, quam aliorum populorum collatæ operæ, debere. Illi enim sui iuris tabulas exhibent: impigra, & pertinacissimo studio continuata, in boream, austrum, & ad Caput bonæ spei itinera, ut disputatam diu terræ figuram omni exceptione tandem maiorem stabilirent: subtilem admodum atque indefessam operam Gallorum nostræ ætatis Hipparchi, Cel. Monnierii, quam a multis annis in observandis lunæ motibus collocavit: profundas atque industrias disquisitiones summorum mathematicorum, Maupertuisii, Bouguerii, & Clairaltii, quibus iure meritoque accensentur Cel. Auctoris de generali ventorum causa & motu dissertatio, summorum virorum suffragiis prædicata; præclaræ de præcessione æquinoctiorum meditationes, cuius ar-

dui profecto problematis solutionem genuinam primus omnium exhibuit; & ipsum denique, quod loquimur, magna ingenii vi magnoque acumine elaboratum, multaque mathematica eruditione superbiens opus. Hoc certissimum, atque historiae rerum ab eruditis gestarum peritis exploratum esse arbitratur, debere systema Neutonianum solida illa atque inconcussa fundamenta, quibus nostra demum aetate fultum est, industriae atque laboribus sociorum academiae regiae Parisiensis. Negari omnino nequit, mathematicas scientias singulis saeculis ita progredi, ut ultimis temporibus magis semper magisque illustrentur ac excolantur, cum patrum inventis nepotes nova subinde addant incrementa. Sed aequis rationibus eruditorum merita ita distinguere fas est, ne debita laude posteri defraudentur, qui relictas ab antecessoribus opes prudenter foenerati, suo ingenio ac solertia illas amplificarunt. Nuperrime quidem primi ordinis eruditus, in commentariis academiae reg. inscriptionum & elegantium litterarum, vindicaturus veterum scientiam & dignitatem a contemtu, quo nemo recte sapiens illis iniuriam fecit, omnem movit lapidem, ut nostrorum temporum inventa & gloriam pristinis saeculis adscriberet. Iam vero hac contentione, neque recentiorum laudi multum detraxit, neque veterum gloriam amplificavit, insignem potius famae suae atque eruditi nominis iacturam fecit. Cum itaque docti quidam vicini, gloriam Gallis debitam praeter meritum imminuere moliantur, ipsique cives nonnulli intempestivo pruritu honori patriae invidere videantur: in dubium profecto nequit vocari, nec omnia apud priores meliora, sed nostram quoque aetatem, quaedam artium & laudis incitamenta posteris tulisse.

Quia vero ex instituti nostri ratione, non inferioris tantum classis mathematicis inservire, sed reconditos in ipso hoc opere uberrimos doctrinae thesauros summis quoque viris invidere haud debemus, praescripta licet ingrata nobis, ob rerum quas praeterire oportet dignitatem, brevitate, compendium eius concinnare conabimur. Capite primo Cel. Alembertius vires explicat, quibus secundum Neutoni systema, luna

in

in orbita coercetur: ubi, neglecta aliorum in lunare corpus planetarum actione, trium duntaxat corporum, Solis, Lunæ, atque Terræ, actiones in se mutuas examinat. Solem tanquam immotum considerat, licet in mathematico rigore, terra cum luna ipsum nonnihil ex loco suo deturbet. Exiguus tamen adeo vis illius effectus est, ut astronomi nihil adhuc de illo per experientiam statuere ausi sint. Tardissimi tamen motus apsidum eius ellipsis, quam circa solem terra describit, rationem in calculo habere Cel. Auctori visum est. Novo autem, & a nullo astronomo adhuc adhibito instituto, non ipsam absolutam lunæ orbitam, sed proiectionem eius in planum eclipticæ investigat; cum hac ratione tabularum ope computum ineundo, locum lunæ in ipsa ecliptica confestim inveniamus, ut opus non sit, illum ex loco in orbita vera, cuius positio continuo mutatur, ad eclipticam demum reducere. Et cum hoc modo, Sol, Terra, & Luna, seu punctum in quo super eclipticam hæc proiicitur, in eodem sint plano, calculus in solvendo problemate trium corporum, ut vocant, insigniter contrahitur. Hisce præmissis, potentiam, qua luna a sole trahitur, secundum notas resolutionis virium regulas, in duas dirimit, alteram ψ, radio vectori in orbita lunæ parallelam, alteram ϖ, intervallo solis & lunæ in orbita lunæ proiecta perpendicularem. Hæc iam ante nota mathematicis theoremata, singulari tamen perspicuitate Cel. Auctoris, vestigiis Neutoni insistentis, atque concinnis formulis algebraicis illa exprimentis, commendantur. Ipsa igitur non addimus, sed litterarum valores, quibus infra utemur, præterire non licet. Vocat itaque T, L, & S, massam terræ, lunæ, ac solis: intervallum solis & lunæ curtatum $x = \frac{1}{u}$: distantiam solis a luna in plano eclipticæ Θ: distantiam lunæ a nodo in eodem plano V: tangentem inclinationis orbitæ lunæ ad eclipticam, eo quo calculus instruitur momento, M: intervallum solis & terræ B'. Porro, in orbita hac, in eclipticam proiecta, vocat intervallum puncti, a quo initium computi ducitur,

 a

a terra $a = 1$, celeritatem initialem g, ſinum anguli ſub quo initio motus corpus lunæ proiectum fuit, h. Iam orbitam a duabus potentiis ψ & π deſcriptam, unius potentiæ ae virtute deſcribi potuiſſe ſumit, atque porro loco ipſius ae definitum potentiarum ψ & π valorem ſubſtituendo, ipſam lunæ orbitam viribus ψ & π deſcriptam determinat. Si nunc dicatur arcus ab initio motus in eclipticam proiectus f, celeritas in quovis eius puncto v, angulus a luna in ecliptica deſcriptus z, admirabili compendio calculi, ſed accurate doctiſſ. Auctor demonſtrat, æquationem orbitæ lunaris in eclipticam proiectæ hac æquatione definiri:

$$dz = \frac{-dx}{x^2\sqrt{\frac{1}{h^2} - \frac{2\int ae\,dx}{g^2} - \frac{1}{x^2}}} \quad \text{vel,}\; ddu + udz^2 - \frac{dz^2}{u^2g^2} \times \left\{ \frac{\psi - \frac{\pi\,du}{udz}}{1 + \frac{2\int \pi\,dz}{u^3g^2h^2}} \right\}$$

quam propterea adiicimus, ut intelligant eruditi, quam egregie cum editis ante a præclariſſimis mathematicis formulis conſentiant, quas concinnitate tamen, atque veritatum ab ipſis pendentium ubertate ac fertilitate, ſuperare nobis videntur. Non alia nunc re, ut aſtronomicis uſibus poſterior forma adaptetur opus eſt, quam ut ſubſtitutis modo inventis ipſarum ψ & π valoribus, quantitas ae eliminetur. Sed hoc opus hic labor eſt, ut potentiæ hæ ita definiantur, ut deſcripta modo orbita commode pro inveniendis numeris, quibus in loco lunæ inveniendo opus eſt, adhiberi poſſit. Nobis enim non monentibus apparet, ſubſtitutis iſtis valoribus, ingentem litterarum vel indeterminatarum, vel incognitarum, multitudinem, in formulam hanc ingredi, ut quod neceſſe eſt, neque integrari, nec ſub forma differentiali, deducendis ex ipſa rebus apta reddi poſſit. In eo igitur inprimis negotio, perſpicaciſſimus Auctor, ingenii vim & acumen demonſtrat, ut, quis ſelectus inter quantitates illas habendus ſit, accurate oſtendat,

dat, ne vel quantitates, ob parvitatem merito reiiciendæ, & quibus fine fructu calculus molestus redditur, intempestive retineantur, vel aliæ, quæ primo intuitu minimæ videntur, sed suo cum aliis concursu & permixtione in non spernendam excrescunt magnitudinem, temere, & cum gravi deducendarum conclusionum iactura, omittantur. Dici non potest, quam incredibili prolixi calculi molestia, præstantissimi quidam mathematici theoriam lunæ phænomenis consentientem eruere instituerint: cum omnis rei cardo in eo vertatur, ne calculus nimia prolixitate tædiosus, nihil practicæ astronomiæ usibus inserviat, si quidem hoc lydio lapide dignitas & præstantia theoriæ diiudicari debeat. Hoc igitur sagacissimus Auctor noster consilium iniit, quod nemo commode adhibebit, nisi ut ille, cum singulari coelestium rerum peritia, subtilissimorum calculorum usum in promtu habeat, ut in certos ordines quantitates omittendas distinguat, atque ex calculo nonnisi quantitates infinite parvas eiusdem classis reiiciat. Singulari autem perspicacia & acumine opus est, ut ordo hic accurate definiatur, cum quantitates nonnullæ aliam classem mentiantur, quam cui omnino adscribendæ sunt. Sic concinnas admodum pro viribus ψ & π formulas assequitur, atque tum angulum, quem linea nodorum percurrit, tum inclinationem orbitæ lunaris ad eclipticæ planum, æquatione differentiali exprimit. Quibus præmissis, depromtum ex recondita geometria Lemma proponit, cuius auxilio ante allatam orbitæ lunaris æquationem differentialem integrare docet. Lemmate hoc demonstrat, integrale quantitatis huius omnino formæ: $ddt + N^2 t dz^2 + M dz^2 = o$ invenire, in qua N^2 coefficientem numerum constantem, M quamcunque ipsius z functionem, denotat. Posito nunc $u - K = t$, ut t sit quantitas respectu $K = \frac{T+L}{gg}$ admodum parva, atque n æquale rationi temporis periodici lunæ circa terram, ad tempus periodicum terræ circa solem, illam æquationi pro orbita lunæ formam conciliat,

ciliat, ut laudati lemmatis ſubſidio, hæc denique æquatio integralis prodeat:

$$t = S \text{ Coſ. } Nz + H \frac{\text{Coſ.}(NzH)}{NN} + D \text{ Coſ. } (2z - 2nz) + M \text{Coſ. } (2z - 2pz) - 2pz = o$$

ubi $pz = \zeta$ angulum motus nodorum denotat, $N^2 = 1 - \frac{3n^2}{2}$, & S, H, D, M, quantitate conſtantes ſignificant. Sic votis doctiſſimorum quorundam mathematicorum Cel. Auctor ſatis feciſſe videtur, qui paſſim præceperunt, ut ex ipſa orbitæ lunaris definita formula, inæqualitates motuum potius repetantur ac explicentur, quam aſſumtæ ſeriei arbitrariæ auxilio, radices æquationis differentialis eruantur. Non inficiatur, planam hanc atque expeditam viam eſſe, ſed quam caute per ignes ſuppoſitos cineri doloſo in illa incedendum ſit, provide monet. Immo facem hac via inceſſuris accendit, quia, ne in devia calculus aberret, cavetur. Valor $N = 1 - \frac{3n^2}{2}$ ſtatim exhibet motum apogei lunæ unius fere atque dimidii gradus per ſingulas lunæ revolutiones. Si enim $Nz = 360$, erit $z = \frac{360}{N} = 360 \left(\frac{1+3}{4.178} \right)$ q. p. $= 360° + 1° + 30'$, quod ab obſervato in coelis apogei motu, ubi trium graduum invenitur, admodum diſtat, cum quo egregie ſatis conſentiret, ſi theoria $N = \sqrt{1 - 3n^2}$ prodiiſſet. Sequitur itaque, vel potentiæ legem a Neutono aſſumtam, & in aſtronomia phyſica ab omnibus fere hactenus adoptatam, in ratione inverſa duplicata diſtantiæ, ita juſtam non eſſe, ut motui, de quo agimus, ſufficiat, vel definitam modo orbitæ æquationem non ſatis accuratam eſſe. Hoc inprimis argumento inducti, ſummi quidam noſtræ ætatis mathematici, de irrefragabili theoriæ Neutonianæ certitudine dubitare coeperunt. Cel. Auctor, ut hunc nodum ſolvat, & Neutoni doctrinæ omnem incertitu-

dinis

dinis labem abstergat, laborem, calculum denuo instaurandi, atque scrupulosius perficiendi, sibi imponit. Ante tamen ex laudata modo æquatione, motum nodorum, atque variationem inclinationis orbitæ, concinnis formulis explicat. Cum enim ex superioribus constet, esse $\zeta = -\frac{3n^2z}{4} - \frac{3n^2}{4}$

$$\left(\text{sin}: \frac{(2z - 2nz)}{2-2n} - \text{sin}: \frac{(2z - 2pz)}{2-2p} - \text{sin}: \frac{(2nz - npz)}{2n-p}\right)$$

statim apparet, 1°. motum nodorum retrogradum esse; 2°. motum hunc ad solis motum quam proxime esse ut $-\frac{3n}{4}$ ad 1. hoc est, $\left(\text{quia quam proxime } n = \frac{1}{13\frac{1}{2}}\right)$ ut -1 ad 18. quod bene cum observationibus in coelo habitis conspirat. Sequitur porro esse $pz = -\frac{3n^2z}{4}$, adeoque p quantitatem negativam; 3°. concludere licet, maximam motus nodorum æquationem esse $\frac{3n}{8}$ sin: $(2nz - 2pz)$ sive q. p. 1 gradus & 30 minutorum primorum, quod observationes coelestes satis bene confirmant. Quod ad inclinationis variationem attinet, ex anta demonstratis Auctor repetit, esse $m = \mu - \frac{3n\mu}{4}$

$$\left(\text{Cos}: \frac{(2z - 2pz)}{2-2p} + \text{Cos}: \frac{(2nz - 2pz)}{2n-2p} - \text{Cos}: \frac{(2z - 2nz)}{2-2n}\right)$$

ubi statim apparet, maximam inclinationis variationem esse $\frac{3n\mu}{8}$ Cos: $(2nz - 2pz)$ hoc est, octo quam proxime vel novem minutorum. Quia vero hæc æquatio modo addenda, modo subtrahenda est, tota variatio intra limites 17 & 18 mi-

 nute-

nutorum primorum coercetur, quod obſervationes egregie confirmant. Sic aliorum quoque variabilium motuum æquationes, ex ſuperiori orbitæ formula inveniri poſſunt, quas tamen Cel. Auctor præteriit, ad definiendum exacte apogei motum. ut cum obſervationibus coeleſtibus conſentiat, properans, cum theoriæ Neutonianæ adverſarii hoc inprimis ariete ipſam concuti & everti poſſe arbitrentur. Uberiorem igitur orbitæ huius formulam expoſiturus, de negligendorum in calculo infinite parvorum ordinibus, ſolerti acumine ante diſſerit, quam ad ipſam rem accedat. Sicut priori loco calculum ita inſtruxerat, ut, reiectis omnibus quantitatibus infinite parvis, præter illas primæ claſſis, lunæ orbitam definiret: ita iam redintegrato computo, orbitam inquirit, ut tertii ordinis quanta infinite parva retineat, illis quartæ claſſis tantum omiſſis. Sed licet ſingularibus artificiis calculum contrahat, rerum tamen ipſarum varietas & momenta adeo prolixum illum reddunt, ut uberrimas ab ipſo inventas formulas, pro orbita lunæ, pro tempore quo arcum orbitæ quemvis percurrit, pro angulo quem dato tempore luna emetitur, pro nova æquatione orbitæ lunaris, aliaque, quibus profundam aſtronomicam ſcientiam prodit, theoremata, excerpere, atque cum lectore noſtro communicare, nequeamus. Quibus curæ eſt, ut ſua admirabili ſyſtemati Neutoniano dignitas & præſtantia aſſeratur, illis uberrimum hunc Auctoris commentarium condigne commendare ac prædicare haud valemus. Ut illorum labori & ſtudio conſulat, qui ſiderum obſervationi vacant, & quibus moleſtum foret, prolixis nonnunquam formulis algebraicis uti, ut cum Neutoni theoria, eiusque tabulis, habitas a ſe obſervationes commode comparare poſſint, tabulas ipſas Neutoni, ſeu potius ipſarum elementa, elegantibus atque concinnis formulis complectitur. Poſita enim diſtantia media a, eccentricitate lunæ e, anomalia vera z, atque anomalia media ζ, demonſtrat eſſe $z = \zeta - 2e\,\text{ſin}:\zeta + \frac{e^3}{4}\text{ſin}:\zeta + \frac{5e^2}{4}\text{ſin}:2\zeta - \frac{13e^3}{12}\text{ſin}:3\zeta$; atque huius theorematis auxilio,

omnes

omnes a Neutono partim demonstratas, partim sine demonstratione indicatas tantum motuum lunarium æquationes, concinnis valde algebraicis formulis induit. Ex quibus porro novas tabulas astronomicas, pro æquatione inclinationis orbitæ lunæ ad eclipticam, condit, quas adhibere iubet, postquam inclinatio, ope tabularum, quæ hactenus in usu fuerunt, iam inventa est. Omnes enim tabulæ, quæ in excellenti hoc de motibus lunæ opere occurrunt, novæ sunt, cum supervacuum esse duxerit Cel. Auctor, illas tædiose repetere, quæ in omnibus astronomiæ practicæ institutionibus fere occurrunt. Illæ igitur hoc loco tabulæ duntaxat habentur, quibus calculus, per vulgares tabulas institutus, limandus & corrigendus est. Meminimus, solertissimum Galliæ Hipparchum, Cel. Monnierium, in editis a se institutionibus astronomicis, cum aliis prudentissimis astronomis præcepisse, ne præter necessitatem tabulæ multiplicentur, editis subinde novis, quibus sub alia tantum forma, præcedentium calculi frivole repetuntur, non sine gravi astronomiæ studiosorum molestia; sed illæ potius, quæ iam extant, sedulo paulatim exascientur, & corrigantur. Hoc consilium egregie secutum esse Cel. Auctorem nostrum videmus, dum positis fundamenti loco Monnierii tabulis, quas omnium quæ evulgatæ sunt præstantissimas esse astronomis constat, novis suis hoc opere editis tabulis, quod superaddendum illis esse putabat, comprehendit. Ita vero illæ inter se cohærent omnes, ut nec omnes, quod optaremus quidem, propter imperatam nobis brevitatem; nec præcipuas, commodo Lectorum nostrorum, excerpere liceat. Ostendit præterea, quomodo tabulas novæ prorsus formæ theoriæ suæ superstruere potuisset, quibus locus lunæ verus in orbita, simplici quantitatum nonnullarum additione invenitur: sed cum calculo secundum vulgares tabulas assueti iam sint astronomi, in molestiam ipsorum nihil temere innovandum esse censuit. Non ingrata tamen erit, practicæ astronomiæ cultoribus, methodus, quam indicat, qua novam hanc formam tabulis induere ipsi animus erat; cum in construendis etiam vulgaribus, & receptis, non spernenda subsidia commodare possit. Apparet autem ex formulis tabula-

rum Neutoni, abstrahendo ab orbitæ inclinatione, non multum illas differre ab æquationibus, quas Auctoris theoria suppeditavit. Differentia enim trium vel quatuor minutorum, quæ nonnunquam se prodit, aut quantitatibus male in calculo neglectis, aut observationum errori tribuenda esse videtur. Certe apogei motus iam multo propius quam supra, ad observatum in coelis locum, accedit, cum iam sit: $N^2 = 1 - \frac{3n^2}{2} - \frac{3n^2}{2}\left(\frac{15n.10}{16}\right)$ quod non adeo multum ab ante desiderato $1 - 3n^2$ distat. Dissentit tamen adhuc 30 fere minutis primis in una revolutione, a definito per practicam astronomiam motu. Postquam igitur secundum Neutoni tabulas, variationem inclinationis, atque pendentes ab illa quantitates, motum deinde nodorum, aliaque, vero propius determinavit, novisque tabulis hanc astronomiæ partem locupletavit: tertium instaurato calculo ad apogei motum accedit, ut herculeo labore Neutoni theoriam ab exprobrato a coelis dissensu vindicet. Refert, summum Geometram, Clairaltium, iam anno 1747. schediasma Academiæ scientiar. regiæ prælegisse, quo demonstrare instituerit, motum apogei lunaris per theoriam, non nisi dimidium eius inveniri, quem assidui coelestium motuum scrutatores ipsa experientia edocti sint. Hoc a coelis dissensu demonstratum esse sibi persuadebat, quod vis gravitatis non sit in ratione inversa duplicata distantiæ, sicut communi consensu ab astronomis hactenus creditum fuit. Fortissimum hoc, ut videbatur, ad debellandam Neutoni theoriam, telum, cum per diaria erudita passim divulgaretur, clar. tamen Auctor, licet eodem quo Clairaltius tempore, illud methodo, cuius probitas suspecta esse haud poterat, invenisset, publice istud prodere opportunum non esse arbitrabatur. Sed in hac sententia valde confirmatus est, postquam acceptis Cel. Maupertuisii litteris intellexit, summum Geometram, Eulerum, multo ante tempore, alia longe via, suis calculis rem eandem reperisse. Cum igitur clar. Clairaltius rogatu suo ab Academia impetrasset,

petrasset, ut schediasma, quod anno 1747. prælegerat, in commentariis anni 1745. qui tunc sub prælo erant, evulgaretur: æquum noster esse censebat, ut, quæ de hoc argumento diu ante conscripsisset, festinanter autem expromere dubitasset, ea in publicum prodirent. Non alio consilio hæc commemoramus, quam ut præcipitis erroris culpam deprecemur, cum Cel. Auctori, aliis negotiis occupato, non vacaverit, per molestos calculi labores, quos hoc opere subiit, in erroris caussam profunde nimis abditam inquirere; maxime cum persuasum ipsi esset, novum hoc inventum tanti momenti non esse, quanti aliis illud visum fuerat. Neque enim Neutoni systema illo destrui posse censebat, neque fundamentalem ipsius legem eo concuti: siquidem satis appareat, partem motus apogei, virtuti potentiæ alicuius externæ tribui posse, quæ longe a gravitatione diversa sit. Significabat non ita multo post Clairaltius Academiæ, se argumentum hoc nova via meditatum deprehendisse tandem, observatum in coelis apogei motum cum Neutoni theoria egregie consentire, nulla alia potentiæ ratione, quam inversa quadrati distantiarum supposita. Ipsi vero Cel. Alembertio asserebat, rem acu se tetigisse, cum omni animi contentione veram gravitationis legem expiscaretur, ad hoc necessariam, ut verum apogei motum calculus prodat. Hoc tamen noster sibi persuaderi non passus est, siquidem vera hæc lex potentiæ quæsita, duobus saltim terminis comprehendi nequeat, adeoque problema necessario indeterminatum foret. Immo etiamsi nonnisi duobus terminis illud constare supponamus, quia tum coefficientem, tum exponentem secundi termini ignoramus, unicum phænomenon, determinando simul utrique quæsito, haud sufficit. Ex ipso interea Clairaltio intelligebat, novam, qua reconditum hoc argumentum venatus sit, viam hanc esse, ut ipsa lunæ orbita, multo quam ante factum fuerat maiori cura ac labore, veræ quantum fieri potest proxima, computetur, & inventum tandem a se esse verum apogei motum, ex terminis, in quibus sin. $(2z - 2nz)$ multiplicatur per (G Cos: $2z - 2nz - Nz$). Hanc gestarum rerum historiam lectori nos debere existimavimus,

vimus, partim ut inventorum gloria æqua lance inter omnes acutiſſimos atque de aſtrorum ſcientia egregie meritos viros diſtribuatur, partim ut methodi non ubivis obviæ uſus, poſteris aſtronomiam olim amplificaturis conſervetur, atque commendetur. Sagaciſſimus enim Auctor, vocatis in ſubſidium formulis ſuis, atque prolixiorem quam ante calculum inſtaurando, non omiſſis quas antea neglexerat quantitatibus, alia longe quam indicata a Clairaltio via, ſibi progrediendum eſſe perſpexit. Ab initio exorſus calculum, non omiſſis niſi quantitatibus infinite parvis ſeptimi ordinis, atque laborioſo valde immo periculi pleno computo ſubducto, voti denique compos factus eſt. Non modo prioris calculi defectus ingenue fatetur, ſed, in exoptatos abſtruſa hæc aſtronomiæ arcana meditantium & evolventium uſus, & cauſas candide explicat, ex quibus hæc labes computo motus apogei adhæſit. Capite igitur decimo ſexto, novam orbitæ & formulæ pro indagando lunæ loco correctionem molitur, atque ſummum ingenii acumen & ſagacitatem in eo inprimis demonſtrat, ut ſubtili artificio quantitatum infinite parvarum ordines curioſe diſtinguat; quod non in præſenti tantum diſquiſitione neceſſarium, ſed & in explicandis omnibus philoſophiæ naturalis capitibus egregie profuturum eſt. Inſtructo ita ſollicite calculo, ad condendas novas tabulas lunares utitur, quas ea ratione conſtruit, ut ſingulis primum tabulis, omnes quas theoria indicat inæqualitates complectatur, deinde in aſtronomiæ practicæ uſum Cel. Monnierii tabulis illas ſic accommodet, ut nobilisſimi ſupplementi illarum vicem præſtare posſint. Capite 19 parallaxin lunæ, atque a diametro apparenti pendentes novæ theoriæ formulas, indagat, & parallaxin horizontalem in diſtantia media, 57′, 12″, determinat, quæ nonniſi parum ab illa Cel. Monnierii, curioſis obſervationibus, ut videtur, confirmata, differt. Propius adhuc illam acceſſuram fuiſſe animadvertit, ſi cum Neutono æquationem apogei $\frac{1}{20}$ ſtatuiſſet, cuius dimidium in ſuo calculo aſſumſit. Prodiiſſet enim quam proxime, 56′, 58″, quæ nonniſi quatuor ſecundis ab illa Monnierii deficit. At cum in obſervata lu-

nae

næ parallaxi, nemo de 15′ differentia certisſimus eſſe queat, ſatis apparet 57′, 12″, non longius quam 56′, 58″, a vero ipſius valore diſtare. Magis tamen Cel. Auctori valor 57′, 12″, probatur, quia æquatio apogei $\frac{1}{88}$, in obſervata accurate æquinoctiorum præceſſione, & axis nutatione, fundatur, cum adoptatus a Neutono valor $\frac{1}{80}$, ex obſervatis incertis valde ac ambiguis altitudinibus maris, in fluxu & refluxu, elicitus ſit. Oblata hac occaſione monet, quia error 15″ hoc eſt, $\frac{1}{230}$ in parallaxi lunæ obſervata, immanem errorem in definienda lunæ maſſa producat, neque radii globi terreſtris, qui calculum hunc ingrediuntur, æquales cenſeri posſint, methodum hanc determinandi materiam lunæ prorſus abiiciendam eſſe. Lectoris induſtriæ ex ipſo Auctore repetenda relinquimus, quæ hoc loco de prudenter ſeligendis, inter obſervationes coeleſtes, aliis aſtronomiæ phyſicæ elementis commentatur; ut brevibus commemoremus argumenta, quibus Neutoni cauſam agit, atque obiecta ipſi nonnulla oſcitantiæ exempla deprecatur. Demonſtrat igitur, ex poſitis a ſe principiis ſequi, ſi a correctionibus nonnullis perexiguis animum abſtrahamus, orbitam lunæ per ellipſin commode repræſentari poſſe, cuius eccentricitas eſt variabilis, atque apogei motus non uniformis. Miratur itaque, cur docti quidam Geometræ hoc Neutono exprobraverint, quod tum eccentricitatem orbitæ lunaris, tum motum apogei variabilem, ſtatuerit. Certum eſt, utrumque hoc elementum conſtans ſupponi poſſe. Sed quia luna non ellipſin invariabilem deſcribit, plures termini æquationi lunæ adiiciendi eſſent. Ubi Neutonus aſſerit, eccentricitatem lunæ per theoriam variabilem deprehendi, nihil aliud ſibi vult, quam differentiam maiorum & minorum diametrorum conſtantem non eſſe, quod revera ita ſe habet, & exquiſitis aſtronomorum obſervationibus confirmatur. Neque obſervati motus lunares, alteri Neutoni aſſerto, motum apogei lunæ uniformem non eſſe, refragantur. Si enim, ſecundum receptum ab aſtronomis verborum uſum, per apogeum illud orbitæ punctum intelligamus, in quo longisſime luna a terra diſtat: obſervationes æque ac theoria, motum huius puncti uni-

uniformem haud esse demonstrant. Concinno itaque, sed a nobis non transscribendo calculo, ostendit, æquationem huius motus, ubi maxima est, sex gradus non superare; modo addendam, ubi luna a syzygiis ad quadraturas pergit, modo subtrahendam, ubi a quadraturis ad syzygias progreditur. Hisce præmissis via sternitur, qua summorum nostri temporis mathematicorum votis expetita inventio veri motus apogei, ex theoria Neutoni, subtili calculo, non tamen supra modum prolixo, a Celeb. Alembertio eruitur, atque sic demum omnis, quæ systemati Neutoniano adhærere videbatur labes, felicissime abstergitur. Perducto enim ad finem calculo, invenit motum apogei una revolutione lunæ esse 3°, 3′, 37″, nonnisi 1′, 4″ ab observato discrepantem. Ut vero geometrico rigore theoriæ Neutonianæ gloriam vindicet, neque levissimum hunc errorem, indulgentia, quæ condonari posset, tolerat, sed quomodo elementis quibusdam calculi adhuc limatis, nonnisi paucissimorum secundorum discrepantia relinquatur, ingeniose admodum ostendit. Pluribus autem rationibus evincit, etiamsi motus apogei, per theoriam inventus, non exacte prorsus atque scrupulose cum observationibus conveniret: hoc tamen argumento, stabilitam in systemate planetario attractionis legem, temere non abrogandam esse. Phænomena enim, ex quibus inversa quadrati distantiæ lex deducta est, nonnisi proxime illam indicant, & alia quævis lex, non multum ab hac diversa, mathematice loquendo, eadem ratione definiendis motibus coelestibus satisfactura esset. Cum itaque incongruum sit, legem quadrati hoc prætextu cum alia permutare: temere profecto aliquis præsumeret, in unius phænomeni gratiam, cuius alia peculiaris caussa esse potest, universum, & multis rationibus confirmatum systema, perturbare. Immo summus Neutonus non in ea fuit sententia, attractionem in inversa ratione quadrati distantiæ, adeo unicam & solam esse potentiam, ut coelestia phænomena nullius præterea virtute efficiantur & producantur. Terræ vim magneticam inesse, quæ in lunam agat, sagacissimus hic philosophus suspicatus est; & non ex alia ratione ipsi in motuum lunarium calculis locum haud

haud concessit, quam propterea, ut ipse ait, quod neque legem, neque quantitatem potentiæ huius, determinatam haberet. Si quis aliam functionem, diversam a quadrati distantiæ inversa adoptaret, motus corporum coelestium forte satis apte eius auxilio applicaret: sed aliis phænomenis, e. c. rotundæ guttarum aquæ figuræ, ascensioni liquorum in tubis capillaribus, &c. hæc non ut debebat conveniret. Si enim ponamus, attractionem veram horum experimentorum caussam esse, lex eius ita comparata esse debet, ut in puncto contactus fortissima sit, adeoque in minima distantia longe a quadrati lege recederet. Formula igitur attractionis, quæ in distantia lunæ non multum a lege quadrati discederet, multis parasangis illam in superficie terræ post se relinqueret. Ipsis vero phænomenis eiusmodi lex vehementer adversatur, cum a Neutono demonstratum sit, pondus corporum terrestrium ad pondus lunæ in ratione quadrati distantiæ decrescere. Evidentissimum est formulam $\frac{1}{x2}+\frac{b}{x4}$ ad explicandam attractionis legem adhiberi non posse, quia terminus secundus gravitatem in superficie terræ nimium magnam proderet. Sed quemcunque terminum ad priorem $\frac{1}{x2}$ addamus, formula nunquam explicandis simul gravitati & attractioni corporum terrestrium apta erit. Illo enim casu, necessarium est, ut in ipso contactus puncto, alter terminus admodum parvus sit respectu $\frac{1}{x2}$, hoc vehementer magnus sit, oportet, in puncto contactus. Si metaphysica argumenta problemati mathematico immiscere fas est, non incongruum Auctori videtur, cum Cl. Buffonio statuere, accipiendo attractionem pro qualitate physica, ut primordialis naturæ lex sit, legem quadrati, sive omnem in universum legem, a simplicis distantiæ potentia pendentem, cuilibet alii functioni algebraicæ præferendam esse. Inesset enim necessario eiusmodi functioni quantitas aliqua constans, adeoque potentiarum attractricum ratio,

tio, in duabus quibusvis attrahentium corporum diſtantiis, non diſtantiarum tantum potentia quavis, ſed parametri alicuius virtute una coerceretur. Scopum vero aut rationem nullam deprehendimus, cur eiusmodi parametro ſibi opus eſſe natura cenſuiſſet, inprimis cum obvia paſſim in aliis ſcientiæ naturalis capitibus experimenta, parametrum ullam haud expoſcant.

Tradita hac admirabili lunæ theoria, Cel. Auctor in eo maxime occupatur, ut profundas ſuas diſquiſitiones, communi uſui, practicæ inprimis aſtronomiæ felici incremento, adaptet. Laudatas igitur iam ſupra novas ſuas tabulas lunares promit, quas non ipſe tantum curioſo examini ſubiicit, ſed methodum quoque exponit, qua cum experientia, aut editis iam aliorum tabulis, ſcrupuloſe comparari posſint. *Gregorius* in aſtronomia aſſerit, copioſo obſervationum *Flamſteedii* numero confirmatum eſſe, tabulas lunares, ſecundum expoſitam a Neutono theoriam computatas, rarius duobus ſecundis a coelo diſſentire. Cum vero maiorem longe diſcrepantiam experti ſint aſtronomi: quam meticuloſa cautione eiusmodi tabularum virtus prædicanda ſit, apparet. Certe evulgatarum adhuc tabularum errores, rarius ad 6 vel 7. minuta aſcendunt, quarum pars ancipiti obſervationum experientiæ non immerito tribuitur. Aſſerunt hanc tabulis recentioribus præſtantiam aſtronomi, inprimis in tabulis lunæ ab *Halleio* computatis, freti comparatione, quam acutisſimus hic Geometra cum obſervationibus ſuis, longa annorum ſerie habitis, inſtituit. Cel. itaque Auctor, collatis ſuis novis, quas in hoc opere evulgat, tabulis, cum aliis, quibus adhuc uſi ſunt aſtronomi, iisque præſtantisſimis, illas quoque nonniſi 6 vel 7 minutis primis diſcrepare deprehendit. Candide tamen monet, ne in hac re admodum momentoſa, temere aliquid afferatur. Motus enim medius, in novis tabulis Halleianis, nimis lentus ipſi aſſumtus eſſe videtur. Ex numero 2000 obſervationum, cum quibus ſummus hic aſtronomus tabulas ſuas contulit, illarum numerus ubi in defectu tabulæ peccant, fere duplo maior eſt illis, ubi excedunt, cum admodum

dum vero ſimile ſit, numerum in exceſſu & defectu æqualem prodire debere, niſi motus medius nimium tardus ſtatuatur: Clar. *Mayerus*, in editis nuperrime commentariis ſocietatis regiæ Göttingenſis, Tomo ſecundo, ſuas quoque lunares tabulas edidit, quas nonniſi duobus minutis primis a coelo diſcrepare contendit. Has tabulas theoriæ inædificatas, ſingulari methodo a ſe conſtructas eſſe, aſſerit, quam prodere non conſultum eſſe exiſtimavit; neque ſatis ex verbis eius apparet, an ſuo marte formulas inæqualitatum invenerit, an illas Cel. Euleri fundamenti loco poſuerit. Fatetur tamen Celeb. Alembertius, illas cum ſuis, quas hoc opere edidit, ſatis bene convenire, & rarius ſupra minutum primum, ſæpisſime multo minus, ab illis diſcrepare. Dolet vero, plures inæqualitates a Clariſſ. Mayero prætermiſſas eſſe, quas in motu lunæ temere negligendas haud eſſe cenſet. Atque omnino aſtronomi propterea auctori noſtro plurimum debere videntur, quod non neglexerit, ſecundum ſingulas inæqualitatum formulas, ſingulares quoque computare tabulas. Etiamſi enim quædam illarum nonniſi pauca minuta ſecunda, vel addenda, vel demenda ſuppeditant, quibus calculi labor fruſtra multiplicari, immo perturbari videri poſſet; cum per obſervationes de paucis minutis ſecundis nemo tuto arbitrari poſſit: egregie tamen eiusmodi tabulæ, primis calculi elementis accurate determinandis inſerviunt, cum illarum auxilio iudicare liceat, quo maxime loco aliquid emendandum ſuperſit, dum obſervationum indicio errorem ſubeſſe ſuſpicamur. Non ad inveniendam ſaltim in ephemeridum gratiam locum lunæ, tabulæ Alembertii inſerviunt, ſed ad perpoliendam quoque, ope obſervationum, lunæ theoriam conducunt. Magnus Geometra, *Eulerus*, ſuas quoque novas tabulas lunares in opuſculis edidit, partim theoriæ, partim obſervationibus inædificatas; & in ephemeridibus academiæ regiæ Berolinenſis anni 1750. aliæ rurſus lunares tabulæ comparent, recentioribus ipſius calculis debitæ, atque multum a prioribus diverſæ, quas dubio procul illis meliores atque accuratas magis reputat. Differunt Euleri tabulæ tum inter ſe, tum ab illis Cel. Auctoris, non forma tantum, ſed &

 numero,

numero, cum & diversus elementorum valor sit assumtus, neque eædem numero inæqualitates motuum lunarium hisce tabulis corrigantur. Proficuo itaque valde instituto Cel. Auctor, singulari tabula, elementa præcipua geminarum Euleri tabularum, Monnierii, atque suarum, exhibet, ut uno obtutu diversitatem, quæ inter illas intercedit, astronomi perspiciant. Monet, quam egregie aliquis in suos usus hanc tabulam convertere possit, qui laborem non fastidiat, & combinatis atque selectis ex hac tabula elementis, meliores omnibus novas tabulas lunares sibi condiderit. Cel. Auctor, in novis suis tabulis, clariss. Monnierii elementa, in institutionibus astronomicis edita, quas ex copioso & singulari industria comparato observationum suarum thesauro deduxit, interea adoptat. Asserit enim ipse Monnierius, suis tabulis errorem quinque minuta prima excedentem nunquam committi; quam virtutem ac præstantiam nullis aliis lunaribus tabulis experti astronomi tribuere ausi sunt. Clariss. Eulerus, Tomo primo novorum commentariorum academiæ Petropolitanæ, motum nodorum, atque variationem inclinationis, quæ multis ac variis calculis sæpe iam passim tractaverat, assumtis elementis, quæ ab illis quibus ante usus fuerat nonnihil diversa sunt, iterum inquisivit. Quæ in hisce nova occurrunt, Celeb. Alembertius cum suarum tabularum numeris diligenter confert, atque ratione inprimis discriminis quod intercedit accurate quæsita ac detecta, de omnibus candide sententiam suam dicit. Nobis vero, quia iam supra modum compendium nobilissimi huius operis, quo nemo, cui ardua geometriæ & philosophiæ naturalis momenta curæ sunt, carere potest, excrevit, plura ex illo promere non licet; adeoque de secundo illius volumine alio tempore dicturi sumus.

CASP. FRID. MUNTHE, PROFESSORIS GR. L. in Universitate Reg. Hafniensi, Observationes philologicae in sacros Novi Testamenti libros, ex Diodoro Siculo collectae, una cum indice vocum Diodorearum, quibus Lexica locupletari & suppleri possunt.

Hafniæ,

Hafniæ & Lipsiæ, sumtibus Frid. Christ. Peltii. 1755. Alphab. 1. plagg. 14.

Inter eruditos, qui philologiæ Græcæ, a multis hodie negligenter satis habitæ, florem digne tueri sustinent, nomen præclare tuetur doctiss. Libri Auctor, Clar. *Munthe*, academiæ Hafniensis ornamentum. Laudabili beati *Georgii Raphelii*, Luneburgensis quondam præsulis meritissimi, *Xenophonteas & Polybianas* dictiones, sacris affines, excerpendi consilio & exemplo invitatum sese profitetur, ad simile quid tentandum circa *Herodotum*, celebrem inprimis Græciæ antiquæ scriptorem. Specimen huius rei iam primum editum a V. Cl. fuerat, cum laudati *Raphelii* annotationes in novum foedus Herodoteæ publicæ luci exponerentur; quo ipso, licet spicilegia probe multa reliquerit aliis legenda *Raphelius*, permotus tamen Auctor fuit, loco *Herodoti* ut *Diodorum Siculum* sibi sumeret eodem consilio pervolvendum, natumque inde opus, anniversariæ disputationis loco, per partes, usque ad primum epistolæ ad Romanos Paulinæ caput, ederet. Intermissus postquam aliquot annis iacuisset hic labor, denuo illum sub incudem vocavit, singulis diligentius recognitis, additis etiam, & ad umbilicum perductis, curis hisce philologicis. Orbem doctum sibi Auctor doctissimus vehementer obstrinxit, quod pluribus extra Danicas oras eruditis in manus tradidit opus, plurium quod desiderium non poterat non movere. Manet enim plerumque dissertatt. Hafnienses academicas sors hæc tristis, ut paucis extra patrios lares innotescant, imo vix earum tituli perveniat ad nos Germanos notitia, nisi eam ex *Danica bibliotheca*, aut diariis eruditis istiusmodi, nonnumquam tardius quam oportebat, hauriamus. Cur *Diodorum Siculum* ceteris auctoribus prætulerit, hanc reddit rationem Cl. *Munthe*, quod ex scriptoris eius collatione plurimum accessurum esse lucis putavit sacro stilo: Apostolica quippe tempora proxime vivendo attingentis, scribendi rationem sectantis simplicem, ac de historica ἀκρίβεια magis, quam de orationis cul-

tu & nitore, fucatisque verborum illecebris, solliciti, perspicuitati autem cumprimis studentis, & populares seu ex communi usu petitas voces ac locutiones frequentantis. Quod cum & de sacris scriptoribus verum sit, vix in ullo alio scriptore Græco plura reperiri monet vocabula cum biblicis communia, vel phrases plures ad tabularum novi instrumenti phraseologiam propius accedentes. Ordinem librorum biblicorum Auctor sequitur, paginas autem *Diodori Siculi* secundum editionem *Rhodomannianam* numerat. En operis laudatissimi specimina quædam, Lectorem ipsius pretium edoctura.

Pag. 1. *Matth. I, 11.* obvia vox μετοικεσία Græcis antiquis ignota fuisse videtur, iudice Auctore; eius tamen emphasis non nisi Græcorum scriptorum ope enucleanda est. Apud Athenienses scilicet μέτοικος dicebatur inquilinus, qui ex civitate sua in peregrinam habitatum migrat, ac quotannis incolatus vectigal solvit XII. drachmarum, quod a re ipsa μετοίκιον vocabatur, a μετοίκοις quippe i. e. talibus peregrinis, qui rerum suarum domicilium Athenis constituerant, pendi solitum, uti refert *Harpocration* in *Lex. X. Oratorum.* Themistoclis deinde consilio illos hoc onere levatos fuisse, *Diodorus p. 264. D.* narrat, imo civitatis ius iisdem concessum esse, idem *pag. 383.* tradit. Ex quibus locis colligit Cl. Auctor, τὰς μετοίκους & ad solvendum τοῦ μετοικίου tributum obligatos fuisse, & simul civitatis iure caruisse. Verbum vero μετοικέω, observat, denotare *sedes migrare, apud exteros*, vel *in exilio degere*, prouti Iudæi tempore captivitatis Babylonicæ, patriis sedibus deturbati, per multorum annorum decursum, in Babylonia vicinisque provinciis fuerint commorati. *Matth II. 6.* commemoratus ἡγούμενος ipsum principem, penes quem summa potestas, non vero solum eius præfectum aut ministrum, indicat ex observatione Auctoris, ad *Diodorum* provocantis,

5. qui *pag. 46. D.* & *pag. 50.* promiscue hoc vocabulo utatur. *Comm. 8.* verbo ἐξετάζειν adverbium ἀκριβῶς additur, ad affectum & vehementiam animi Herodis, rigidum examen requirentis, indicandam, quamvis præpositio ἐξ intendat simplicis significationem, ut in ἐξομολογεῖσθαι, ἐξαγγέλλειν, ἐξαγορεύειν,

γοξεύειν, ἐξερευνᾶν. Eadem ratione verbo ἐξετάζειν adiici adverbium ἀκριβῶς tum apud LXX. interpretes, *Deut. XIX. 18.* tum apud *Diodorum p. 25. C. pag. 61. D. & pag. 306. D.* ſed & ſine addito iſto adverbio *pag. 134. D.* verbum ἐξετάζειν occurrere, Auctor obſervari iubet. De ſimplici verbo ἐτάζειν, cuius a Lexicographis nullum exemplum afferri *Eraſmus Schmidius* in *annotatis ad h. l.* putavit, præterea probat, vulgatiſſimi eſſe illud in Alexandrina verſione uſus, non tantum quando in Hebræo textu eſt בקש, ut *Eſth. II. 25.* ſed & ubi habet נגע, *affligere, vexare,* ut *Gen. XII. 17.* Quando *Matth. III. 17.* Chriſtus, per coeleſtem vocem ὁ υἱὸς ἀγάπητος a Patre nominatur, notanda commendatur emphaſis vocis ἀγάπητος, quæ non tantum amorem Dei in filium ardentiſſimum, ſed & æternam generationem, tanquam amoris fundamentum, infert; quemadmodum unicum filium ἀγάπητον compellare, &, velut unicum domus fulcrum & ſolatium, ſingulari amore deperire homines ſolemus. Inde eſt, quod LXX. interpretes hebraicum illud יחיד alternatim, nunc per μονογενῆ, nunc per ἀγάπητον, reddunt. Iudice autem Cl. *Munthe,* non tam ſacris paginis ita debetur hæc obſervatio, ut ex profanis erui non poſſit, utque Helleniſmis patrocinetur, prouti ſibi *Heinſius* in *Exercitatt. S. ad Marc. I. 11.* & in *Ariſtarcho ſacro p. 762.* perſuadere voluit. Adeſt auctoritas *Diodori,* qui *pag. 46. B.* ſcribit: ἀλλὰ καθάπερ ἀγαπητῦ τέκνȣ τελευτήσαντος ἕκαςος, περιώδυνος γινόμενος, ἐπένθει τὰς εἰρημένας ἡμέρας. Advertenda hic duo momenta eſſe monet Auctor doctiſſimus: *a*) quod oſtendere *Diodorus* velit εὔνοιαν populi in principes ſuos ex more defunctos reges lugendi, cum luctu ἀγαπητȣ̃ collato; *b*) quod felicius ſuccedat comparatio, & propius ſcopum feriat, ſi luctus, quem unici, non cuiuslibet filii dilecti deſiderium importat, ſignificetur. Conferre inſuper iubet *Diodori* hunc locum cum *Zach. XII.* 10. Elegans quoque verborum, ἐν ᾧ εὐδόκησα, nobis placuit ab Auctore inſtituta comparatio cum phraſi *Diodori p. 587. B.* τὸ μὲν ȣ̃ν πρῶτον ἔτος εὐδοκήσας τῷ ξένῳ κ. τ. λ. contra *Io. Croium* allata, qui

Pag. 20.

22.

in

in *observationibus sacris & historicis in N. T. pag. 264.* verbum
εὐδοκέω aliter a sacris, aliter a profanis scriptoribus accipi
Pag. 39. pronuntiavit. Quae *Matth. VI. 13.* praescribitur a sanctissimo
Servatore precandi formula, *liberationem a malo* innuit inter
alia a Numine supremo expetendam. Bene hic Auctor obser-
vat, τὸ ῥῦσαι *talem* involvere *liberationem, quam ipsi nobis
praestare non valemus,* quia malum & periculum tantum est,
ut ei expugnando *propriae* haud vires sufficiant. Illustra-
tur atque confirmatur haec ἐξήγησις a *Diodoro p. 49. A.* scri-
bente de homine in via publica vim patiente, quod sit μὴ ῥύ-
σαιτο δυνατὸς ὢν, quam eandem emphasin etiam in passionis
Servatoris historia adesse observari vult Auctor, ubi
Christo in cruce pendenti illudunt pontifices Iudaeorum,
sic loquuti: πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν. Ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ
θέλει αὐτόν. *Marc. I. 4.* in verbis ἐγένετο βαπτίζων quod
101. Hebraismum *Wolfius* in *curis* suis admiserit, miratur Au-
ctor, cum figura, quam analysin Atticam appellant, nulli
non scriptori Graeco familiarissima sit. Provocat ad *Dio-
dorum,* qui *pag. 152. C.* ἐγένετο προέχων τῶν ἄλλων, pro προ-
έχε τῶν ἄλλων, ponit. Iacobus & Ioannes apostoli, *Marc.*
105. *III. 17.* dicuntur υἱοὶ βροντῆς. Hac appellatione singularis
dicendi vis & potentia, qua fulminum instar in intimos homi-
num sensus & recessus penetrarent, &, velut tonitru, move-
rent atque percuterent animos, Iacobo atque Iohanni, Apo-
stolis, vindicatur. Eadem prorsus ratione Pericles, Athenien-
sium orator, ὀλύμπιος dictus fuit, communi cum Iove Βρον-
ταίῳ nomine, *Diodoro p. 307. C.* teste. *Marc. V. 23.* obvia
110. phrasis ἐσχάτως ἔχει, non est idiotica, quod voluit *Olearius
de stilo N. T. pag. 88.* nec barbara secundum *Salmasium de
lingua Hellenistica p. 109.* sed maxime graeca. Similis enim
locutio *Diodori* illud probat, qui Agathoclem, morti proxi-
mum, *Ecl. XII. L. 21.* ἐσχάτως διακεῖσθαι scribit. Ad *Marc.*
121. *XII. 38.* notat ex *Diodoro p. 101. B. & p. 81. A.* moris
fuisse in oriente, ut sacerdotes & principes, quo rudi plebecu-
lae se venerabiles redderent, stolis velut insignibus decorati
incederent. Nihil ergo novi, aut Hellenistici, in eo latet,
quod

quod στολὴ pro virili veste sumitur, quae *Grotii* assertio est; contra quem Auctor etiam *Cap. XIII. 8.* per ταραχὰς non Pag. 122. indigitari iudicat *prodigia*, quae *Lucas* φόβητρα vocat, sed *seditiones*, vel *bellicos tumultus*, consensu *Diodori* nixus, cui haec vox in ista significatione tam frequens sit, quam quae frequentissima, e. gr. *pag. 302. A. pag. 327. D. pag. 324. B.* & *pag. 434. D.* quo postremo loco ἀποστάσεις & ταραχαὶ iunguntur, uti penultimo ταραχαὶ καὶ κινήσεις πολεμικαί. Si sola Palaestina *Luc. II. 1.* per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην intelligatur, 134. quae, in oppositione ad vicina deserta, οἰκουμένη *Exod. XVI. 35.* audit: nonnihil luminis afferre observat Auctor loca *Diodori*, in quibus quaelibet regio *culta, & incolis frequens*, in oppositione ad ἔρημον, vocatur χώρα οἰκουμένη, e. gr. *pag. 618. C. pag. 581. D. 689. D.* Sin ad totum Romanum orbem ἡ οἰκουμένη extendatur, pertinet huc, quod Romani a *Diodoro p. 219. B.* οἱ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ὅλης ἡγεμόνες salutantur. *Luc. IV. 18.* commemorati leguntur οἱ συντετριμμένοι τὴν 139. καρδίαν. Similitudinem cum hac phrasi deprehendit Auctor noster in *Diodorea*, συντρίβεσθαι ταῖς ψυχαῖς, de *ultima animi perturbatione, demissione, & tristitia*, qua, qui vident se ad incitas redactos, nesciant quo se vertant, quidve consilii capiant. In hoc statu versabantur Carthaginenses, nuntio de clade, *sibi* a Timolionte in Sicilia illata, valde perturbati, de qua re *Diodorus p. 552. C.* ita: συνετρίβησαν ταῖς ψυχαῖς οἱ καρχηδόνιοι, πυθόμενοι τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς. Ad *Luc. VI. 48.* de loquendi forma, secundum quam 148. duorum verborum, per copulam aliquam coniunctorum, prius nonnunquam circumstantiam posterioris exponit, & per adverbium vel participium latine exprimitur, Auctor disserit; eam Hebraeis quidem multum placuisse concedens, sed neque Graecis displicuisse; ideoque sine caussa ad Hebraismos hic confugisse *Vorstium*, de *Hebraismis, Part. II. pag. 138.* atque *Leusdenium, diss. IV. de Hebraismis N. T. §. 8.* Affert *Diodori* locos aliquot in medium Cl. Munthe, qui hoc doceant: e. gr. *pag. 7. D.* ubi καταπλαγέντας καὶ θαυμάζοντας pro καταπληκτικῶς θαυμάζοντας; *pag. 40. B.*

 ubi

ubi τερατολογεῖν καὶ μυθεύεσθαι, pro τερατολογικῶς μυθεύεσθαι: item *pag. 44. C.* ubi ἐσχεδιάκασι καὶ συνεγρά-
Pag. 192. ψαντο, pro ἐσχεδιακότες συνεγράψαντο. Locutio *Ioann. I. 12.* quæ legitur, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, pro αὐτόν, Hebraiſmo quidem, iudice cel. Auctore, propior eſt, quam Græciſmo. Geminam tamen huic ex *Diodoro* promit, ubi *pag. 58. B.* καὶ διαβεβαιοῦνται λέγοντες, ὅτι διαβαίνειν μέλλει τὴν λίμνην τοὔνομα τοῦ τετελευτηκότος. *Nomen mortui*, (i. e. mortuum, τοὔνομα τοῦ τετελευτηκότος, pro τὸν τετελευτηκότα poſito) *paludem tranſiturum eſſe aſſeverant.* Ita igitur interpratur Auctor locum hunc, propterea, quoniam in paraphraſtico loquendi genere multus eſſe *Diodorus* deprehenditur. Nullum vero aliud hyperbati aut ſynchyſeos exemplum in eodem ſe obſervaſſe, addit; quod præcipue in cauſa ſit, cur in *Rhodomani* ſententiam, hyperbaton hic admittentis, ire
200. non poſſit. Ad *Ioann. X. 34.* locum *Diodori* transſcribit, in quo ratio redditur, cur Aegyptii olim, reges ſuos, deorum inſtar venerati fuerint, divinisque honoribus mactaverint. Ita vero ille *pag. 57. B.* ex verſione Latina hac de re diſſerit: *Hiſque de cauſis Aegyptii reges, non ſecus acſi veri eſſent dii, adorare & religioſe colere videntur. Nam & non ſine divina quadam providentia ipſos ſummam poteſtatem eſſe adeptos, &, cum velint ac posſint, maxima hominibus beneficia conferre, divinae*
230. *naturae participes eſſe arbitrantur.* Locum *Actor. VII. 42.* conferre Auctor iubet cum præcepto Moſaico *Deut. VI. 19.* & cum hiſtorica *Diodori* relatione *pag. 7. C.* quæ aſtrolatriam nimiæ coeleſtium corporum contemplationi originem debere, eamque in Aegypto prima initia habuiſſe, doceat. Ex eodem enim fonte *Diodorus* illam deducit, ex qua divinus *Moſes*, ſtatuente utroque ſcriptore, τὴν εἰς τὸν κόσμον ſive οὐρανὸν ἀνάβλεψιν, & iuſto maiorem ſiderum admirationem, hanc Θεοποίησιν, & foedam ſuperſtitionem invexiſſe. Vero inde ſimillimum eſt, iudice Cl. *Munthe*, Stephanum protomartyrem *cit. Actor. loco* ſuperſtitionem inprimis tetigiſſe. Effati
294. Paulini, *Rom. I. 14.* explicatio, monente Auctore, fundatur in veteri gentium in *Graecos & Barbaros* diſtinctione, ſcripto-

ſcriptorum uſu pervulgata, qui receptæ Græcorum conſuetu-
dini & arrogantiæ eandem debent. Quam antiqua autem iſta
conſuetudo fuerit, ex *Herodoto* diſcimus, qui *lib. I. cap. LX.*
eiusdem mentionem fecit, & iam olim ſeparatum fuiſſe ſcribit
Græcum genus a barbarico. *Diodori* locos varios in medium
Auctor noſter afferi poſſe addit, in quibus eadem adhibeatur
diſtinctio. Unum vero tantum producit, ubi in prooemio
Diodorus p. 2. C. τȣ́τῳ οἱ μὲν ἕλληνες τῶν βαρβάρων, οἱ δὲ
πεπαιδευμένοι τῶν ἀπαιδεύτων προέχȣσι. Locum hunc
cum Paulino tanto magis conferendum eſſe iudicat, quod τοῖς
ἕλλησι καὶ Βαρβάροις, tanquam per ἐπεξήγησιν quandam,
proxime *Diodorus* ſubiicit τȣ̀ς πεπαιδευμένȣς καὶ ἀπαιδεύτȣς,
quemadmodum divus Paulus τȣ̀ς σοφȣ̀ς καὶ ἀνοήτȣς. Nec
prætermitti vult, quod idem vocabulum ἀπαίδευτος ſit ipſa
Heſychii gloſſa, qua Βάρβαρον exponit. Non ergo ad ſolos
Romanos reſtringi hic *barbaros* putat, ſed omnes intelligi,
Græci qui non ſint generis. Quando Paulo Apoſtolo *Rom.* Pag. 300.
III. 5. κατὰ ἄνθρωπον λέγειν idem eſt, ac *humano more*, vel
ut homines ſolent, loqui, eundem ſenſum huic phraſi *Diodorus*
p. 21. D. tribuit, ubi de crocodilo ita loquitur: καὶ μακρό-
βιον μὲν ἔστιν ὡς κατ᾽ ἄνθρωπον. Locum hunc minus recte
interpretatum *Rhodomanum* eſſe, vertentem: *hominis reſpe-
ctu longam aetatem vivit*, obſervatur. Si enim hunc ſenſum
verba admitterent citata, homines longævitate ſuperaret croco-
dilus: cum tamen ex *Plutarcho*, atque *Aeliano*, laudatis a
Weſſelingio in *notis ad h. l.* conſtet, crocodilum non ultra
LX. annos vitam producere. Verſio igitur, præeunte *Weſſe-
lingio*, ſequentem in modum corrigenda eſt: *vitam tam lon-
ge, quam homo ſolet, producit.* Vocabulum παῤῥησίαν, *Epheſ.* 365.
III. 12. liberam & familiarem fiduciam indicare, tanquam fi-
liorum & coheredum, Auctor cel. ſubindicat, coll. *Hebr.*
IV. 16. eandemque δύναμιν voci huic *Diodorum pag. 34. B.* vin-
dicare docet, cui ſit παῤῥησία familiaris libertas, eaque in agendo
loquendoque fiducia, qua amici & ſimul educati uti invicem
ſoleant. Similem in modum *Hebr. V. 6.* τάξιν notat a ſacro 432.
ſcriptore, quemadmodum & a præſtantiſſimis quibusque Au-

 ctoribus

ftoribus Græcis, usurpatam ita esse, ut *vicem, locum, instar, similitudinem* designet, probante id ex *Demosthene* & *Athenaeo* summi quondam nominis viro, *Io. Grammio*, polyhistore Hafniensi, in *Diss. III. de veteris Testamenti versione Graeca in novo Testamento allegatione, pag. 60.* Addit his nonnulla ex *Diodoro* etiam exempla Auctor. Nos plura ex eius libro Lectoribus proponeremus, nisi nos brevitatis ratio, & plagellarum angustia contineret. Legent librum & laudabunt, Eruditi. Patet ex iis, quæ dedimus, quam multum debeat viro celeberrimo forum sacrum philologicum, plures huic similes fruges sibi ab ipso deposcens avide. Quod quam iustum sit desiderium nostrum & votum, declarat præprimis adiectum hisce Observationibus ab Auctore doctissimo *Specimen defectus Lexicorum in vocibus aut notionibus vocum Diodoreis, quae Lexicographis, inprimis Stephano, vel plane praeteritae, vel nulla penitus, aut sequioris aevi auctoritate, stabilitae sunt.*

PRINCIPES POUR LA LECTURE DES ORATEURS

i. e.

INSTITUTIO LEGENDIS ORATORIBUS accommodata.

Tomi tres. Parisiis, 1753. cum approbatione privilegioque regis, 8.

T. I. 1 Alph. 3½ pl. *T. II.* 1 Alph. 1 pl. *T. III.* 1 Alph.

Lectionis oratoriæ scopus singulari præfatione consideratur, & ad eum ipsum principia diriguntur, de eloquentia tractatione generali, qua simul illius fata brebreviter enarrantur. Eloquentia Græca licet antea iam mascula & vigoris plena, non tamen perfecta fuit ante Demosthenis ætatem. Hac illud celebrium oratorum agmen comparuit, quorum nomina numquam fas est perire, licet operum plurima consumserit tempus. Ducit autem semper agmen ipse

ipſe Demoſthenes. Ad Romanos quod attinet, adſurgit noſter iudicio *Quinctiliani* X, 10. tribuitque Ciceroni minus quidem robur, maiorem autem æqualitatem, quam Demoſtheni. Mox utrobique ſecuta decrementa ſunt. Ibi *Demetrius Phalereus* affectationem ſtili floridi, & elocutionis ad pompam compoſitæ, *Demoſthenis* illi ſolidæ, naturali, vehementi ſubſtituit. Hic *Seneca* gravibus, nobilibus, maieſtate plenis ornamentis Tullii repudiatis, ſtilum abruptum, ludibundum, minoribus punctis, perpetuis oppoſitionibus nixum, invexit. Cum ergo iam idem decrementum oratoriæ rei quibusdam imminere videatur, tanto magis optimorum oratorum lectio iuvabit, quæque ſpectant eo regulæ ſunt obſervandæ. Suppeditarunt has ex antiquis Ariſtoteles, Cicero, Quinctilianus, quibus noſter de fontibus hauſit. Maxime tamen adhæret Ariſtoteli. Neque vero omnino ſpernit recentiores, ex quibus nominatim veneratur *Fenelonium, Gibertum, Rollinum, Lamium, de Colonia, Iuvencium (Iouvency).* Diviſit autem opus in ſex libros, quorum primus generatim eloquentiam tractat, eiusque cum genera, tum formas. Alter agit de rhetorices origine, natura, fine, ſubſidiis, ad *Ariſtotelis* principia, cuius librum primum preſſo pede ſequitur Auctor, ſecundique partem adiungit, ita quidem, ut illuſtret obſcura, quæque deſunt ibidem exempla ſuppleat. Adiunxit autem aliunde rhetoricos locos inventionis. L. III. potiorem partem *Ariſtotelici* ſecundi reſolvit, ubi quidem ſeſe videtur ſuperaſſe *Stagirita.* Subiecit his non ſolum ex oratoribus exempla, verum etiam e poetis ſcenicis Gallorum primariis, quorum guſtus ad *Sophoclem* & *Euripidem* formatus, nititur *Ariſtotelis* de motu animorum præceptionibus, iudicio plenis, quæ *Racinii Corneliique* genium duxiſſe videntur. Neque tamen mores oratorii negliguntur; ſed librum III. Ariſtotelis excerpere Auct. non potuit, cum elocutio perfectam linguæ Græcæ cognitionem requirat, & exempla comprehendat, quorum pulcritudinem eo minus ſentire poſſumus, quo magis omnia fere fulciuntur hiſtoriis plane nobis incognitis ac minus perſpectis, ſeu tam ad linguæ Græcæ genium accommodatis, ut gratiam

 amit-

amittant in alia lingua; quod & Muretum, qui convertit antecedentes, ut eum relinqueret, commovit. Liber noſtri quartus occupatur oratoria diſpoſitione, nec amplificatione minus atque decoro: quintus ſtilo & ornamentis, quibus ideæ veræ, naturales, ſolidæ, grandes quoque nonnunquam ac nobiles quaſi veſtiantur, ut rerum ſit, non modo verborum eloquentia. Nec hic oratores ſoli, quin ſimul poetæ, præbent exempla, cum harmonica ſit eloquentia poeſis, magis quidem adligata, ſed excellentibus exemplis imitationis proponendis æque foecunda. Sextus demum liber eloquentiam corporis addit, ſine qua muta ſolet eſſe reliqua. Cuncta ſimiliter eloquentiæ ſacræ civilique conducere merito iudicat Auctor, cum idem ſit utriuſque fundamentum, forma ſolum diverſa. T. I. c. 1. eloquentiam in genere contemplatus artem vocat perſuadendi, vulgari notione, ſed, ut arbitramur, vaga nimis & virtuti cum contrario quodam vitio communi. Spectat eodem uberior definitio, qua dicitur *facultas loquendi, cum decoro, de cuiuscumque generis argumentis, ut perſuaſio fiat.* c. 2. de tribus generibus aut eloquentiæ characteribus agit; c. 3. de diverſis eloquentiæ formis. Appellat autem hic eloquentiam politicam, militarem, forenſem, ſacram, academicam, & conſiderat ſeorſum. In eloquentia politica laudat præſertim liberas civitates, & exempli loco profert Philippicas *Demoſthenis*, neque minus deliberationes quaſdam hiſtoricorum. Militarem ad cohortandas copias adſtringit, quo iam Homeri quaſdam orationes retulit: cuius quidem heroas omnes admodum eſſe loquaces ait, ſed ſi quid ad propoſitum ſpectans requiratur, nihil vulgo minus quam eloquentes. Forenſem eloquentiam ad quæſtiones de facto iureque refert, crimina non æque tractari commemorans. *Demoſthenis* unam orationem pro Cteſiphonte hic nominat aliquatenus, licet potius ad politicum genus pertineat. Rationem vero *Demoſthenis* & *Aeſchinis* minus, ait, hodie merito ſuo placere, quam *Ciceronis*. Quamvis utriuſque proponendi modus ac mores nimium ſint a noſtris ſeiuncti. Potius ergo laudantur *Patru* & le *Maitre*, quæ vitia *Racinius* in ſatis nota comoedia caſtigat,

gat, feliciter evitantes. Vincunt autem eos enuntiandi modo *Errard & Gillet.* Eloquentiam facram quæ fpectant, fatis funt fanæ regulæ; nihil tamen omnino fingulare comprehendentes, confiderari fimul decet, quibus fit auctor facris addictus. Maffillon & Bourdaloue funt exempla, quæ laudat primaria. Singulare nectit genus, panegyricos fanctorum & orationes funebres. Ibi mores, hic motus regnare iudicat. Dicitur eo nomine, quod plus gravitatis habeat *Bourdaloue,* plus fententiarum & fuavitatis *Maffillonus,* elegantiam quidem & accurationem, fed minus roboris, *Seguy* abbas. Acceffit nuper *Trubletus.* Eloquentiam academicam ad focietates literarias adftringit, quarum primos Auctores Gallos ipfe fuos nominat, easdem cum mufeo Ptolemæi Philadelphi comparans.

Tomum II. incipit L. II. cuius c. 1. originem & progreffus rhetoricæ contemplatur. Iudicatur, ætate *Homeri* iam rhetoricen in artis formam effe redactam, quæ tunc etiam amplitudinem habuerit fuam ac perfectionem. Quæ vero iam ultimum occupat locum, poefis, tunc erat ftilus communis, quo leges, myfteria fabularum, præcepta morum, enuntiabantur. Lycurgus & Draco carminibus leges complectebantur, ac libera dictio relegata videbatur, donec *Pherecydes* & *Cadmus Milefius* circa olympiadem quinquagefimam, vel ultra 450. annos poft *Homerum,* eam frequentarent. *Solon* vero, circiter annis quinquaginta poft *Hecateum Milefium,* Attico ftilo denique colores induebat eloquentiæ, & æqualis ipfi Pififtratus probabilis fuit orator. Interveniebant fophiftæ primo laudabiles, hinc deteftandi, falfi philofophi, moriones, qui per urbes curfitabant, fiducia temeraria paradoxa, quin abfurda, proponebant, perniciofiffimasque fententias differminabant. Nihil erat falfarum fubtilitatum, quod non inveherent artis erifticæ & antilogicæ peritiffimi. Seria ludo vertebant; nec moribus nec religioni parcebant, faftu turgebant, & omnem nifum ad corrumpendam eloquentiam conferebant. Adduntur hifce fophiftis Zeno Eleates, Protagoras Abderità, Gorgias Leontinus, Prodicus, Empedocles, Tifias, Corax, aliique: quorum tamen de nonnullis certe, Gorgia nominatim, mitius fentiret, fi quæ huc fpectant legiffet omnia. Cetera communia funt ac ftrictim difputata. C. 2 agit de rhetoricæ partibus, & ad dialecticam refpectu; c. 3. de inventione fubfidiisque perfuafionis generalibus; c. 4. de tribus rhetoricæ generibus, & locis oratoriis cuique propriis; c. 5. de fubfidiis minus artificiofis, vel adprobationibus, quæ non pendent ab oratoris arte; c. 6. de communibus locis; c. 7. de forma probationum & amplificatione, vel arte, rem oratione minorem

norem aut maiorem efficiendi. Quæ singula capita laudem accurationis merentur. Liber III. de motibus ac moribus habet c. 1. de motibus generatim, & eorum ad eloquentiam utilitate; c. 2. de iisdem singulatim, ad divisionem *Boetii de consol. phil.* L. X. singularibus sectionibus, contrario semper opposito, & c. 3. de moribus, secundum varias indoles, ætates, fortunas mortalium.

Tomum III. incipit L. IV. oratoria de dispositione proponendique ratione, cuius c. 1. est de partibus orationis generatim, ad mentem quidem veterum; c. 2. de exordio, quod cum prologis poetarum & conceptuum præludiis comparatur; c. 3. de propositione ac divisione, quarum arctissimus nexus ostenditur, c. 4. de narratione, cui fabulas haud minus Auctor adiungit; c. 5. de argumentis, in quibus numquam non adplicationes iungi & consecutiones ostendi debent; c. 6. de peroratione, cuius partes, fines, & regulæ proponuntur; c. 7. de decoro oratorio, quod in primis *Fabius* tractavit L. XI. 1. Libri V. c. 1. agit de stilo generatim eiusque materia, c. 2. de variis stili generibus, quæ tamen forsitan, vel relictis antiquis, proponi distinctius potuissent. Invenimus autem stilum simplicem, sublimem potissimum in rebus observandum, ac prudenter adhibendum, temperatum aut floridum, cuius cautiones ac regulas maxime *Rollinus* exhibuit, c. 3. de stili forma, quæ pendet a vocabulis, tamquam singularibus sonis in aures incidentibus; comprehendit ergo vocabulorum selectum, res quoque vividiores efficientem; harmoniam vocabulorum & iunctionem, quo numerus pertinet: circuitiones, cum secundum partes, tum species, c. 4. de figuris generatim, e natura rerum & animorum repetendis, hinc singulatim de figuris dictionis, quæ verbis mutatis perire solent, deque figuris sententiarum, quarum numerum vulgo nimis augent rhetores, quas autem noster tres distinguit in classes, in approbationibus accommodatas, in motibus animorum peculiares, quorum lingua præcipue sunt figuræ, & in figuras exornationibus nominatim convenientes. L. VI. membra minora XXXIV. complectitur, quibus eloquentia corporis, quam tanti Demosthenes fecit, prius generatim consideratur, & antiquorum ostenditur prærogativa, quorum hypocriticæ musicæ pars erat, oratoria modulatio; mox autem singulatim exponitur, ac regulis fulcitur accommodatissimis, quarum vero nullam fere non alibi quoque nos legere meminimus. Ut multa paucis complectamur, promissioni suæ satisfecit Auctor abunde: nobis autem observandum præterea reliquit nihil.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Novembris Anno MDCCLVI.

IO. GEORGII LEBRECHT WILKII, PHILOS. & I. V. Doct. TICEMANNUS, sive Vita illustris Principis Theodorici. quondam iunioris Thuringiae Landgravii, Orientalis & Lusatiae Marchionis, ad ductum Diplomatum & Historicorum optimorum conscripta. Accedunt CCX. Diplomata, maxima ex parte hucusque inedita, variis illustrata adnotationibus, & X. Sigilla aeri incisa.

Lipsiæ, 1754. apud Bernh. Christoph. Breitkopf, Alph. 3. plag. 19. cum tabb. æn. in 4.

Si nullo non tempore summa in laude positum fuit, magnorum virorum vitam scriptis celebrare, virtutesque illorum & fortia facta memoria recolere, non potest non maximam apud omnes gratiam inire doctissimus *Wilckius*, quod talem operam suscipere, & de vita illustris principis Theodorici, rebusque gestis, exponere voluerit. Vix digniorem Ticemanno personam invenire Cl. Auctor potuisset, in cuius laudibus celebrandis diligentiam poneret, maximæque, qua inter alia pollet, in re historica doctrinæ specimen ederet. Perennaturæ sibi famæ ianuam hac re patefecit Auctor doctissimus, & quamdiu Ticemanni gloria vigebit, *Wilckii* simul nomen cum laude celebrabitur. Partitus est opus suum Cl. Auctor in decem libros, quorum *primus* de Ticemanni natalibus, & genere, exponit. Natus est Theodoricus, sive ex Thuringorum loquendi more Ticemannus, patre Alberto,

 Land-

Landgravio Thuringiæ, & matre Margaretha, Friderici II. Imperatoris filia, anno MCCLX. in arce Wartburgo, prope Isenacum, quemadmodum Auctor, silentibus historicis, coniicit. Avum paternum habuit Henricum illustrem, Proavum paternum, Theodoricum afflictum, fratres autem Henricum & Fridericum admorsum, sororem Agnetem, Henrici Brunsuicensis uxorem, patruum denique Theodoricum, Marchionem Landesbergensem; quorum vitæ omnium singularibus capitibus historiæ luce illustrantur. *Libro II.* de Ticemanni educatione, coniugio, & aliis rebus domesticis, exponitur. Urbes, quas Ticemannus potissimum inhabitaverit, Auctor præcipue memorat Altenburgum, Torgaviam, Luccaviam, Gubenam, Lipsiam. Uxorem habuit Iuditham, ex domo Hennebergica, ex qua tamen nullos sustulit liberos. Eodem loco Auctor de aula quoque Ticemanni, amicis, ministris, militibus, notariis, & cancellaria exponit. *Libro III.* de inimicitiis & dissidiis in familia Ticemanni disserit. Referuntur hic lites, quæ Henrico illustri cum Alberto filio, & Alberto cum fratre Theodorico, filiisque Friderico & Ticemanno, intercesserunt. Memoratur discordia Albertum inter & Fridericum, cognomine Tutam; porro lis, quæ Alberto eiusque filiis, & Friderico Tutæ cum Friderico Dresdensi, fuit; & dissensio denique inter fratres ipsos, Fridericum admorsum & Ticemannum, orta. *Libro VI.* de Ticemanni expeditionibus bellicis fusius exponitur. Memorat Auctor initio generatim, Ticemanni scientiam & experientiam in re militari, mox expeditiones eius bellicas contra Adolfum Romanorum regem, nec non bellum ab Alberto I. Adolfi successore, contra Ticemannum, eiusque fratrem Fridericum admorsum motum, simulque causas, fortunam, & eventum horum motuum, diligenter exponit. *Libro V.* Ticemanni merita in rem sacram celebrantur. Etenim immortaliter Ticemannus non de Ecclesia solum terræ Plisnensis, & orientalis, sed de ecclesia quoque urbis Lipsiæ, beato Thomæ dicata, de ecclesiis Marchiæ Misnensis, Lusatiæ, Thuringiæ, de monasteriis, Buch, Novæ Cellæ, aliisque, meritus est. Ut de ecclesia tantum

tum Lipsiensi dicamus, Ticemannus ecclesiæ Thomanæ piscatum, cum omnibus iuribus annexis, donavit, constituitque, ut Canonici Thomani piscibus ex illo percipiendis non nisi in coenaculo, quod refectorium dicunt, una accumbentes fruerentur. Porro quoque domum, vulgo Suchus dictam, & ius patronatus in ecclesiam pagi Schoenefeld, prope Lipsiam siti, præposito & conventui ecclesiæ Thomanæ tribuit. *Liber VI.* de Ticemanni gestis in rebus politicis exponit. Docet cl. Auctor, Ticemannum omnia iura sublimiora, quæ quidem principibus imperii competebant, e. g. ius belli & pacis, armandiæ, foederum, exercuisse. Mentionem quoque curiæ feudalis Ticemanni, feudorumque ab ipso concessorum, iniicit. Nec rei iudiciariæ, aut politiæ a Ticemanno ordinatæ, monumenta desiderantur. Quo pertinet lex piscatui in urbe Lipsia a Ticemanno scripta, cuius tabulas privilegii authenticas piscatorum tribus, cimelii instar, servat. Pertinent huc & privilegia civitati Torgaviensi, Gubenæ, Liberosæ, aliisque a Ticemanno concessa. De statu adeo camerali & steuerali Ticemanni, deque re monetaria, qualis eius tempore fuit, exponitur. *Libro VII.* de terris & provinciis, quas Ticemannus possedit, agitur. Primo loco hic nominatur terra Plisnensis, quidque ad eam pertinuerit, accurate monstratur. Oppidum Schmoellen pariter atque Roetha oppidum, quin terræ Plisnensis partes fuerint, nullum est dubium. De Altenburgo autem, Zwickauia, & Chemnitio, an idem dicendum sit, lis inter historicos maxima est. Cl. Auctor has urbes in terra Plisnensi sitas quidem fuisse, minime vero ad eam pertinuisse, sed ab imperio pependisse, arbitratur. Tenuit porro Ticemannus terras quasdam Marchionatus Misnensis, terram orientalem, monasteria plura in Osterlandia, dynastiam Groitzsch, Thuringiæ partem, & Lusatiam, cuius simul de finibus, Ticemanni tempore quales fuerunt, nec non de agris, dynastiis, oppidisque in illa, citra ultraque fluvium Spream sitis, exponitur. *Libro VIII.* de mutatione rerum Lusaticarum, a Ticemanno proveniente, tractatur. Scilicet A. MCCCI. de venditione Lusatiæ, inter Ticemannum & Archiepiscopum Magdeburgensem convenisse, vulgo dicitur. At enim cl. Au-

 ctor

ctor docet, contractum illum, ob adnexas, sed non impletas conditiones, omni vi & efficacia destitutum fuisse, Ticemannum vero ipsum Lusatiam in domum Brandenburgicam, stirpis Ascaniæ, transtulisse, probatque, illud iam anno MCCCIII. factum esse; qua in re Cl. Auctor a sententia *Tentzelii & Schurtzfleischii* recedit, qui Lusatiam decem vel duodecim annis serius in potestatem domus Brandenburgicæ venisse statuunt. Eodem loco doctissimus Wilckius erudite exponit, quomodo Lusatia, post Waldemari Brandenburgici tempora, ab Electore Saxoniæ occupata, deinde domui Brandenburgicæ lineæ Bavaricæ cessa, porro Marchionibus Misniæ tradita, denique a regibus Bohemiæ comparata, ac tandem iterum ad Electores Saxoniæ, Marchiones Misniæ, reversa fuerit. *Libro IX.* de morte, sepultura, herede, & hereditate Ticemanni tractatur. Anno scilicet MCCCVII. in templo Thomano. Ticemannus, nefando facinore, a siccario quodam, pecunia conducto, inter sacra matutina, cultro vulneratus, tertio post acceptum vulnus die mortuus, & in æde divi Pauli sepultus est; hodieque monumentum, Ticemanno positum, omnibus, ædem Paulinam Lipsiensem lustrantibus, in oculos incurrit. Heres Ticemanno frater Fridericus admorsus exstitit, cui quoque cum Alberto, Romanorum rege, plures ideo intercesserunt lites, feliciter tamen maxima ex parte sopitæ. *Libro X.* de Ticemanni titulis, sigillis, & præcipuis animi dotibus, tractatur. Inter titulos præcipue ille Landgravii Thuringiæ refertur; & cognomen *iunioris*, non ad nomen Theodorici, sed ad ipsum titulum Landgravii Thuringiæ referendum esse, demonstratur. Subinde Ticemannus terræ quoque Plisnensis, Lusatiæ, Marchionis orientalis, domini in Groutachs & in Greutzsch, titulos sumsit. Sistuntur porro diversa, quibus Ticemannus usus est, sigilla: & posteaquam loco postremo quædam haud vulgaria de virtutibus Ticemanni, inprimis de eius pietate, iustitia, fortitudine, temperantia, & constantia, in medium prolata essent, finis operi imponitur. Appendicis loco adiectus est *codex diplomaticus*, & decem sigilla aeri incisa. Prior continet *CCX. diplomata*, quæ Cl. Auctor vel primus, vel certe correctius, quam ab aliis factum est,

est, hic edidit, notisque illustravit locupletissimis. Qua re maximum pulcerrimo operi decus, *Wilkius*, Vir doctiss. conciliavit, cum diplomata quasi anima sint historiæ, omnibusque historicorum narrationibus suo iure anteponenda. Nimis longum esset, singula referre. Operæ tamen pretium erit, quædam speciminis loco proferre exempla. Sic numero CXLIII. occurrunt Ticemanni litteræ, de piscatu Lipsiensi d. 1 Maii A. 1305. datæ. Numero CLVIII. occurrunt litteræ Ticemanni, quibus ecclesiæ d. Thomæ Lipsiensi, casa Suchus, unum quotannis talentum solvens, adsignatur; numero autem sequente, litteræ, quibus eidem ecclesiæ ius patronatus in vicum Schoenefeld confertur. Conspectus, codici diplomatico præmissus, non auctorem solum, sed materiam etiam cuiusque chartæ, indicat. Notæ numerorum, ad marginem diplomatum adscriptæ sunt; quod ideo factum est, ut indicarentur verba diplomatis, quibus Auctor in ipsa commentatione, vel ad probanda, vel ad illustranda ea quæ scripsisset, usus est. Rerum & verborum indicem, qui magno erat Librum lecturis commodo atque compendio futurus, adiecit nullum, quod putabat, conspectum ipsi Libro præmissum esse loco Indicis posse, siquidem ea omnia, quæ singulis Librorum decem Capitibus continerentur, distincte exponit. Addidit tamen, coronidis loco, ad ordinem litterarum, excerpta e Diplomatibus, 1) Nomina Comitum & Burggraviorum: 2) Nomina Dynastarum, Nobilium, & aliarum celebrium familiarum: 3) Prænomina, quæ circa Ticemanni ætatem fuisse in usu reperta sunt. Quibus omnibus, quemadmodum & observationibus, ad intelligenda diplomata conscriptis, hoc effecit Auctor, Vir doctissimus, ut Liber eius, geographiæ, topographiæ, genealogiæ, chronologiæ denique Misnicæ, medii ævi studiosis, acceptissimus futurus sit; ipse vero diligentiæ, & præclaræ eruditionis laudem, ab omnibus ferat.

LEGUM MOTUS, IN COLLISIONE UNIUS corporis cum pluribus, analytica investigatio. Auctore G. F. BERMANNO.

Quæſtio de communicatione motus in colliſu corporum tam late patet, & partes habet adeo difficiles explicatu, ut necdum tota ſit enodata. Neque ego præ me fero, me velle in præſenti hanc quæſtionem ultra eos limites extendere, in quibus maximorum Geometrarum, & nominatim V. Cel. *L. Euleri* (in Tomo IX. *Comment. Petrop.*) induſtria ſubſtitit. Conſiderabo tantum aliquam partem ſimpliciſſimi huius quæſtionis caſus, qui tunc obvenit, cum rectæ, iuxta quas fit impactio, per centra gravitatis corporum inter ſe colliſorum tranſeunt. In quo caſu, ſi duo duntaxat ſint corpora, uti leges motus dudum a *Wrenno, Walliſio, & Hugenio* ſunt oſtenſæ, ita elegantiſſimam & omnibus numeris abſolutam earum analyſin dedit V. Cel. *Eulerus* in T. V. *Comment. Petropol.*: Sin autem plura ſint corpora, quæſtio de communicatione motus inter illa nondum ita pertractata eſſe videtur, ut nihil in eius ſolutione deſiderandum ſuperſit. Qui enim primus pro hac hypotheſi leges motus protulit, *Io. Bernoullius* V. C. corpora poſuit perfecte elaſtica, & eas leges pro caſu tantum particulari, methodo indirecta, ex principio conſervationis virium vivarum elicuit. Poſt eum hoc problema doctiſſimus *Maclaurinus* (in *Treatiſe of Fluxions*) ſic tractavit, ut generalem quidem eius ſolutionem dederit, ſed conſtructioni geometricæ implicitam, & ex altioribus ſtaticæ & Mechanicæ theorematibus deductam. Conſtructio autem illa, utut elegans & concinna ſit, tamen eſt conſtructio geometrica, quæ in plerisque quæſtionibus mathematicis, ſi recte iudico, cedere debet ſolutioni algebraicæ, præſertim ſi talis non fuerit, ut per eam facile pateat via ac ratio, rem a lineis ad numeros revocandi. Namque, ut alias huius ſententiæ rationes taceam, ſi minutiarum in praxi quoque ratio habenda ſit, quod non raro requiritur, poſſunt eæ plerumque per ſolutionem algebraicam determinari, per conſtructionem autem geometricam eas aſſequi, ob inſtrumentorum imperfectionem, non licet. Talis autem eſt noſtri problematis conſtructio *Maclauriniana*, ut neſciam, an cuiquam ex ea patere queat modus, quæſita ad calculos vocandi. Ergo cum poſt magnorum horum, quos modo laudavi, virorum operam

ram, huic problemati impensam, desiderari adhuc iure posse videatur solutio eius algebraica, eaque universalis, & ex primis Mechanicæ principiis directe ducta, qualem quidem nemo adhuc publice, quod sciam, exhibuit: haud inanem operam me sumturum esse existimo, si eiusmodi solutionem in hac dissertatione dare adlaboravero.

Ante vero quam ad eam me accingam, monere debeo lectorem, me hic corpora sumere figuræ sphæricæ, & massæ homogeneæ, non quasi omnino nulla alia figura hypothesi problematis conveniat, sed tantum exempli caussa, cum figura sphærica eiusmodi corporum talis sit, ut recta iungens centra gravitatis corporum plano contactus sit normalis; deinde, ne præter necessitatem solutio problematis nimis intricata & perplexa reddatur, poni omnium corporum centra gravitatis in plano uno eodemque, & intelligi corpus unum in recta huius plani uniformiter motum in reliqua corpora, aut quiescentia, aut in rectis, ex uno puncto divergentibus, uniformiter mota, sic incurrere, ut hæc singula uno eodemque temporis momento ab illo impellantur iuxta rectas cum directionibus eorum coincidentes. Quodsi enim corpora in rectis aliter positis moveantur, aut centra gravitatis eorum haud sint in uno plano, hosce casus ad illum posse reduci, haud difficulter intelligitur.

Quibus præmonitis, quæstionem sic restrictam in duas partes dividemus, eamque primo pro corporibus non elasticis, tum pro corporibus utcunque elasticis, solutam dabimus. Sit ergo

Problema I.

Si corpus sphaericum A *in recta* Aα *uniformiter motum celeritate* α, *in quotvis alia corpora sphaerica* B, C, D, *quae in rectis* Bβ, Cγ, Dδ, *aequabiliter moveantur celeritatibus* β, γ, δ, *sic incurrat, ut ea simul feriat iuxta rectas* AB, AC, AD, *per centra omnium sphaerarum (in uno plano posita) transeuntes, & cum directionibus sphaerarum impulsarum coincidentes: datis singulorum corporum massis, ac directionibus & celeritatibus ante collisum, invenire corporis incurrentis* A *directionem, & singulorum corporum velocitates, post conflictum; siquidem singula sint elasticitate destituta.* Analy-

ANALYSIS

Incurrat sphæra A exempli caussa in tres sphæras B, C, D, ad easdem partes rectæ $A\alpha$, in qua centrum sphæræ A incedit, motas. Sint horum corporum massæ A, B, C, D. Sint $A\alpha$, $B\beta$, $C\gamma$, $D\delta$, spatia, quæ a corporibus A, B, C, D respective eodem temporis elemento velocitatibus $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, quas ante collisum habent, describi possunt. Ergo posito illo temporis elemento $= 1$, erit $A\alpha = \alpha$, $B\beta = \beta$, $C\gamma = \gamma$, $D\delta = \delta$. Post conflictum sit directio corporis A recta AV, & velocitas eius $= v$. Ponatur $AV : A\alpha = v : \alpha$: & erit $AV = v$. Iungatur recta $V\alpha$; & quoniam motus sphæræ A ante conflictum componitur e motibus per rectas $V\alpha$, AV expositis, post conflictum autem haud alius motus sphæræ A superest, quam qui exponitur per AV: consequens est, ut motus eius, per rectam $V\alpha$ expositus, in conflictu destruatur corporum percussorum B, C, D reactione.

2. Iam reactione sphæræ B destructus in A motus, æqualis sit necesse est motui in corpore B per conflictum genito ambobus motibus iuxta eandem directionem AB æstimatis (vi principii de reactione): quod idem de reliquorum corporum C, D, reactione est intelligendum. Sit Be spatium, quod corpus B post conflictum elemento temporis supra assumto describere potest: hinc motus in B per conflictum genitus erit ut $B \times \beta e$. Similiter, si Cf, Dg fuerint spatia corporibus C, D post conflictum eodem illo temporis elemento percurrenda: erunt motus, in his corporibus per conflictum geniti, ut $C \times \gamma f$, & $D \times \delta g$. Ergo necesse erit, ut motus $A \times V\alpha$ tanquam e motibus tribus, qui ipsis $B \times \beta e$, $C \times \gamma f$, $D \times \delta g$ sigillatim æquales ac iuxta rectas AB, AC, AD directi sint, compositus possit spectari: alioquin enim ille motus $A \times V\alpha$ reactione corporum B, C, D, non potuisset destrui.

3. Resolvamus nunc celeritatem sphæræ incurrentis A per rectam $V\alpha$ expositam in duas, quas rectæ Vx, $x\alpha$ exponant, quarum illa sit in rectam $A\alpha$ normalis, hæc ad ipsam $A\alpha$ parallela. Similiter resolvatur celeritas βe in duas βk, ke, & celeritas

leritas γf in duas γl, lf, & velocitas δg in duas δm, mg, sic ut rectæ βk, γl, δm ipsi Vx, rectæ autem ke, lf, mg ipsi $A\alpha$ sint parallelæ, Quibus factis, patet ex antea dictis (§. 2.), atque ex theoria compositionis motuum vel virium, fore

I. $A \times Vx = B \times \beta k + C \times \gamma l + D \times \delta m$;

II. $A \times x\alpha = B \times ke + C \times lf + D \times mg$.

4. Sit anguli $BA\alpha$ tangens $= b$, sinu toto existente $= 1$, & *tang.* $CA\alpha = c$, *tang.* $DA\alpha = d$, quæ omnes (per hypothesin problematis) dantur. Sit præterea *tang.* $VA\alpha = t$, qui numerus quæritur. His positis, erit

$$Vx = \frac{tv}{\sqrt{(1+tt)}};\quad x\alpha = \alpha - \frac{v}{\sqrt{(1+tt)}};$$

$$\beta k = \frac{b}{\sqrt{(1+bb)}}\beta e;\quad ke = \frac{\beta e}{\sqrt{(1+bb)}};$$

$$\gamma l = \frac{c}{\sqrt{(1+cc)}}\gamma f;\quad lf = \frac{\gamma f}{\sqrt{(1+cc)}};$$

$$\delta m = \frac{d}{\sqrt{(1+dd)}}\delta g;\quad mg = \frac{\delta g}{\sqrt{(1+dd)}};$$

Quo autem velocitates βe, γf, δg exprimantur, considerandum est, necesse esse, ut velocitas unius cuiusque corporum B, C, D post conflictum æqualis sit celeritati corporis A post conflictum, ad directionem eius corporis reductæ. Alioquin non possent corpora B, C, D cum ipso A, tanquam unum corpus progredi; quod tamen per tempus saltem exiguum fiat necesse est, quemadmodum idem contingit in casu duorum corporum, quorum unum in alterum directe incurrit. Hoc enim cum sequatur ex notione conflictus, quippe qui nondum finitus dici potest, quamdiu aliqua velocitas relativa superest: idem contingat etiam necesse est in casu nostri problematis. Quare ductis ex puncto V in corporum B, C, D directiones perpendiculis Vb, Vc, Vd, erit

 Ab

$$Ab = \frac{v}{Set.(VA\alpha + BA\alpha)} = Be, \text{ ideoque}$$

$$\beta e = \frac{(1-bt)v}{\sqrt{(1+bb)(1+tt)}} - \beta.$$

Similiter $$\gamma f = \frac{(1-ct)v}{\sqrt{(1+cc)(1+tt)}} - \gamma; \ \&$$

$$\delta g = \frac{(1-dt)v}{\sqrt{(1+dd)(1+tt)}} - \delta.$$

Quibus valoribus in locum ipſarum βe, γf, δg ſubſtitutis, fit

$$\beta k = \frac{(1-bt)bv}{(1+bb)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{b}{\sqrt{(1+bb)}}\beta;$$

$$ke = \frac{(1-bt)v}{(1+bb)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{\beta}{\sqrt{(1+bb)}};$$

$$\gamma l = \frac{(1-ct)cv}{(1+cc)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{c}{\sqrt{(1+cc)}}\gamma;$$

$$lf = \frac{(1-ct)v}{(1+cc)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{\gamma}{\sqrt{(1+cc)}};$$

$$\delta m = \frac{(1-dt)dv}{(1+dd)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{d}{\sqrt{(1+dd)}}\delta;$$

$$mg = \frac{(1-dt)v}{(1+dd)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{\delta}{\sqrt{(1+dd)}}$$

5. Hinc æquationes I. & II. abeunt in has,

$$\frac{Atv}{\sqrt{(1+tt)}} = \frac{(1-bt)Bbv}{(1+bb)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{Bb\beta}{\sqrt{(1+bb)}} + \frac{(1-ct)Ccv}{(1+cc)\sqrt{(1+tt)}}$$

$$- \frac{Cc\gamma}{\sqrt{(1+cc)}} + \frac{(1-dt)Ddv}{(1+dd)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{Dd\delta}{\sqrt{(1+dd)}};$$

Aα

$$A\alpha - \frac{Av}{\sqrt{(1+tt)}} = \frac{(1-bt)Bv}{(1+bb)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{B\beta}{\sqrt{(1+bb)}}$$

$$+ \frac{(1-ct)Cv}{(1+cc)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{C\gamma}{\sqrt{(1+cc)}} + \frac{(1-dt)Dv}{(1+dd)\sqrt{(1+tt)}} - \frac{D\delta}{\sqrt{(1+dd)}}$$

Et multiplicatis ſingulis terminis per $\sqrt{(1+tt)}$ habemus

$$\left(-At + \frac{(1-bt)Bb}{1+bb} + \frac{(1-ct)Cc}{1+cc} + \frac{(1-dt)Dd}{1+dd}\right)v =$$

$$\left(\frac{Bb\beta}{\sqrt{(1+bb)}} + \frac{Cc\gamma}{\sqrt{(1+cc)}} + \frac{Dd\delta}{\sqrt{(1+dd)}}\right)\sqrt{1+tt};$$

$$\left(A + \frac{1-bt}{1+bb}B + \frac{1-ct}{1+cc}C + \frac{1-dt}{1+dd}D\right)v =$$

$$\left(A\alpha + \frac{B\beta}{\sqrt{(1+bb)}} + \frac{C\gamma}{\sqrt{(1+cc)}} + \frac{D\delta}{\sqrt{(1+dd)}}\right)\sqrt{1+tt}.$$

6. Iam ponamus

$$\begin{array}{l|l|l}
1+b^2 = \frac{1}{LL} & \frac{b}{\sqrt{(1+bb)}} = l & \frac{l}{\sqrt{(1+bb)}} = \frac{1}{2}\lambda \\
1+c^2 = \frac{1}{MM} & \frac{c}{\sqrt{(1+cc)}} = m & \frac{m}{\sqrt{(1+cc)}} = \frac{1}{2}\mu \\
1+d^2 = \frac{1}{NN} & \frac{d}{\sqrt{(1+dd)}} = n & \frac{n}{\sqrt{(1+dd)}} = \frac{1}{2}\nu
\end{array}$$

erit

$$\begin{array}{l|l|l}
L = cosin.\, BA\alpha & l = sin.\, BA\alpha & \lambda = sin.\, 2.BA\alpha \\
M = cos.\, CA\alpha & m = sin.\, CA\alpha & \mu = sin.\, 2.CA\alpha \\
N = cos.\, DA\alpha & n = sin.\, DA\alpha & \nu = sin.\, 2.DA\alpha
\end{array}$$

quæ quantitates omnes dantur; & ſubſtitutis hiſce litteris in duabus æquationibus §. præc. fiet

$$(-2At + \lambda B - 2l^2tB + \mu C - 2m^2tC + \nu D - 2n^2tD)v$$

$$= 2(lB\beta + mC\gamma + nD\delta)\sqrt{1+tt}.$$

$$(2A + 2L^2B - \lambda tB + 2M^2C - \mu tC + 2N^2D - \nu tD)v$$

$$= 2(A\alpha + LB\beta + MC\gamma + ND\delta)\sqrt{1+tt}.$$

7. Sit tandem $\lambda B+\mu C+\nu D=P$
$A+l^2 B+m^2 C+n^2 D=Q$
$lB\beta+mC\gamma+nD\delta=R$
$A+L^2 B+M^2 C+N^2 D=S$
$A\alpha+LB\beta+MC\gamma+ND\delta=T$
quæ quantitates per hyp. probl. datæ sunt:

erit (per §. 6.) $[P-2Qt]\, v=2R\sqrt{(1+tt)}$
& $[2S-Pt]\, v=2T\sqrt{(1+tt)}$

$$\text{Hinc } v=\frac{2R\sqrt{1+tt}}{P-2Qt}=\frac{2T\sqrt{1+tt}}{2S-Pt}$$

$$t=\frac{PT-2RS}{2QT-PR};$$ unde innotescit ang. αAV, seu directio corporis A post conflictum.

Celeritas autem cuiusque corporum percussorum B, C, D post conflictum, erit (§. 4.) ad celeritatem v corporis incurrentis A post conflictum, uti cosinus anguli, quem illius corporis directio cum huius directione post conflictum AV comprehendit, ad sinum totum. Q. E. I.

COROLL. I.

Fig. 2. Si quod corporum percussorum B, C, D, exempli gratia D, existat ad alteras partes rectæ $A\alpha$ respectu reliquorum: in valoribus litterarum P, R oportebit numeros n & ν negative accipi.

COROLL. 2.


Si corpora B, C, D, in quæ incurrit sphæra A, quiescant: erit $\beta=o=\gamma=\delta$, ideoque $R=o$, & $T=A\alpha$.
Ergo in hac hypothesi erit $t=\dfrac{P}{2Q}=\dfrac{\lambda B+\mu C+\nu D}{2(A+l^2B+m^2C+n^2D)}$


$$v=\alpha\frac{2A\sqrt{1+tt}}{2S-Pt}.$$


COROLL. 3.


Fig. 3. Si duæ sphæræ æqualis massæ B, C quiescentes sic percutiantur


TAB. VII. ad Nov. Act. Erud. pag. 636. sq.














J. G. Krugner Jun. sc.

tiantur ab incurrente ſphæra A, ut directio eius $A\alpha$ tranſeat per punctum medium rectæ BC iungentis centra illarum, & huic rectæ perpendicularis ſit: erit $M^2 = L^2$, $m^2 = l^2$, & $\mu = -\lambda$; propterea $P = o$, & $t = o$. Quare directio corporis A in conflictu haud mutatur, ſed pergit illud in recta $A\alpha$ velocitate $v = \alpha \frac{A}{A + 2LLB}$.

COROLL. 4.

Et ſi quotvis corpora B, C ſint ad ſiniſtras, ac totidem D, E, illis reſpective æqualia, ad dextras rectæ $A\alpha$, iuxta quam ſphæra A movetur, in quiete; recta autem $A\alpha$ omnes rectas BD, EC, quæ centra ſphærarum binarum æqualium iungunt, bifariam atque ad rectos angulos ſecet: poſt conflictum ſphæra A perget (ob $P = o$) in eadem directione, in qua initio movebatur velocitate v, quæ erit ad velocitatem α ante colliſum, in ratione maſſæ A ad $(A + 2L^2B + 2M^2C + \&c.)$ Velocitas autem corporum B, D iuxta rectas AB, AD erit $= Lv$, & celeritas corporum C, E iuxta AC, AE erit $= Mv$; hoc eſt, velocitas unius cuiusque horum corporum erit ad velocitatem corporis A poſt conflictum, uti coſinus anguli, quem eius directio cum directione corporis A comprehendit, eſt ad ſinum totum. Fig. 4.

COROLL. 5.

In caſu corollarii 2. exponatur ſphæræ A celeritas & directio per rectam AG, & ex puncto G in rectas AB, AC, AD ducantur perpendicula Gb, Gc, Gd. ex punctis autem b. c, d in AG perpendicula bM, cN, dZ: erit $\lambda (= 2lL) = 2\frac{Gb.\,bA}{AG^2}$ $= \frac{2bM}{AG}$, & $\mu (= 2\,m\,M) = 2\frac{Gc.\,cA}{AG^2} = \frac{2\,c\,N}{AG}$, & $\nu (= 2nN)$ $= 2\,\frac{Gd.\,dA}{AG^2} = 2\,\frac{dZ}{AG}$. Ergo $P\ (= \lambda B + \mu C + \nu D)$ Fig. 5.

$= 2$

$= 2\frac{B.b\,M + C.c\,N + D.d\,Z}{AG}$. Porro erit $l^2 = \frac{Gb^2}{AG^2} = \frac{MG}{AG}$, $m^2 = \frac{Gc^2}{AG^2} = \frac{NG}{AG}$, & $n^2 = \frac{Gd^2}{AG^2} = \frac{ZG}{AG}$. Ergo $Q = \frac{A.AG + B.MG + C.NG + D.ZG}{AG}$. Quare $\frac{P}{2Q} =$

$$t = \frac{B.b\,M + C.c\,N + D.d\,Z}{A.AG + B.MG + C.NG + D.ZG}.$$

Sit nunc O centrum gravitatis commune omnium sphærarum, centris ipsarum existentibus in A, b, c, d punctis, & ex O in AG ductum sit perpendiculum OP: erit (ex theoria centri gravitatis) $B.b\,M + C.c\,N + D.d\,Z = (A+B+C+D)\,OP$, & $A.AG + B.MG + C.NG + D.ZG = (A+B+C+D)$ PG. Hinc $t = \frac{OP}{PG} =$ tang. OGP. Habetur ergo constructio corollarii 2. geometrica, si, centris corporum A, B, C, D in punctis A, b, c, d positis, quæratur centrum eorum gravitatis commune O, & ductæ rectæ OG per A parallela agatur AW: hæc enim recta AW erit directio corporis incurrentis A post conflictum.

Ex puncto G excitetur ipsi AG normalis, quæ rectæ AW occurrat in W: erit $AW = AG\sqrt{(1+tt)} = \alpha\sqrt{(1+tt)}$. Deinde quia, posita $A+B+C+D = \Sigma$, est per ostensa, $P = 2\Sigma\frac{OP}{AG}$: erit $P.t = 2\Sigma\frac{OP.GW}{AG^2}$. Porro est $S =$

$A + \Sigma - Q = A + \Sigma - \frac{PG}{AG}\Sigma = A + \frac{AP}{AG}\Sigma$. Quare $2S$

$- Pt = 2A + \frac{2\Sigma}{AG}\left(AP - \frac{OP.GW}{AG}\right)$. Ex puncto O

rectæ

rectæ OG perpendicularis excitetur, quæ rectam AG secet in R: quo facto erit $AG:GW = OP:PR$, ideoque $2S - Pt = 2A + 2\Sigma \frac{AR}{AG}$. Ergo erit $v = AG \frac{A.AW}{A.AG + \Sigma.AR}$ & $AW - v = \frac{\Sigma.AR.AW}{A.AG + \Sigma.AR}$, & proinde $AW - v : v = \Sigma.AR : A.AG$. Itaque si recta AW sic dividatur in puncto V, ut sit $VW : AV = (A+B+C+D)\ AR : A.AG$: celeritas corporis A post conflictum exponetur per rectam AV.

Et hæc ea est constructio corollarii secundi, quam *Maclaurinus* dedit pag. 431. Libri de Fluxionibus, sed ex principiis longe diversis ductam.

COROLL. 6.

Non multum absimili ratione licebit e nostra formula eruere constructionem problematis universalem a *Maclaurino* (pag. 432.) exhibitam. Erat scilicet $t = \frac{PT - 2RS}{2QT - PR}$. Ergo $t = \frac{P - 2S(R:T)}{2Q - P(R:T)}$. Sint AG, Ap, Aq, Ar rectæ exponentes Fig. 6. velocitates ac directiones corporum A, B, C, D ante collisum, ideoque $AG = \alpha$, $Ap = \beta$, $Aq = \gamma$, $Ar = \delta$. Ex punctis p, q, r in AG ducta sint perpendicula ps, qt, ru: erit $ps = l\beta$, $qt = m\gamma$, $ru = n\delta$, $As = L\beta$, $At = M\gamma$, $Au = N\delta$. Ergo $R = B \times ps + C \times qt + D \times ru$, & $T = A \times AG + B \times As + C \times At + D \times Au$. Sit in T centrum gravitatis commune datorum corporum, si ipsorum centra propria existant in G, p, q, r punctis. Ex T in AG cadat perpendiculum $T\tau$. Quibus positis, erit $R = \Sigma \times T\tau$, & $T = \Sigma \times A\tau$, ideoque $R : T = T\tau : \tau A$, seu $R : T =$ tang. $TA\tau$, quæ dicatur $= \tau$. Ergo erit $P - 2S.\tau = -2A.\tau + B(\lambda - 2L^2\tau) + C(\mu - 2M^2\tau) + D(\nu - 2N^2\tau) = -2A.\tau + 2B.L(l - L.\tau) + 2C.M(m - M.\tau) + 2D.N(n - N.\tau)$. Est autem $l - L\tau =$ sin.

$\frac{fin.\ BAT}{cof.\ TA\tau}, m - M\tau = \frac{fin.\ CAT}{cof.\ TA\tau}, n - N\tau = \frac{fin.\ DAT}{cof.\ TA\tau}.$

Ergo $P - 2S.\tau = 2(-A.fin.\ TA\tau + B.L.fin.\ BAT + C.M.fin.CAT + D.N.fin.DAT) : cofin.\ TA\tau.$

Porro $2Q - P.\tau = 2A + B(2l^2 - \lambda\tau) + C(2m^2 - \mu\tau) + D(2n^2 - \nu\tau) = 2A + 2B.l(l - L\tau) + 2C.m(m - M\tau) + 2D.n(n - N\tau) = 2(A.cof.\ TA\tau + B.l.fin.\ BAT + C.m.fin.\ CAT + D.n.fin.\ DAT) : cofin.\ TA\tau.$

Sint l', m', n' finus angulorum BAT, CAT, DAT, & L', M', N' cofinus eorundem refpective: atque erit

$$t = \frac{P - 2S\tau}{2Q - P\tau} = \frac{-A.fin.\ TA\tau + BLl' + CMm' + DNn'}{A.cof.\ TA\tau + Bll' + Cmm' + Dnn'},$$

$$t + \tau = \frac{Bl'(L + l\tau) + Cm'(M + m\tau) + Dn'(N + n\tau)}{A.cof.\ TA\tau + Bll' + Cmm' + Dnn'},$$

$$1 - t\tau = \frac{Bl'(l - L\tau) + Cm'(m - M\tau) + Dn'(n - N\tau) + A : cof.\ TA\tau}{A.cof.\ TA\tau + Bll' + Cmm' + Dnn'},$$

$$\frac{t + \tau}{1 - t\tau} = tang.\ TAV = \frac{Bl'(L + l\tau) + Cm'(M + m\tau) + Dn'(N + n\tau)}{\frac{A}{cof.\ TA\tau} + Bl'(l - L\tau) + Cm'(m - M\tau) + Dn'(n - N\tau)}$$

& multiplicatis fingulis terminis tam numeratoris quam denominatoris huius fractionis per $cof.\ TA\tau$. erit

$$tang.\ TAV = \frac{Bl'L' + Cm'M' + Dn'N'}{A + Bl'l' + Cm'm' + Dn'n'}.$$

Quare fi dicamus $2l'L' = fin.\ 2BAT = \lambda'$, $2m'M' = fin.\ 2.CAT = \mu'$, & $2n'N' = fin.2.DAT = \nu'$: erit

$$tang.\ TAV = \frac{\lambda'B + \mu'C + \nu'D}{2(A + l'l'B + m'm'C + n'n'D)} = \frac{P'}{2Q'}.$$

Itaque cum hæc expresfio omnino fimilis fit expresfioni $tang.\ GAV$ in cafu præcedentis corollarii: patet per ea, quæ initio illius corollarii oftenfa funt, fi per T punctum in rectas AB, AC. AD ducantur perpendicula ipfis occurrentia in punctis

punctis x, y, z respective, atque in P existat centrum gravitatis commune datorum corporum, collocatis propriis eorum centris in A, x, y, z, denique ex puncto P in rectam AT ducatur normalis, quæ illi occurrat in O, patet, inquam, fore $\frac{OP}{OT} = tang.\ TAV$. Quapropter ad inveniendam directionem AV corporis A post conflictum, iunctæ PT per A agenda est parallela AV.

Quod celeritatem v attinet, rectæ eam exponentis constructio sic invenietur. Sit $ang.\ TAG = \pi$, & $tang.\ TAV = \varphi$: erit $t = \frac{\varphi - tang.\ \pi}{1 + \varphi\ tang.\ \pi}$, & $\sqrt{(1+tt)} = \frac{sec.\ \pi}{1 + \varphi\ tang.\ \pi}\sqrt{(1+\varphi^2)}$.

Ergo $v = \frac{2T\sqrt{(1-tt)}}{2S - Pt} = \frac{2T.sec.\pi.\sqrt{(1+\varphi\varphi)}}{2S(1+\varphi tang.\pi) - P(\varphi - tang.\pi)}$.

Erat autem $T = \Sigma \times A\tau = \Sigma\frac{AT}{sec.\ \pi}$. Ergo $T.sec.\ \pi = \Sigma \times AT$. Sed ex puncto T in rectam AT ducto perpendiculo, quod rectæ AV occurrat in W, est $AT \times \sqrt{(1+\varphi\varphi)} = AW$. Ergo $v = \frac{2\Sigma \times AW}{2S(1+\varphi\ tang.\ \pi) - P(\varphi - tang.\ \pi)}$.

Porro est $S = A + \Sigma - Q = \Sigma - l^2 B - m^2 C - n^2 D$.
Atqui $l = l'\ cos.\ \pi + L'\ sin.\ \pi$.
Ergo $l^2 = l'l'\ cos.\ \pi^2 + L'L'\ sin.\ \pi^2 + \frac{1}{2}\lambda'\ sin.\ 2\pi$
Similiter $m^2 = m'm'\ cos.\ \pi^2 + M'M'\ sin.\ \pi^2 + \frac{1}{2}\mu'\ sin.\ 2\pi$,
& $n^2 = n'n'\ cos.\ \pi^2 + N'N'\ sin.\ \pi^2 + \frac{1}{2}\nu'\ sin.\ 2\pi$.
Sit $A + L'L'B + M'M'C + N'N'D = S'$: erit proinde $S = \Sigma + (A - Q')\ cos.\ \pi^2 + (A - S')\ sin.\ \pi^2 - \frac{1}{2}P'\ sin.\ 2\pi$, & $2S = 2(A+\Sigma) - 2Q'\ cos.\ \pi^2 - 2S'\ sin.\ \pi^2 - P'\ sin.\ 2\pi = 2(A+\Sigma)\ sin.\ \pi^2 + 2S'\ cos.\ 2\pi - P'\ sin.\ 2\pi$, (propter $A + \Sigma = S' + Q'$).

Præterea, quoniam $\lambda = 2lL$, & $l = l'\ cos.\ \pi + L'\ sin.\ \pi$, ac $L = L'\ cos.\ \pi - l'\ sin.\ \pi$, nec non $\lambda' = 2l'L'$: erit

 $\lambda =$

$\lambda = \lambda' \, cos. 2\pi + (L' L' - l' l') \, fin. 2\pi$, & fimiliter
$\mu = \mu' \, cos. 2\pi + (M' M' - m' m') \, fin. 2\pi$, ac
$\nu = \nu' \, cos. 2\pi + (N' N' - n' n') \, fin. 2\pi$

Ergo $P = P' \, cos. 2\pi + (S' - Q') \, fin. 2\pi = -(A + \Sigma) \, fin. 2\pi + 2 S' \, fin. 2\pi + P' \, cos. 2\pi$.

Itaque $2S = 2(A + \Sigma) \, fin. \pi^2 + 2 S' \, cos. 2\pi - P' \, fin. 2\pi$,

$P. tang. \pi = -(A + \Sigma) \, fin. 2\pi. \, tang. \pi + 2 S' \, fin. 2\pi. \, tung. \pi + P \, cos. 2\pi \, tang. \pi$,

ergo $2S + P \, tang. \pi = 2 S' - P' \, tang. \pi$.

porro $2 S. \varphi. \, tang. \pi = 2 (A + \Sigma) \, \varphi. fin. \pi^2. \, tang. \pi + 2 S' \varphi \, cos. 2\pi. \, tang. \pi - P' \varphi \, fin. 2\pi. \, tang. \pi$

$- P. \varphi = (A + \Sigma) \, \varphi. fin. 2\pi - 2 S' \varphi \, fin. 2\pi - P' \varphi \, cos. 2\pi$

ergo $2 S. \varphi. \, tang. \pi - P. \varphi = 2 (A + \Sigma) \, \varphi. \, tang. \pi - 2 S'. \varphi. \, tang. \pi - P'. \varphi$.

Unde invenitur valoris ipfius v denominator ($= 2 S (1 + \varphi. \, tang. \pi) - P(\varphi - tang. \pi) = 2(A + \Sigma) \, \varphi. \, tang. \pi + 2 S' (1 - \varphi \, tang. \pi) - P' (\varphi + tang. \pi) = 2 \, Q'. \varphi. \, tang. \pi + 2 S' - P' (\varphi + tang. \pi) = 2 S' - P' \varphi$, ob $\frac{P'}{2 Q'} = \varphi$. Ex quo tandem fit

$$v = \frac{2 \Sigma. \; A W}{2 S' - P' \varphi}.$$

Quæ expreffio cum prorfus fimilis fit valori ipfius v in corollariis fecundo & quinto, ubi erat $v = \frac{2 A. \, A W}{2 S - P t}$: valor ipfius v nunc fimiliter conftruetur atque in corollario præcedente. Nimirum PO ducta ipfi AT ad rectos, erit $P' = \frac{2 \Sigma \times PO}{AT}$; &, ex T puncto excitata in AT normali TW, erit $P' \varphi = \frac{2 \Sigma \times OP \times TW}{AT^2}$. Tum $Q' = \Sigma \frac{O T}{A T}$, ideoque

$S' =$

$S' = A + \Sigma - \Sigma \frac{OT}{AT} = A + \Sigma \frac{AO}{AT}$. Hinc $2S' - P'\varphi = 2A + 2\frac{\Sigma}{AT}$ $\left(AO - \frac{PO \times TW}{AT}\right)$. Iam, si ex P ducatur ipsi PT perpendicularis, occurrens rectæ AT in R puncto, erit $\frac{PO \times TW}{AT} = OR$. Quare $2S' - P'\varphi = 2A + 2\Sigma$ $\frac{AR}{AT} = \frac{2A \times AT + 2\Sigma \times AR}{AT}$, & proin $v =$ $\frac{\Sigma . AT . AW}{A . AT + \Sigma . AR} = \frac{AT . AW}{\frac{A . AT}{\Sigma} + AR}$. Ergo in recta AT capiatur punctum S ita, ut sit SA ad AT, uti A ad summam omnium corporum Σ; quo facto, in recta AW capiatur punctum V sic, ut sit $AV : AW = AT : SA + AR$: exponet recta AV velocitatem corporis A post conflictum; quod habet *Maclaurinus* loco prædicto.

PROBLEMA II.

Positis iisdem, quae in primo problemate, praeterquam quod nunc singula corpora aequali elasticitate praedita sint: invenire celeritates eorum, ac directionem corporis incurrentis A, *post conflictum.*

ANALYSIS.

Ponamus corpora quidem ipsa esse perfecte dura, sed inter corpus A & singula reliqua corpora B, C, D interposita esse totidem elastra æqualis virtutis, quæ incipiente conflictu incipiant flecti, & finita flexione restituantur simul in instanti, vel saltem tempore quam minimo. Hanc enim hypothesin æquivalere hypothesi problematis, evidens est. Sit autem quantitas motus restitutione elastri in utrovis corporum, inter quæ compressum est, genita ad quantitatem motus corporis incurrentis A, flexione elastri impensam in ratione 1 ad π, ut ergo in casu perfectæ elasticitatis sit $\pi = 1$.

 I.

I. Quiescant sphæræ B, C, D ante ictum; &, seposita elasticitate, habeat sphæra A post conflictum velocitatem v, expositam recta AV, ideoque corpus B celeritatem $= v.$ cos. VAB (§. 7. probl. I.), & corpus C celeritatem $= v.$ cos. VAC, & corpus D velocitatem $= v.$ cos. VAD: erit quantitas motus in corpore B flexione elastri, inter B & A positi, nata $= B. v.$ *cos.* VAB; &, cum proinde tanta quoque sit quantitas motus, quam corpus A flectendo elastro illo perdidit, erit quantitas motus, quam idem elastrum sese restituens corpori A iuxta rectam BA impertitur $= \frac{B. v}{\pi}$ *cos.* VAB. Similiter quantitates motus restitutione secundi ac tertii elastri corpori A impressæ erunt $\frac{C. v}{\pi}$ *cos.* VAC, & $\frac{D. v}{\pi}$ *cos.* VAD.

Quibus consideratis, patet, rem perinde se habere, ac si corpori A quatuor vires acceleratrices simul essent applicatæ in centro eius A, nimirum vis v iuxta AV, vis $\frac{B. v}{\pi A}$ *cos.* VAB iuxta BA, vis $\frac{C. v}{\pi A}$ *cos.* VAC iuxta CA, & vis $\frac{D. v}{\pi A}$ *cos.* VAD iuxta DA. Iam hæ vires component aliquam, quæ non potest non talis esse, ut celeritatem ac directionem eam conferat corpori A, quæ ipsi, habita ratione elasticitatis, post conflictum convenit.

Ut nunc vis composita determinetur, resolvamus tres postremas earum quatuor virium, in totidem paria virium, quarum aliæ incidant in directionem AV vis primæ, aliæ huic directioni AV sint perpendiculares. Sic ex vi secunda existent

vires $\frac{B. v}{\pi A}$ *cos.* $\overline{VAB}^2$, & $\frac{B. v}{2\pi A}$ *sin.* $2\,VAB$

ex vi

ex vi tertia, $\frac{C.\,v}{\pi A}\,\overline{\text{cof.}\,VAC}^2$, & $\frac{C.v}{2\pi A}\,\text{fin.}\,2\,VAC$

ex vi quarta, $\frac{D.\,v}{\pi A}\,\overline{\text{cof.}\,VAD}^2$, & $\frac{D.\,v}{2\pi A}\,\text{fin.}\,2\,VAD$.

Iam quia *ang.* $VAB = BA\alpha + \alpha AV$, erit, iterum adhibita nomenclatura in problematis præcedentis §. 6. 7. expofita, & pofita $t = \text{tang.}\,VA\alpha$,

$$\text{cof.}\,VAB = (L - lt)\,\text{cof.}\,VA\alpha$$

$$\overline{\text{cof.}\,VAB}^2 = (L^2 + l^2t^2 - \lambda t)\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2$$

$$\text{fin.}\,VAB = (Lt + l)\,\text{cof.}\,VA\alpha$$

$$\text{fin.}\,2\,VAB = 2\,(\overline{L^2 - l^2} \times t + \tfrac{1}{2}\lambda \times \overline{1 - tt})\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2.$$

Similiter invenitur

$$\overline{\text{cof.}\,VAC}^2 = (M^2 + m^2t^2 - \mu t)\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2$$

$$\text{fin.}\,2\,VAC = 2\,(\overline{M^2 - m^2} \times t + \tfrac{1}{2}\mu \times \overline{1 - tt})\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2$$

$$\overline{\text{cof.}\,VAD}^2 = (N^2 + n^2t^2 - \nu t)\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2$$

$$\text{fin.}\,2\,VAD = 2\,(\overline{N^2 - n^2} \times t + \tfrac{1}{2}\nu \times \overline{1 - tt})\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2$$

Sunt itaque vires in rectam AV incidentes fimul fumtæ

$$= \frac{v.\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2}{\pi A} \times \left\{ \begin{array}{l} \frac{\pi A}{\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2} - L^2B - l^2Bt^2 + \lambda Bt \\ \qquad - M^2C - m^2Ct^2 + \mu Ct \\ \qquad - N^2D - n^2Dt^2 + \nu Dt \end{array} \right\}$$

$$= \frac{v.\,\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2}{\pi A} \times \left(\frac{\pi A}{\overline{\text{cof.}\,VA\alpha}^2} - (S - A) - (Q - A)\,t^2 + Pt \right)$$

$$= \frac{v}{\pi A(1+tt)} \times [(\pi+1)\,A(1+tt) - S - Qt^2 + Pt]$$

 v

$$=\frac{v}{\pi A(1+tt)}\times[(\pi+1)A(1+tt)-S+\tfrac{1}{2}Pt],\ \text{ob}\ t=\frac{P}{2Q}$$

(cor. 2. prob. I.)

$$=\frac{v}{\pi A(1+tt)}\times[(\pi+1)A(1+tt)-\frac{A\alpha}{v}\Upsilon\ (1+tt)],$$ vi eiusdem coroll. 2.

$$=\frac{\pi+1}{\pi}v-\frac{\alpha}{\pi}\cos.\ VA\alpha.$$

Quamobrem ducto ex puncto α in rectam AV perpendiculo $\alpha\Upsilon$, vis totalis iuxta AV agens erit $=\frac{(\pi+1)AV-A\Upsilon}{\pi}$.

Deinde vis composita e tribus in rectam AV normalibus erit

$$=\frac{\overline{v.\cos.VA\alpha}^2}{\pi A}\times\left\{\begin{matrix}+L^2Bt-l^2Bt+\frac{1}{2}\lambda B-\frac{1}{2}\lambda Bt^2\\+M^2Ct-m^2Ct+\frac{1}{2}\mu C-\frac{1}{2}\mu Ct^2\\+N^2Dt-n^2Dt+\frac{1}{2}\nu D-\frac{1}{2}\nu Dt^2\end{matrix}\right\}.$$

$$=\frac{\overline{v.\cos.VA\alpha}^2}{\pi A}[(S-A)t-(Q-A)t+\tfrac{1}{2}P-\tfrac{1}{2}Pt^2]$$

$$=\frac{\overline{v.\cos.VA\alpha}^2}{\pi A}(S-\tfrac{1}{2}Pt)t=\frac{\alpha t}{\pi}\cos.VA\alpha=\frac{\alpha}{\pi}\sin.\ VA\alpha;$$

proinde hæc vis exponetur per partem rectæ $\alpha\Upsilon$, quæ sit ad totam uti 1 ad π.

Quare si capiatur in recta AV pars $AZ=\frac{\pi+1}{\pi}AV-\frac{1}{\pi}A\Upsilon$, & ex puncto Z rectæ AV ad rectas ducatur recta, in qua capiatur $ZX=\frac{1}{\pi}\Upsilon\alpha$: iuncta AX exponet celeritatem & directionem corporis A post conflictum.

Dica-

Dicatur nunc angulus $XA\alpha = x$, & celeritas quæſita, ſeu recta $AX = z$: erit $\mathit{fin.}\, XAZ = (\mathit{fin.}\, x - t.\, \mathit{cof.}\, x)\, \mathit{cof.}\, VA\alpha$.

Hinc $\frac{XZ}{\mathit{fin.}\, XAZ} = z = \frac{t\alpha}{\pi(\mathit{fin.}\, x - t.\, \mathit{cof.}\, x)}$. Præterea $\frac{AZ}{\mathit{cof.}\, XAZ}$

$= z = \frac{(\pi+1)v - \alpha.\, \mathit{cof.}\, VA\alpha}{\pi(\mathit{cof.}\, x + t.\, \mathit{fin.}\, x)\, \mathit{cof.}\, VA\alpha}$. Ex quibus duabus æquationibus elicitur tang. $x = \frac{(\pi+1)v.\, t.\, \mathit{cof.}\, VA\alpha}{(\pi+1)v.\, \mathit{cof.}\, VA\alpha - \alpha}$

Eſt autem (per coroll. 2 probl. præc.) $v\, \mathit{cof.}\, VA\alpha = \frac{2A\alpha}{2S - Pt}$

Ergo tang. $x = \frac{2(\pi+1)\, At}{2(\pi+1)\, A - 2S + Pt}$; & quia (cor. 2. probl. I.)

$t = \frac{P}{2Q}$, fit tandem

$$\text{tang. } x = \frac{2(\pi+1)\, PA}{P^2 - 4Q(S - \overline{\pi+1}.\, A)}$$

Quapropter $z = \frac{t\alpha}{\pi(\mathit{fin.}\, x - t.\, \mathit{cof.}\, x)} = \frac{t.\, \sqrt{(1 + \overline{\mathit{tang.}\, x}^2)}}{\pi(\mathit{tang.}\, x - t)}\, \alpha =$

$\frac{\alpha P \sqrt{(1 + \overline{\mathit{tang.}\, x}^2)}}{\pi(2Q\, \mathit{tang.}\, x - P)}$. Ubi ſubſtituendo valorem *tang.* x modo inventum, habetur tandem corporis A poſt conflictum celeritas

$$z = \frac{\alpha}{\pi} \sqrt{\frac{4(\pi+1)^2 P^2 A^2}{(4QS - PP)^2} + \left(\frac{4(\pi+1)QA}{4QS - PP} - 1\right)^2}.$$

Quod vero attinet ad reliquorum corporum B, C, D celeritates poſt conflictum, patet, quoniam corpori B reſtitutione elaſtri, inter illud & A compreſſi, eadem communicari debet quantitas motus, atque ipſi A, fore eius velocitatem reſtitutioni

tutioni elastri debitam $= \frac{1}{\pi} v.\ cos.\ VAB$, per ea quae initio analyseos huius dicta sunt. Sed a solo ictu, seposita elasticitate, corpus B iam habebat iuxta AB celeritatem $= v.\ cos.\ VAB$. Ergo finito conflictu B habeat necesse est iuxta AB velocitatem $= \frac{\pi+1}{\pi} v.\ cos.\ VAB = \frac{\pi+1}{\pi}(L-lt)\,v.\ cos.\ VA\alpha$ (per antea ostensa). Quare pro t & $v\ cos.\ VA\alpha$ substituendo harum quantitatum valores ex coroll. 2. probl. praeced. invenietur post conflictum

$$\text{celer. corporis } B = 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2LQ-lP)A}{4QS-PP}\alpha.$$

Similiter prodit

$$\text{celer. corporis } C = 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2MQ-mP)A}{4QS-PP}\alpha,$$

$$\text{celer. corp. } D = 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2NQ-nP)A}{4QS-PP}\alpha,$$

& sic porro, si plura fuerint corpora.

II. Fingamus nunc, ante conflictum corpora B, C, D iam habuisse celeritates β, γ, δ respective. Ergo quantitates motus tensione elastrorum in his corporibus genitae erunt $B\ (v.\ cos.\ VAB-\beta)$, $C\ (v.\ cos.\ VAC-\gamma)$, $D\ (v.\ cos.\ VAD-\delta)$. Hinc vires motrices in A agentes iuxta BA, CA, DA, dum elastra sese restituunt, erunt $\frac{1}{\pi} B\ (v.\ cos.\ VAB-\beta)$, $\frac{1}{\pi} C (v.\ cos.\ VAC-\gamma)$, $\frac{1}{\pi} D\ (v.\ cos.\ VAD-\delta)$. Proinde vires acceleratrices, quibus simul urgebitur centrum sphaerae A, erunt v, $\frac{B\ v\ cos.\ VAB-\beta}{\pi A}$,

C v

$\frac{Cv\, cos.\, VAC - C\gamma}{\pi A}$, & $\frac{Dv\, cos.\, VAD - D\delta}{\pi A}$. Resolvatur unaquæque trium postremarum virium in duas, quarum una directa sit iuxta VA ultra A productam, altera vero illi normalis sit: & erunt omnes vires iuxta AV agentes simul

$$= v - \frac{\overline{Bv.\, cos.\, VAB}^2}{\pi A} - \frac{\overline{Cv.\, cos.\, VAC}^2}{\pi A} - \frac{\overline{Dv\, cos.\, VAD}^2}{\pi A}$$

$$+ \frac{B\beta\, cos.\, VAB + C\gamma\, cos.\, VAC + D\delta\, cos.\, VAD}{\pi A}.$$ Hic pro cosinibus angulorum VAB, VAC, VAD substituendo eorum valores paullo antea expositos, fiet summa harum virium, seu vis totalis iuxta AV agens $= \frac{cos.\, VA\alpha}{\pi A} \times \left[\frac{\pi Av}{cos.\, VA\alpha} \right.$ $- v(S-A)\, cos.\, VA\alpha - v(Q-A)\, t^2\, cos.\, VA\alpha + v\, Pt$ $\left. cos.\, VA\alpha + T - A\alpha - Rt \right]$.

Et quia vires, rectæ AV normales, sunt

$$\frac{Bv\, fin.\ 2\, VAB - 2\, B\beta\, fin.\ VAB}{2\pi A},$$

$$\frac{Cv\, fin.\ 2\, VAC - 2\, C\gamma\, fin.\ VAC}{2\pi A},$$

$$\frac{Dv\, fin.\ 2\, VAD - 2\, D\delta\, fin.\ VAD}{2\pi A};$$ erit earum summa

$$= \frac{cos.\, VA\alpha}{\pi A} \times [v(S-Q)\, t\, cos.\, VA\alpha + \tfrac{1}{2} v P\, (1-t^2)$$ $cos.\, VA\alpha - (T - A\alpha)\, t - R]$.

Iam ex solutione primi problematis constat, esse $v(S - \frac{1}{2} Pt)$ $cos.\, VA\alpha = T$, & $v(\frac{1}{2} P - Qt)\, cos.\, VA\alpha = R$. Quare erit summa virium iuxta $AV = \frac{\pi + 1}{\pi} v - \frac{1}{\pi} \alpha\, cos.\, VA\alpha$;

summa

summa autem virium rectæ AV perpendicularium $= \frac{1}{\pi}\alpha\, \text{sin.}$ $VA\alpha$. Itaque recta exponens vim ex his duabus summis virium compositam, seu celeritatem ac directionem corporis A post conflictum, per constructionem determinari potest eodem modo, atque in prima parte huius problematis.

Sit (Fig. 7.) hæc recta AX, quam appellabimus z, & sit $AG = \alpha$, tang. $VAG = t$, & ang. $XAG = x$: erit ergo

$$ZX = \frac{1}{\pi}\alpha\, \text{sin.}\, VAG, \; \& \; AZ = \frac{\pi+1}{\pi}v - \frac{1}{\pi}\alpha\, \text{cos.}\, VAG;$$

& iisdem ratiociniis, atque in parte prima huius analyseos, invenietur tang. $x = \frac{(\pi+1)\, v.\, t.\, \text{cos.}\, VAG}{(\pi+1)\, v\, \text{cos.}\, VAG - \alpha}$. Est autem (per probl I.) $v.\, \text{cos.}\, VAG = \frac{2T}{2S - Pt}$. Ergo erit

tang. $x = \frac{2(\pi+1)Tt}{2(\pi+1)T - (2S - Pt)\alpha}$. Et quoniam (vi probl. I.) est $t = \frac{PT - 2RS}{2QT - PR}$, ideoque $2S - Pt = \frac{4QS - PP}{2QT - PR}T$: erit tang. $x = \frac{2(\pi+1)(PT - 2RS)}{2(\pi+1)(2QT - PR) - (4QS - PP)\alpha}$; unde habetur directio corporis A post conflictum.

$$\text{Porro } z = \frac{t\alpha}{\pi(\text{sin.}\, x - t.\, \text{cos.}\, x)} = \frac{\sqrt{(1 + \text{tang.}\, x^2)}}{\pi\left(\frac{\text{tang.}\, x}{t} - 1\right)}\alpha.$$

Quare cum sit

$$\frac{\text{tang.}\, x}{t} - 1 = \frac{(4QS - PP)\alpha}{2(\pi+1)(2QT - PR) - (4QS - PP)\alpha}: \text{ prodit}$$

$z =$

$$z = \frac{1}{\pi} r \left(\frac{4(\pi+1)^2 (PT - 2RS)^2}{(4QS - PP)^2} + \left[\frac{2(\pi+1)(2QT - PR)}{4QS - PP} - \alpha \right]^2 \right).$$

Expressa itaque celeritate z corporis A post conflictum, restat, ut & reliquorum corporum B, C, D celeritates post conflictum determinentur, quod similiter, atque in parte prima analyseos huius factum est, peragemus. Videlicet corpori B restitutione elastri impertita quantitas motus debet esse aequalis illi, quam A per hanc elastri actionem adquirit, & quam invenimus $= \frac{B}{\pi}(v.\ cos.\ VAB - \beta)$. Ergo velocitas corporis B elastri restitutione genita erit $= \frac{1}{\pi}$ $(v.\ cos.\ VAB - \beta)$. Antea autem, eiusdem elastri flexione, corpus B iam nactum erat celeritatem $= v\ cos.\ VAB$ (vi probl. I.). Hinc corporis B post conflictum celeritas iuxta rectam AB erit $= \frac{\pi+1}{\pi} v\ cos.\ VAB - \frac{1}{\pi}\beta = \frac{\pi+1}{\pi} v\ (L - lt)\ cos.\ VAG - \frac{1}{\pi}\beta$. Ubi in locum ipsarum t & $v\ cos.\ VAG$ substitutis ex probl. I. earum valoribus $\frac{PT - 2RS}{2QT - PR}$, & $\frac{4QT - 2PR}{4QS - PP}$, pervenitur ad celeritatem corporis B post conflictum

$$= 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2LQ - lP)T + (2lS - LP)R}{4QS - PP} - \frac{1}{\pi}\beta.$$

Pari ratione inveniuntur celeritates reliquorum corporum post conflictum, nimirum

$$\text{cel. corporis } C = 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2MQ - mP)T + (2mS - MP)R}{4QS - PP} - \frac{1}{\pi}\gamma;$$

$$\text{cel. corporis } D = 2\frac{\pi+1}{\pi} \times \frac{(2NQ - nP)T + (2nS - NP)R}{4QS - PP} - \frac{1}{\pi}\delta;$$

 &

& ſic porro, ſi plura fuerint corpora a ſphæra A percuſſa. *Q. E. I.*

COROLL. I.

Fig. 3. Si in duas ſphæras æquales B, C, quieſcentes, incurrat ſphæra A ſic, ut rectæ, iuxta quas fit ictus, cum directione corporis A angulos faciant æquales ad utrasque eius partes; ſingula autem corpora ſint perfecte elaſtica: erit $\pi = 1, m = -l$, $M = L$, $\mu = -\lambda$, $n = o = N = \nu$; unde $R = P = o$, $T = A.\alpha$, $S = A + 2LLB$. Hinc ſubſtituendo hos valores in formulis partis I. analyſeos huius problematis, invenitur tang. $x = o$ (quod indicat, corpus A poſt conflictum eadem, qua ante conflictum, via pergere), & celeritas corporis A poſt conflictum $= \alpha \times \left(\frac{2A}{A+2LLB} - 1\right) = \alpha \frac{A - 2LLB}{A + 2LLB}$. Sphærarum autem B, C, utravis adipiſcitur celeritatem $= \frac{2LA}{A+2LLB}\alpha$. Quæ omnia conveniunt cum oſtenſis a magno Geometra *Io. Bernoullio* (vid. *Diſcours ſur le Mouvement Ch.* XI. §. 4.).

COROLL. 2.

Fig. 4. Si ſphæra A incurrat ſimul in duo paria corporum, quorum ſingula bina, ad diverſas partes lineæ directionis corporis A quieſcentia, inter ſe æqualia ſint (nempe $B = D$, $C = E$), & cetera ſint, uti in corollario præcedenti: erit $\pi = 1$, $n = -l$, $N = L$, $\nu = -\lambda$; hinc $P = o$, $R = o$, $S = A + 2L^2B + 2M^2C$, $T = A\alpha$. Ex quibus porro fit tang. $x = o$; (quod argumento eſt, directionem corporis A in colliſu haud mutari), & celeritas huius corporis poſt conflictum $z = \alpha \times \left(\frac{2A}{S} - 1\right) = \alpha \frac{A - 2L^2B - 2M^2C}{A + 2L^2B + 2M^2C}$, tum

celeritas corporis B vel $D = \frac{2LA}{S}\alpha = \frac{2LA}{A+2LLB+2MMC}\alpha$,

& celeritas corporis C vel $E = \frac{2MA}{S}\alpha = \frac{2MA}{A+2L^2B+2M^2C}\alpha$.

Quæ

Quæ singula sic quoque determinata sunt a *Io. Bernoullio*, Cap. XII. §. 5. dicti Libri.

COROLL. 3.

Ceteris manentibus, incurrat nunc sphæra A, in infinite multas, & infinite parvas sphæras, æquales inter se, ita, ut in collisione hæ simul omnes tangant illam in dimidia peripheria circuli maximi eiusdem sphæræ A, earumque æque multæ sint ad dextras lineæ directionis, iuxta quam incurrit A, atque ad sinistras. Fig. 8.
Dicatur unaquælibet harum sphærularum $= e$, & massa omnibus simul sumtis æqualis $= a = re$. Ergo hoc in casu iterum, (ut in præcedentibus corollariis), erit directio sphæræ A post conflictum eadem, atque ante collisionem, & $z = \alpha \left(\frac{2A}{S} - 1\right)$. Est autem in nova hac hypothesi $S = A + 2e(L^2 + M^2 + N^2 + \&c.$ existente numero terminorum, in quos ducendum est $2e$, dimidio numeri r omnium sphærularum. Ergo $z = \alpha \frac{A - 2L^2 e - 2M^2 e - 2N^2 e - \&c.}{A + 2L^2 e + 2M^2 e + 2N^2 e + \&c.}$. Iam constat, esse duplum quadratum cosinus anguli simpli ad quadratum sinus totius, in eadem ratione, in qua est sinus totus una cum cosinu anguli dupli ad sinum totum. Ergo posito sinu toto $= 1$, ut hactenus semper factum est, erit $2e\,(L^2 + M^2 + N^2 + \&c.) = \frac{1}{2} re +$ summa cosinuum omnium angulorum duplorum ducta in e. Atqui cum angulus BAG, qui inter rectam AG, & rectam per A & centrum sphærulæ B a recta AG maxime distantis ductam comprehenditur, rectus sit (per hypoth.): summa cosinuum omnium angulorum duplorum erit summa cosinuum omnium angulorum, qui inde ab angulo infinite parvo usque ad angulum duobus rectis æqualem intelligi possunt; quæ summa nihilo æquetur necesse est, cum cosinus singulorum binorum angulorum, quorum alter tantum superat rectum, quantum alter a recto deficit, se mutuo destruant simul sumti, (quippe altero alterius negativo existente). Quamobrem erit $2e(L^2 + M^2 + N^2 + \&c.) =$

$\frac{1}{2}re = \frac{1}{2}a$, & proin ſphæræ A poſt conflictum celeritas $z = \alpha\frac{A-\frac{1}{2}a}{A+\frac{1}{2}a} = \alpha\frac{2A-a}{2A+a}$.

Denique, ſi coſinus anguli, quem recta per punctum A & centrum alicuius ſphærulæ ducta cum recta AG efficit, dicatur k: erit, (per partem primam analyſeos huius, & per modo oſtenſa,) celeritas huius ſphærulæ poſt conflictum $= \frac{2KA}{S}\alpha = \frac{2KA}{A+\frac{1}{2}a}\alpha = \frac{4KA}{2A+a}\alpha$. Quæ omnia cum eis determinationibus conſpirant, quas *Io. Bernoullius* ſine analyſi exhibuit §. 10. Cap. XII. Diſſertationis de motu.

Coroll. 4.

Sin autem ſphærulæ, ut ante diſpoſitæ, contingant circuli maximi in ſphæra A arcum *Hbh*, dimidia circumferentia minorem, earumque numerus iterum ſit $= r$; ſumma vero coſinuum pertinentium ad duplos angulos, inter rectam Ab vel AG & rectas per A ac ſingularum ſphærularum, arcum *Hb* contingentium, centra ductas interceptos, ponatur $= \sigma$: erit quidem iterum $S = A + e(2L^2+2M^2+2N^2+$ &c.) $A+\frac{1}{2}re$ $+\sigma e = A+\frac{1}{2}a+\sigma e$; ſed valor quantitatis σe nunc aliter eſt inveſtigandus. Quem in finem cogitemus angulum $DE\delta$, ipſi HAh æqualem, diviſum in partes æquales infinite parvas, quarum numerus ſit $= \frac{1}{2}r$, per rectas ex eius vertice E eductas. Sit quælibet harum rectarum EF, & angulus $FED = \varepsilon$: erit, quod aliunde notum eſt, $cosin.\,\varepsilon = \frac{d\,sin.\,\varepsilon}{d\varepsilon}$. Quare coſinuum omnium angulorum ε, qui crus ED commune habent, & in toto angulo $DE\delta$ cogitari poſſunt, ſumma erit $= \int\frac{d\,sin.\,\varepsilon}{d\varepsilon} = \frac{sin.\,DE\delta}{d\varepsilon}$; cum $d\varepsilon$ ſit quantitas conſtans, qua duo quivis anguli ε ſibi invicem proximi differunt (per hyp.). Iam ſumma coſinuum angulorum omnium ε, qui in toto $DE\delta$, ut dictum eſt, intelligi poſſunt, eſt $= \sigma$. Ergo σe

=

$= \frac{e}{d\varepsilon} \text{ſin.} DE\delta = \frac{\frac{1}{2}re}{\frac{1}{2}r.\ de}$ ſin. HAh. Et cum ſit $\frac{1}{2} r.\ d\varepsilon =$ ang. $DE\delta =$ ang. HAh: erit proinde $\sigma e = \frac{\frac{1}{2} a \times \text{ſin.} HAh}{\text{ang.} HAh} = \frac{AH}{\text{arc.}\ Hbh} \frac{1}{2} a.\ \text{ſin.}\ HAh$. Prodit itaque $S = A + \frac{1}{2}a + \frac{AH}{\text{arc.}\ Hbh} \times \frac{1}{2} a.\ \text{ſin.}\ HAh = \frac{(A+\frac{1}{2}a)\ \text{arc.}\ Hbh + \frac{1}{2}a \times AH \times \text{ſin.}\ HAh}{\text{arc.}\ Hbh}$. Unde $z = \alpha\left(\frac{2A}{S} - 1\right) = \alpha \frac{(2A-a) \times \text{arc.}\ Hbh - a \times AH \times \text{ſin.}\ HAh}{(2A+a) \times \text{arc.}\ Hbh + a \times AH \times \text{ſin.}\ HAh} =$ celeritati ſphæræ A poſt conflictum.

Celeritas autem, quam ſphæra percutiens A impertitur cuique ſphærulæ, ex cuius centro ad punctum A ducta recta efficit cum AG angulum, cuius coſinus $= k$, erit $= \alpha \frac{2k.\ A}{S} = \alpha \frac{4K \times \text{arc.}\ Hbh. \times A}{(2A+a)\ \text{arc.}\ Hbh + a \times AH \times \text{ſin.}\ HAh}$.

PAULI ERNESTI IABLONSKI, DE MEMNONE Graecorum & Aegyptiorum, huiusque celeberrima in Thebaide Statua, Syntagmata III. cum figuris aeneis, Memnonis faciem tergumque oculis ſubiicientibus.

Francof. ad Viadrum, impenſis Io. Chriſtiani Kleyb, 1753. 4. plagg. 18.

Gentis, ut antiquiſſimæ, ità ſapientiſſimæ quondam, ritus diſciplinamque, quanto illuſtraverit adhuc ſtudio, Aegyptumque velut ſepultam, in lucem conſcientiamque hominum revocaverit *Celeb. Iablonski*, nemo eſt rerum omnium tam ignarus, qui neſciat. Exſtructo igitur *Pantheo Aegyptiaco*, cuius formam in his ipſis Actis noſtris exhibuimus, nihil erat vel ingenio eius, vel eruditione incomparabili dignius, *Thebaea Memnonis Statua*. Quam enim quum Cam-byſes,

byses, barbarorum iste rex vere barbarus, ante hos circiter bis mille & trecentos annos mutilari iusserit; eademque iam ante tyranni memoriam in laude fuerit ac prædicatione hominum: quis est, qui non intelligat, nihil artis humanæ ea vetustius, vel Aegyptum habere, vel ipsum terrarum orbem? Quæ etiam caussa impulisse doctos homines videtur, ut, agmine quasi facto, in ea illustranda operam studiumque collocarent; in quibus tamen præcipua laude feruntur *Blasius Vignerius, Artus Thomas Embryacus*, gallici operum Philostrati interpretes, *Gaspar Bachetus Meziriacus*, in observationibus ad Ovidii Heroides, *Io. Marshamus* in canone chronico, atque *Urbanus Godof. Siberus* in dissert. de statua Memnonis, Snebergæ 1699. edita. Magno tamen cum litterarum damno coniunctum erat, si illorum diligentia *vir doctissimus* se passus fuisset ab instituto suo deterreri, nunc præsertim, quum *Pocokii*, V. C. *descriptione Aegypti*, Memnonem instauratum ac velut ab inferis excitatum videret; ac plerosque fere omnes, antiquos recentioresque, utrumque Memnonem, Græcum Aegyptiumque, confundere animadverteret. Ac *Pocockii* quidem copiam quum habere in Germania primo non posset, *Ill. Menckenius noster*, qua flagrabat honestas litteras iuvandi cupiditate, suis sumtibus eum ex Anglia curavit advehendum; unde committendum non putavit *Iablonski* doctissimus, ut in alio, quam eiusdem, nomine opus appareret publice; maxime quum is auctor eius conficiendi suasorque multis annis ante iam extitisset. Interim fecit quorundam omnibus detrahendi libido, ut de Miscellaneis *Lacrozianis* etiam in præf. differeret V. C., eorundemque argumentum enarraret, designationemque. Quæ enim quum munere *Iordani*, Viri quondam illustris, tradita per Cel. *Uhlium* accepisset, rumusculos passim seri cognovit, ac si Lacrozianis fontibus sua irrigasset arva. A qua suspicione quum hominem doctissimum facile liberaret & pudor suus, & eruditio, & sententiarum diversitas, & ipsa illorum *Miscellaneorum* ratio conformatioque, quæ præter excerpta, ex scriptoribus non ignotis, observationesque quasdam, & breves illas, & raras, nihil complectuntur: tamen,

ne

ne parum bonus nominis sui patronus esse videretur, eidem, unde acceperat, Cel. *Uhlio, Lacroziana* reddidit, ut, si ferret occasio, eadem foras daret, & in manus hominum, quod eum se facturum, liberaliter etiam, sibi recepisse ait. Sed veniendum nunc est ad ipsum Memnonem, de quo ita agit noster, ut *Syntagmate I. de Memnone Graecorum*, eiusque c. I. genere, c. II. patria & forma, c. III. ætate, rebus gestis, ac morte, c. IV. sepultura, honoribusque post mortem impetratis, exponat. *Syntagm.* II. *de Memnone Aegyptio*, sive *Amenophi*, eiusque c. I. nomine, c. II. loco ubi regnaverit, & ætate, c. III. vita rebusque gestis, agat. *Syntagmate III. de Statua Memnonis Aegyptii*, eiusque c. I. magna apud veteres existimatione, c. II. loco, ubi spectanda fuerit, c. III. materia, forma, & magnitudine, c. IV. voce mirabili, c. V. nomine Osymandiæ, c. VI. Osymandiæ divinitate, commentetur. Hac quasi forma totius operis, sed tanquam rudi penicillo, adumbrata, nunc, quam docte hoc argumentum tractaverit, utcunque possumus, videbimus. Ac Memnonis quidem Græci matrem *auroram* fuisse, poetæ Græci ac Latini, quotquot ad Homeri auctoritatem se contulere, omnes tradunt, ad indicandam eius vel pulcritudinem dignitatemque, vel expeditionem Tithoni, patris, orientem versus susceptam, vel ideo, quod ex sacra Aegyptiorum sacerdotum lingua, Memnonem, seu *Amenophin* verius, Homerus auroræ, aut *diei*, nam & huius perhibetur filius, dicendum putavit, propterea, quia Memnonis, seu statuæ potius illius, vox, diei ortum cum gaudio excipere, audirique tum maxime, ferebatur. *Pater* fuisse *Tithonus* traditur; sed ab iis, qui Homero fuerunt posteriores, (*Pind.* Schol. ad Olymp. II. p. 26.) & ut videtur, primum ad *Hesiodo* (Theog. v. 984.); quamquam & sint, qui *Iove* natum eum esse dicant, (*Aristoph.* Schol. in Nub. p. 163. edit. Genev.) ac *matrem Cissiam*, vel a patria ita dictam, vel nomine sibi proprio, perhibeant. (*Æschylus* ap. Strab. XV. p. 500. ed. Casaub.) De *patria* eius non una omnium est sententia. Plurimi natales *Aethiopiae* assignant, (*Pind.* Ol. II. p. 26.) per quam tamen, primi certe huius famæ auctores, *Thebai-*

dem, vel superiorem Aegypti regionem, intellexisse videntur, quam Aethiopiæ nomine celebrari passim apud veteres, auctoritatibus satis gravibus evincitur. Nec tamen inter antiquos desunt, qui *Assyrium* eum fuisse, ac *Susis* habuisse regiam, vel *Ecbatanis*, dicant. Unde illum ab utraque gente, multa cerimonia cultum olim fuisse, constat. Qui vero æthiopem fuisse credebant, *nigrum* eum vel *nocticolorem* (*Gell.* N. A. XIX. c. 7.) esse dicebant, sed forma tamen honesta. *Aetas* eius, etsi a Marshamo tenebris quibusdam obducta fuerit, tamen haud dubie in belli Troiani tempora incidit: cuius rei non Pindarum quidem, ut voluit ille, sed *Homerum* ipsum fundum habemus subscriptoremque (Odyss. Δ. v. 187. Λ. v. 521). Priami enim precibus adductum, armisque divina manu fabricatis amictum, cum fortissimo maximoque Aethiopum Assyriorumque exercitu, eum afflictæ Troiæ auxilio venisse, multa est apud veteres memoria. *Res*, hic præclare ab eo *gestas*, in vulgus quippe notas, prætermus, ut & necem, ipsi ab Achille, Antilochum ulciscente, illatam, & a Pindaro primum memoriæ proditam. *Sepulcrum* prope urbem Troiam eum habuisse, plerique tradunt; quod tamen Simonides, (apud *Strab.* XV. p. 500.) fuisse circa Paltum Syriæ, iuxta fluvium Badam, (*Isaac. Vossius* ad Melam I. c. 13. Βάλδον legit;) alii in Assyria vel Aethiopia extitisse contendunt; alii usquam terrarum reperiri negant, quia Memnon in nigrum transformatus sit in Aethiopia lapidem. Interim ipse *miraculis post fata clarus*, (*Smyrnaeus* paralipom. L. II. v. 548. *Ovid.* Metam. XIII. 598. *Athen.* XV. p. 680. *Plin.* XIII. c. 9. *Theophr.* hist. plant. IV. c. 3.) divinis honoribus affectus est. De avibus Memnoniis, heroi quotannis ad bustum eius parentantibus, non est quod plura dicamus: (vid. *Ovid.* metam. XIII. v. 598. seqq. *Aelian.* de Animal. V. c. I.) Sed satis sit, hæc de Græco Memnone, ex plurimis, erudite disputatis, velut delibasse.

Sequitur *Ægyptius*, seu *Amenophis*. Etsi enim historia Aegyptia Memnonem regem ignorat: Græci tamen colosseam statuam, in Thebaide, prope Diospolin, Memnonis dixere; cuius

cuius primum fecit mentionem *Herodot.* L. II. c. 106. Inde Memnonis nomen ad Græcos reliquos, Romanosque, manasse iudicat, qui ipsam statuam pluribus epigrammatis, in Memnonem compositis, repleverunt. Meliores vero doctioresque Græcorum, de nomine dubitarunt: Aegyptii *Amenophin* dixere, quem, cum generis masculini nota, interdum Græci *Phamenophin* appellarunt. Memnonis autem nomine hi eum celebrasse videntur, non quasi *Menis* is esset, aut *Menoph*, inde *Mennon*, ut *Marshamus* contendit; nec quasi *Amenophis* & *Amenemnes* nomina confudissent in unum linguæ suæ nomen *Memnon*, ut *Perizonius* ait; sed, ut eleganter suspicatur doctiss. *Iablonski*, quod Græci, *auctoritate Homeri*, eum *Memnonem* dixerunt. *Hic enim, de Memnone orientali scripturus, sine dubio recordatus videtur Colossi Thebaei*, (quia vel ipse Thebaide natus, vel in Aegypto certe peregrinatus esse videtur;) *qui vulgo nomine, ad illud Memnonis accedente, insigniri solebat*, (nempe nomine *Menoni* vel *Emenoni*, quod *lapideum* sc. colossum indicat,) *eaque de caussa Troianum, locutione ambigua & fallace, dixisse aurorae filium, eoque commentis poetarum, de Memnone Aethiope, Tithoni & Aurorae filio, occasionem subministrasse*. Ingeniose disputata hæc esse nemo negaverit, etsi non desint, quæ dici contra possint; sed id quidem nunc non agimus. Potius, quæ potestas sit nominis Amenophis, videndum est. Atque hic ex Coptica lingua docet V. C., illud *Amun—no—phi*, h. e. custodem urbis Thebarum, indicare. Vocabatur alias nunc *lapideus*, ut supra dictum est, nunc *Osymandes*, nunc *Sesostris*, i. e. *Sois-ostre*, dominus adorans solem, ut *Lacrozius* interpretatus est. Fuit autem Amenophis Aegyptius, isque Thebæus, constanti Aegyptiorum asseveratione; nec *Memnonia*, Græcis Latinisque celebrata, fuisse aliud quicquam perhibentur, nisi ædificia structuræ & antiquæ, & splendidæ, in honorem Amenophis condita, eiusque memoriæ consecrata. *Ætate* eius nihil incertius esse pronuntiatur, quippe quam *Usserius* in Mosis tempora incidere putet; plerique ad seriora longe demittant. In exponenda eius *vita, rebusque gestis*, longi esse nolumus; aut virum doctissimum, enarrantem hæc, sequi: pleraque enim in eo genere a vete-

ribus tradita, vel incerta ſunt, vel falſa, ut idem eleganter demonſtrat. Reſtat, ut de *Statua* celeberrima *Memnonis Ægyptii*, ſeu *Amenophis*, differentem cum audiamus, cuius incredibilis fuiſſe quondam celebritas videtur, etiam poſt mutilationem, vel a Cambyſe, vel terræ quodam motu factam, ita ut pyramidibus, illis mundi miraculis, fere compararetur, eandemque peregrinantes in Aegypto viſere apprime geſtirent. Sita vero fuit prope Thebas, ſeu Diospolin, in Aegypto ſuperiori, trans Nilum, ubi ſunt Syringes ita dictæ, (*Ammian. Marcell.* L. XXII. p. 250.) de quibus multa hic erudite obſervantur, & quidem in porticu magnifica, quæ veſtibuli inſtar ad templum ducebat, eodem in loco, ubi hodieque, magna ſpectantium admiratione, viſitur. In ipſa ſtatua, & *materia* & *ars* fuerunt admirabiles, facta quippe ex genere *lapidis graniti, poroſi, ingentis duritiei*, ac proxime *ad ſpeciem äetitae* accedentis, auctore *Pocokio*, iudice eius rei apprime idoneo; ſed Cambyſis immanitate fracta, dimidia ſui parte humi hodie iacet, quod tamen Strabo, motu terræ accidiſſe, auctor eſt. Interim deiectam eam veterum recentiorumque plurimi oculis ſubiecerunt, deſcripſeruntque, in quibus maxime illuſtris fuit diligentia *Pocokii*, ac facile eſt refellere, quæ *Claud. Sicardus* reprehendere in eius ſententia conatus eſt. Maxime ad memoriam inſignis erat vox, quam quotidie, ſole exoriente, emittere credebatur. Quæ res, ut multis anilibusque Græcorum fabulis involuta ſit, propterea tamen negari non debet, quia magnorum hominum inſcriptionumque auctoritatibus nititur, quarum præcipuas Auctor doctiſſ. ex Pocokio deſcriptas exhibet; unde etiam diſcitur, non quotidie quidem mirabilem illam vocem eſſe auditam, interdum tamen eodem die ſæpius. Eas repetere, hic quidem, neceſſe non eſt, quum de iis partim ex *Pocokiano Nordenianoque* operibus, partim ex iis, qui hæc orbi litterario vel annuntiarunt, vel commendarunt, ſatis iam conſtat. Hoc autem ſileri non debet, Celeb. *Iablonskium*, conferendo Nordenium cum Pocokio, plura haud infeliciter emendaſſe; interdum etiam animadverſiones viri quondam eleganter docti, *Dorvillii*, ſuffragio ſuo

ſuo comprobaſſe. Utcunque res fuit, inſcriptiones pleræque Imperatoribus Romanis non ſunt antiquiores: quomodo autem hæc res ante Ptolemæorum, aut etiam Cambyſis, tempora, florentibus etiamnum priſcorum Aegyptiorum rebus, ſe habuerint, penitus ignoramus; niſi quod nonnullos tradidiſſe novimus, ante cladem ſtatuæ, a Cambyſe inflictam, vocem eius pleniorem fuiſſe, diſtinctioremque. Quod *Lucianus* in Philopſeude tradit, ſe in Aegypto Memnonem audiviſſe, oraculum ore aperto, ſeptem verſibus (ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ) editum, id de ſeptem vocalibus intelligit, atque ex Demetrio Phalereo, qui auctor eſſe creditur libelli perquam elegantis περὶ ἑρμηνείας, §. LXXI. demonſtrat, ſacerdotes Aegyptios per VII vocales, quaſi hymnos, Deos celebraſſe, quod in Memnonis honorem factum eſſe, ipſi admodum ſit probabile. Immo, quum diu Græci VII. vocalium uſum ignoraverint, ipſe coniicit, earum diſcrimen a ſacerdotibus Thebæis, forte ad imitationem VII. planetarum coeleſtium, excogitatum eſſe; quibus etiam eas ſic voluerint eſſe conſecratas, ut unaquæque illarum ſignum eſſet & χαρακτὴρ alicuius ex totidem planetis. Cuius inventi memoriam ut conſervarent, inſtituiſſe videntur *viro docto*, ut ſacra in Thebaide, Thebis præcipue & Abydi, cantu VII. vocalium perſonarent. Et quoniam Coloſſus Thebæus, ſolerti ſacerdotum artificio, ita conſtructus fuiſſe putatur, ut vocem, quoties e re ſua illi putarent, emitteret: vero diſſimile videri negat, eosdem ſacerdotes Coloſſum ita conſtituiſſe, ut vox illius inventi ſui memoriam celebraret, VIIque vocales ordine reſonaret. Ingenioſe certe, eruditeque, hæc tam excogitata eſſe, quam diſputata, neque ii dubitabunt, qui aliter de re ipſa iudicant; præſertim ſi, quæ ad confirmandam ſententiam ſuam affert, diligenter expendantur. Cauſſam denique vocis tam admirabilis, nec in natura lapidis, neque in virtute divina, ſed in arte quadam mechanica quærendam eſſe, putat; quippe quam Strabo iam fraudis ſuſpectam habuerit, ac ſcriptores chriſtiani veteres, ut & *Iuvenalis* (Sat. XV.), præſtigiis magicis tribuerint. Tandem *Oſymandiae* ſtatuam ideo dici tradit, quia hic nequaquam ab Amenophi diverſus fuerit,

 quod

quod auctoritate *Strabonis* (L. XVII. p. 559.) aliorumque confirmat, atque in ipsa nominis notatione aliquod sententiæ suæ præsidium reperit, qua illud *vocalem*, subintellige *statuam*, indicare existimat. Etsi vero regno *Amenophis* nihil esse incertius pronuntiat: eius tamen divinitatem, religiosumque cultum, dubio carere putat, satis quippe testatum inscriptionibus, statuæ eius incisis. At si, cuiusnam numinis symbolum fuerit colossus, quem Græci dicunt Memnonium, quæramus: Plinius quidem, *Serapidis*, ait; alii *diei*; alii *Aegypti*; alii *Nili*; alii *Solis*, quod vero ponitur simillimum, eius tamen maxime, qui veris facit initium, quod suffragio *Polaci*, mathematici celebris, confirmat. Ex quibus omnibus intelligi satis posse arbitramur, quantam curam eruditionemque, ad Memnonem illustrandum, *Cel. Iablonski* contulerit.

MUSEUM ODESCALCUM, SIVE THESAURUS antiquarum gemmarum, quae a Serenissima Christina, Suecorum Regina, collectae, in museo Odescalco adservantur, & a PETRO SANCTE BARTOLO quondam incisae, nunc primum in lucem proferuntur.

Tomus primus & secundus.

Romæ, prostant apud Venantium Bibliopolam, in via cursus. Superiorum facultate.

Complectitur hoc opus solummodo tabulas æneas, quibus celeberrimus harum rerum artifex, *Petrus Sanctes Bartolus*, antiquas gemmas rariores, a magna Suecorum regina olim immanibus sumtibus collectas, & ab eius morte ad Serenissimum Ducem *Odescalchi* traductas, incidit. Tomus primus tabulas LIV. complectitur, quarum seriem hic suppeditamus.

Tab. I. *Demetrius Poliorcetes rex, in cameo.*

Tab. II. *Septimius Severus, in carniola.*

Tab.

Tab. III. *Agrippina Maior, in anaglypto.*

Tab. IV. *Constantinus Magnus, in Niccolio, in anaglypto.*

Tab. V. *Iulius Caesar, in Onyce Saphirino.*

Tab. VI. *Cicero, in anaglypto.*

Tab. VII. *Aventinus, in Heliotropio.*

Tab. VIII. *Lucius Iunius Brutus, in Amethysto.*

Tab. IX. *Sacerdos, in Carniola.*

Tab. X. *Bigae, in Carniola.*

Tab. XI. *Nummonius Vala, in Amethysto.*

Tab. XII. *Gorgonius in Amethysto.*

Tab. XIII. *Caput ignotum mulieris illustris, ex natione barbara, in Carniola.*

Tab. XIV. *Amor cum face, in Heliotropio.*

Tab. XV. *Marcus Aurelius, in Achate.*

Tab. XVI. *Antoninus, in Carniola.*

Tab. XVII. *Galba, in Amethysto.*

Tab. XVIII. *Tiberius, in Anaglypto.*

Tab. XIX. *Servilius Ahala, in Iaspide rubro.*

Tab. XX. *Settimius Severus, & Filii, in Amethysto.*

Tab. XXI. *Caput ignotum, licet ex physiognomia Imp. Adriani videatur, in Amethysto.*

Tab. XXII. *Miles eques, in Carniola.*

Tab. XXIII. *Alexander Severus, in Carniola.*

Tab. XXIV. *Ptolomaeus Rex, in Nicolio.*

Tab. XXV. *Livia, Anaglyptum, in Achate.*

Tab. XXVI. *Astartes, Anaglyptum, in plasma.*

Tab. XXVII. *Baccha, in Amethysto.*

Tab. XXVIII. *Hercules, in Carniola.*

Tab.

Tab. XXIX. *Caput ignotum puellae, temporibus Settimii, & Alexandri, in Smaragdo.*
Tab. XXX. *Sacrificium Palladi, in aqua marina.*
Tab. XXXI. *Omphales, in Heliotropio.*
Tab. XXXII. *Ioles, Anaglyptum, in Achate.*
Tab. XXXIII. *Cleopatra, in Cryſtallo.*
Tab. XXXIV. *Cleopatra, in Hyacintho.*
Tab. XXXV. *Hyacinthus, in Carniola.*
Tab. XXXVI. *Caput ignotum. inſtar Bacchae, in Carniola.*
Tab. XXXVII. *Scipio Africanus, in Cryſtallo.*
Tab. XXXVIII. *Caius Marius, Anaglyptum, in Achate.*
Tab. XXXIX. *Caput ignotum, inſtar antiquae matronae Romanae, in Iaſpide.*
Tab. XL. *Satyrus, Anaglyptum, in Achate.*
Tab. XLI. *Effigies Ermoſii, & Crairi, in Iaſpide rubro.*
Tab. XLII. *Miles cum victoria, in Carniola.*
Tab. XLIII. *Ceres, in Heliotropio.*
Tab. XLIV. *Siren, in Heliotropio.*
Tab. XLV. *Mars, in Nicolio.*
Tab. XLVI. *Apollo, in Onyce.*
Tab. XLVII. *Ceres, in Pyropo.*
Tab. XLVIII. *Pyrrhus Rex, in Carniola.*
Tab. XLIX. *Apollo, in Heliotropio.*
Tab. L. *Apollo, & Marſias, in Iaſpide rubro.*
Tab. LI. *Gladiatores, in Carniola.*
Tab. LII. *Roma, in Nicolio.*
Tab. LIII. *Hercules, in Nicolio.*
Tab. LIV. *Larva bacchanalis Sileni, in Carniola.*

To-

Tomus ſecundus reliquas tabulas a tab. LV. ad CIII. complexu ſuo tenet, quarum ordo ſequens eſt:

Tab. LV. *Aurora & Cephalus, in maſſa cerulea.*

Tab. LVI. *Amor, in Carniola.*

Tab. LVII. *Biremis, in Amethyſto.*

Tab. LVIII. *Atalanta, in Onyce.*

Tab. LIX. *Iſis Arunca, in Iaſpide rubro.*

Tab. LX. *Marſias, in Anaglypto.*

Tab. LXI. *Sacerdos Bacchi, in Hyacintho.*

Tab. LXII. *Perſona ſcenica, in Anaglypto.*

Tab. LXIII. *Quadrigae, in Carniola.*

Tab. LXIV. *Leo, in Iaſpide.*

Tab. LXV. *Sacerdos Bacchi, in Carniola.*

Tab. LXVI. *Æſculapius, in Heliotropio.*

Tab. LXVII. *Centaurus, in Carniola.*

Tab. LXVIII. *Meduſa, in Anaglypto multicolore.*

Tab. LXIX. *Abraxas, ſeu ſymbolum Solis, in lapide ceruleo.*

Tab. LXX. *Amuletum, in lapide ceruleo.*

Tab. LXXI. *Pax, in Nicolio.*

Tab. LXXII. *Venus & Amor, in Achate Sardonico.*

Tab. LXXIII. *Neptunus, in Aqua marina.*

Tab. LXXIV. *Tres Gratiae, in Anaglypto.*

Tab. LXXV. *Olimpias, & Alexander, in Anaglypto.*

Tab. LXXVI. *Mercurius Cinocephalus, & Arpocrates, in baſe marmorea.*

Tab. LXXVII. *Venus, in Cryſtallo montana.*

Tab. LXXVIII. *Effigies ignota, in Achate.*

Tab. LXXIX. *Vertumnus, ſimulacrum parvum metalli.*

Tab. LXXX. *Helenus, in Hyacintho.*

Tab. LXXXI. *Lucerna metalli, in Bovis caput effi̇cta.*

Tab. LXXXII. *Venus cum pomis, in metallo.*

Tab. LXXXIII. *Æſtas, in baſe marmorea.*

Tab. LXXXIV. *Hyems, in baſe marmorea.*

Tab. LXXXV. *Canopus, in baſe marmorea.*

Tab. LXXXVI. *Solemnitas, in baſe marmorea.*

Tab. LXXXVII. *Venus cum pomis, in metallo.*

Tab. LXXXVIII. *Iupiter, in metallo.*

Tab. LXXXIX. *Iſis, in baſe marmorea.*

Tab. XC. *Eadem, in baſe marmorea, cum variis hieroglyphicis*

Tab. XCI. *Taurus caeleſtis, in baſe marmorea.*

Tab. XCII. *Claudius, in Iaſpide viridi.*

Tab. XCIII. *Urſus & Taurus, in metallo.*

Tab. XCIV. *Venus cum pomis, in metallo.*

Tab. XCV. *Priapus, in metallo.*

Tab. XCVI. *Serapis, in metallo.*

Tab. XCVII. *Ver, in baſe marmorea.*

Tab. XCVIII. *Bos, & Apis, in baſe marmorea.*

Tab. XCIX. *Iſis, cum variis hieroglyphicis, in baſe marmorea.*

Tab. C. *Arpocrates, in baſe marmorea.*

Tab. CI. *Silvanus, in metallo.*

Tab. CII. *Lucerna metalli, ſub imagine Cycni.*

Tab. CIII. *Socrates, in Carniola.*

Ipſæ tabulæ æneæ ſunt elegantisſimæ, ita ut nec artem deſideraveris, nec diligentiam celeberrimi artificis, ſummumque ipſius, quod in aliis præclaris operibus teſtatum fecit, ſtudium, omnes

omnes antiquorum monimentorum, vel minimos ductus mira solertia exprimendi. Hæc quum ita sint, eo magis optandus foret doctus præstantissimarum harum gemmarum commentatos, qui provinciam in se susciperet, earum difficiliores, sunt vero tales in his passim, explicandi atque illustrandi. Præ ceteris vero attentione dignæ videntur, cum ob res in ipsis expressas, tum propter artis elegantiam: Hercules, Sacrificium Palladis, Cleopatra, rex Pirrhus, Apollo & Marsyas, gladiatores, Aurora & Cephalus, Isis averrunca, caput Marsyæ, Aesculapius, centaurus, Venus & Amor, Mercurius cynocephalus & Harpocrates, Venus cum pomis, opus elegantissimum, Ursus cum Tauro, ac denique Socrates.

Vermischte Abhandlungen.

i. e.

DISPUTATIONES, VERITATI, SCIENTIARUM flori, confirmandaeque religioni dicatae, per IOANNEM FRIDERICUM STIEBRITZ, philosophiae atque oeconomiae Professorem Publicum Ordinarium.

Halæ, 1753. sumtu Rengeriano. 488. pagg.

Stiebritium, egregium celeberrimi L. B. a Wolf defensorem esse, nemo nescit. Ut itaque in suis adnotationibus logicis ac metaphysicis, non tantum sequitur principia Wolfiana, sed etiam ea, quæ scripta sunt a Wolfio, & illustrare, & argumentis probare, & ab omnibus reprehensionum generibus immunia reddere conatur haud infeliciter, harum disputationum Auctor eruditissimus: ita & in iisdem strenuum se ostendit Wolfianorum principiorum cultorem, idem vir eruditionis gloria laudatissimus. Argumenta certo harum disputationum digna sunt, in quæ inquiratur a philosopho, nomine hoc digno. A quo tempore Meierus, celebris

 Halen-

Halensium philosophus, dubia sua protulit, contra demonstrationes e rationis principiis huc usque petitas pro animae immortalitate, varia clarissimorum virorum studia huius exoptatissimae rei inquisitioni fuere dicata. Mullerus, eloquentiae Professor in Academia Salana, Langius V. D. M, & Meierus, solidas de animae immortalitate disputationes instituerunt. In eandem eruditissime inquirit prima Stiebritii disputatio, huic inserta volumini. Magnam veri speciem prae se ferunt ipsius dubia, contra doctissimorum virorum, quorum nomina iam scripsimus, demonstrationes; quae prima disputationis pars in se complectitur. Posterior vero, omnibus numeris absolutam eruditis viris tradit probationem, animam mori haud posse. Summa eius haec est. Si complexus rerum in mundo, de quo praeclare disputat auctor, haud patitur, ut in ipso unica tantum pars per annihilationem desinat esse, animique hominum huius complexus sunt partes, quae, nisi per annihilationem, desinere nequeunt; sequitur necessario, neque hos annihilari animos posse. Laudanda est in primis clarissimi Auctoris erga eos modestia, contra quos disputat. Laudandum est studium, idque haud infelix, quo suum argumentum, & probationibus haud contemnendis firmare, & ea, quae forte in ipso reprehendenda videntur, contra omnes obiectiones defendere egregie conatur.

Disputatio altera est de ordine. Ostendit ea Wolfianae definitionis, de ordine, usum in theologia, inquirendo in Deum ordinis, atque in ordinem salutis. Iure laudat Auctor philosophiae Wolfianae praestantiam: iure quoque, Aristotelicae & Cartesianae anteferendam, putat. Ubi autem contra Iacobi Christiani Heckeri disputationem de ordine, Goettingae A. C. N. 1749. scriptam, disputat: fatemur, ea in definitione Heckeri reperire nos non posse, quae ipse reprehendit Stiebritius. Coniunctionem fini convenientem, Heckerus ordinem obscurius dixit. Hic confusionem

nem inter ideam ordinis & alteram perfectionis deprehendisse existimat, laudatissimus Auctor. Sed hac in re nos quidem aliter sentimus. Ordo enim spectat tantum ad copulationem rerum, perfectio autem pertinet in primis ad res coniungendas. Nec prædicatum, ordine quidem dignum, sed accidens tamen in se comprehendit Heckeri definitio. Ut enim Goetting. philosophus, Hollmannus, primæ suæ philosophiæ §. 201. recte monet, si quis velit diiudicare, num aliquid pro perfecto, secundum celeberrimi Wolfii definitionem, haberi vel queat, vel debeat, vel minus; eum semper certum rei eiusdem finem vel usum supponere debere, cum quibus rem eandem contendere, dispicereque adeo possit, an cum iisdem satis bene conveniat, consentiatque, an minus: ita idem fere valet, si quis cupiat scire, utrum copulatio quædam ordini sit consentanea, an minus. Contemplatio finis itaque, in ordine, est maxime necessaria. Ex quibus quidem Hollmanni, viri eruditissimi, verbis, satis patet, quomodo perfectum, & id, quod cum ordine bene convenit, inter se differant. Perfectum requirit non tantum aptam partium coniunctionem, sed præsentiam inprimis omnium eorum, quæ ad consequendum finem pertinent. Ordo autem præsertim exigit compositionem fini convenientem. In supplementis ad Acta hæc nostra Tom. IV. S. VI. p. 266. quædam contra clarissimi Baumgartenii, de confusione, monuimus definitionem. In præfatione novæ metaphysices editioni præfixa, contra monita nostra conatus est eandem vir excellentissimus defendere. Iure autem monet Heckerus, in sua de ordine disputatione, distinctionem, quam Baumgartenius pro sua definitione profert, haud sufficere ad defendendum id, quod defendere debebat. Coniunctio diversorum, coniunctionis & ordinis diversitas, debent quidem distingui, sed & coniunctionis diversitas cum ordine facile consistit. Nolumus heic loci hanc in rem plura dicere, ne videamur λεπτολογεῖν.

Tertia, eademque ultima disputatio, contemplatur finem Dei in creando mundo. In præliminari præfatione eruditissime probat Auctor, disputationem de fine creationis neutiquam favere temerariæ audaciæ eorum, qui vel Deum esse negant, vel religionem contemnunt. Omnis enim dissensus huc redit, utrum gloriæ Numinis, an rerum creatarum felicitati, ultimus finis sit attribuendus. Uterque finis lubentissime conceditur ab omnibus, qui in id inquirunt, uter sit finis ultimus. Prior huius dissertationis pars ostendit, ultimum creationis finem inesse in revelatione gloriæ divinæ. Antequam vero Stiebritius V. Cl. probationem suam proferat, ostendit, Deum in sui ipsius consideratione maxime delectari, Deum sibi maxime placere, Dei in se ipsum inclinationem esse maximam, gaudium Dei in se esse infinitum, suam felicitatem Deum vehementissime quærere, in summo gradu se amare Deum, sibique esse sufficientissimum. Harum thesium probationem sequitur hoc ratiocinium: Si Deus omnibus perfectionibus in summo gradu gaudet; si Deus est summum bonum; si Deum oportet maxime delectari dum se ipsum contemplatur; si gaudium propter suas perfectiones est maximum; si Deus sibi maxime placet; si Deus est felicissimus & beatissimus; si caussa adest, eademque sufficientissima, cur se infinite amet; si tanto amore, quo se diligit, alios prosequi nequit; si Deum tandem oportet in se perfectissime esse contentum: sequitur necessario, eum omnia, quæcunque vel intra vel extra suam essentiam occipit, sui ipsius caussa præcipue suscipere. Si itaque, pergit Auctor, Deus actionem quamdam perficit, se ipsum efficit finem; motiva petit e suis perfectionibus infinitis; subsidia denique eligit, quæ perfectiones suæ & exigunt & offerunt. Prægnantissima enim Deus sequitur motiva. Hæc autem alia non sunt, quam quæ a se ipso desumit. Nec dedecet hoc Deum, ut potius, si aliter ageret Deus, multa exinde oporteat venire, Numine nullo modo digna. His præclare disputatis, probat Stiebritius, Deum

Deum a se ipso sumsisse finem creationis. Huius finis haud ea est ratio, ut Deus, qui est sibi sufficientissimus, aliquid accessionis nanciscatur: sed sui ipsius revelatio scopum in se complectitur. Hæc Auctor clarissimus sequenti modo evincit: si Deus e pluribus finibus æque possibilibus optimum finem, hoc est, eum, qui ipsi maxime placet, debet eligere; si in creatione varii fines esse possunt, quorum prior a Deo, posterior a creatura, originem capit; si Deus est perfectissimus, qua de re nihil ipsi sic placere potest, ut sibi ipse placet, ut ipsi placet id, quod ad sui gloriam pertinet, quod & Deo dignissimum est: sequitur, ut Deus finem a se desumtum tamquam optimum sibi repræsentet; ut idem ipsi vehementissime placeat; ut eundem præ ceteris eligat; ut igitur mundum sui, Auctoris scilicet, caussa creet.

Ad secundum venimus argumentum, quod tale est. Si rerum creatarum felicitas est instrumentum revelationis gloriæ divinæ; hæc illius finem in se complecti debet, illa autem pro ultimo mundi haberi nequit; sed subordinatus tantum quidam est scopus mundi. Tertium argumentum ita habet: Si Deus optimum eligit finem, qui & maxime ponderosus esse debet, ex quo optima quæque fluunt; pondus vero atque fructus haud dubie amplissimum complexum rerum, ad quas finis dirigitur, continet; finis quoque a revelatione perfectionum divinarum desumtus, ampliori gaudet complexu rerum, quæ in mundo inveniuntur, eo, qui in felicitate rerum creatarum consistit: sequitur, ut Deus omnino non potuerit non finem, de quo disputatur, eligere. Argumenta e rationis principiis desumta, sequuntur testimonia litterarum sacrarum, quæ Auctoris sententiam egregie confirmant. Leguntur testimonia illa Rom. I, 19. 20. Proverb. XVI. 4. Rom. XI. 36. 1 Cor. VIII. 6. Ebr. II. 10. Apocal. IV. 11. Ps. CIV. Contemplatione dignissima sunt, quæ in notis ad Cudworthi systema intellectuale monuit Moshemius, Cancellarius nuper Academiæ Georgiæ Augustæ longe celeber-

celeberrimus, nimirum, multa de mundi fine esse a quibusdam disputata, antequam disputationum auctores satis cognoverint, quid sit Dei & gloria, & honos. Prioris disputationis Stiebritianæ partis finem faciunt quædam, quæ fluunt e thesi, ab ipso, argumentis haud contemnendis, firmata.

In posteriori ipsius parte respondet auctor ad obiectiones eorum, qui felicitati rerum creatarum ultimum tribuunt finem. Prof. Salanum, Dariesium, vehementer dissentire a Stiebritio, nemo ignorat. Ad huius dubia doctissime, præclare, &, ut eruditos decet, modeste respondet Stiebritius, vir perspicaciæ laude dignissimus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLVI.

CODEX TRADITIONUM CORBEIENSIUM, NOtis criticis atque historicis, ac tabulis geographicis & genealogicis illustratus, quibus antiquissimus Germaniae, inprimis autem Saxoniæ, status, a Carolo Magno usque ad Conradum II. Imperatorem, nec non Origines multarum familiarum illustrium, exhibentur. Accedunt præterea Diplomata adhuc inedita: nec non Registrum Abbatis Sarachonis, de Bonis ac Proventibus Abbatiæ Corbeiensis. E latebris protraxit, & adnotationes varias ac figuras æri incisas addidit, IOANNES FRIDERICUS FALKE.

Lipsiæ & Guelferbyti, 1752. apud Io. Christoph. Meisnerum. 14. Alph. 17 plagg. cum tabb. aen. XXIV. fol.

Opus diffusum, & diligentiam prodens, orbi erudito obtulit pl. rev. Auctor. Codicem Traditionum, pleraque diplomata, & Registrum Sarachonis, e tenebris in lucem prodiisse, lætantur quotquot geographiæ ac historiæ medii ævi bene cupiunt. *Adnotationes*, quibus Traditiones illustrantur, ornatæ sunt passim diplomatibus adhuc ineditis, genealogiis novis, geographicisque notitiis haud vulgaribus; subinde tamen coniecturis datus fuit in genealogiis locus, quas tamen Auctor nemini obtrusit, quin potius a personis, quibus testimonia auctorum fide digna patrocinantur, prudenter

coniectando, habiles ab inhabilibus satis secrevit. Monumentum diligentiæ hoc inscripsit ac consecravit *Reverendissimo & Celsissimo Principi Abbati Corbeiensi, Casparo*, Hoexteræ intra territorium Corbeiense natus, & Corbeia *Codicem* cum *Registro* nactus manu exaratum. Usus, ex *Traditionibus* hauriendos, edisseruit Auctor in *Miscellaneis* nostris Vol. IV. P. II, p. 242, sq. In *Praefatione* vindicat sese ab Anonymi, Ioachimi Berwardi Lauensteinii, & Casparis Abelii dissensionibus. *Specimen geographiae medii aevi*, quod Lauensteinius 1745. 4. Hildeshemii ediderat, multorum incusat & convincit nævorum. Quis vero in illius geographiæ campo nunquam aberret? Tandem ad sententias suas quasdam vel clarius exponendas, vel refellendas, se accingit. Brunonem, episcopum Wirciburgensem, stirpi Ducum Saxoniæ Ludolfidarum it vindicatum. Aedam, Odæ, quæ Ludolfi Ducis erat uxor, matrem, non ipse, sed eius amicus, pro Pipini regis, ex Carolo Magno nati, filia, & Caroli M. nepte habuit; ratus, eam esse *Atalam*, cuius meminit *Eginhartus* c. 10. Oda certe *Comitissa* dicitur *stirpe regia* fuisse *edita*, in diplomate coenobii S. Laurentio sacri, ad Scheningam haud procul Helmstadio siti, p. 760. *Traditiones* in partes sexdecim distribuit A. respiciens ad ætates totidem Abbatum Corbeiensium. Desinunt tandem in anno 1037, exorsæ circa annum 822. Adpendicis loco additur *traditio* de *Vredebero* dicto *Ketelholdt*, eiusque posteris, qui secesserunt in *Scheim* versus Rhenum, in Comitatum Mansfeldicum, & in Meclenburgicum Ducatum. In *Traditionibus*, pagi varii, eorumque villæ memorantur, quibus ex *Registro* lux adfulget. Index pagos villasque recenset, passim occurrentes, & per dimidium Germaniæ quærendos. Habes hic, Lector, *Butonem Comitem* circa a. 824. p. 5: *Immadum Comitem*, bona in pago Hardego tenentem, p. 7. & *Ricbertum Comitem* in Derlingo pago possessiones nactum, p. 15. *Wiricus Comes* floruit ad Visurgim, p. 37: *Enno Comes, & Withmannus Comes*, ibidem floruerunt, p. 38: *Thiodger Comes* memoratur p. 54: *Esic Comes*, largus ex bonis Budinifeldensibus, haud procul Visurgi

furgi, p. 54: *Odo Comes* ad A. 826. p. 61. *Bernhardus Comes* pagi Hafugo feu Hofgau, p. 92. *Thuring Comes*, bona elargitus Kiffenbrüggenfia prope Wolferbuttelam, p. 94: *Efic Comes* ad Vifurgim, in pago *Tilgethi* habuit bona, de quibus nepotes eius cum Ecclefia Corbeienfi litigarunt, p. 242. *Cobbo* quidam celebris Comes fuit, avunculus Amelungi, bona nacti in pago *Monweddi*, p. 257. Ex §. 126. p. 258. intelligitur, non ipfas traditionum formulas hic exhiberi, fed concinnatum ex iis breviarium. Cobbo ibi vocatur *Ludolfi germanus*. Ex forore itaque Ludolfi, Ducis Oftfalorum, natus fuit *Amelungus*, filius Amelungi ac Hadwinæ. Hanc tandem Abbatiffam fuiffe Herfordenfem aliunde novimus, marito demum mortuo. Ex hoc Amelungo ipfa pepererat *Bennitum*, feu Bernhardum, & *Amelungum* iuniorem. Id ipfum patefcit ex §. 149. Hadvinam vero Ludolphi Ducis fuiffe fororem, communis opinio eft. Ida, Ludolfi illius mater, dicitur fuiffe *mente devotiffima*. Billingo tribuitur frater Brunhardus. Uterque in pago Bardenga, feculo X. crescente, habuit fundos. Complura vetuftæ nobilitatis indicia paffim leguntur. Situs pagi *Habogo* haud liquet Auctori. Pagum *Afterburg*, feu *Oftarburg*, collocat prope Rintelium, circa Vifurgim. Pagum *Wigmodi*, feu *Wimoa*, ad utramque Wimmæ Bremenfis ripam ponit. Ut villas pagi Derlingo, quem ipfe incolit, curate evolvat, nulli operæ pepercit. *Herulos* intra Germaniam quærit, quos in Dalecarlia Suecorum alii deprehenderunt. Apud Helmoldum, in *Chronico Slavorum* manufcripto, quo Bangertus ufus eft, haud legitur Heruli, fed *Hevili*, id eft Havilam accolentes. Hoc loco reftituto, atque Procopio in fubfidium vocato, evanefcit Herulorum inter Germanos domicilium. Palatium regium, *Werle*, inter Magdaburgum ac Hildeneshemium ponit, teftimoniis Scriptorum haud adverfis. Tum vero deflectit ad villam Werle, nunc dictam Warl, haud procul Scheppenftadio, eique tandem id honoris impertit. Provocat hanc ob caufam ad quoddam Caroli quarti diploma, a. 1357. datum; fitum etiam villæ delineat ad vivum. Diploma Ottonis a. 967. Magdeburgicum, in quo fit mentio *curtis Hebesheim*,

convincit nequiſſimæ fraudis. Deinde vicum *Adelen* nunc dici *Eilen* exiſtimat, ac olim putat vocatum *Adenem* & *Odenem*. Fratres Kalendarios quosdam fuiſſe ſeculo XIV. in Luckenem, ſede commendatoris teutonici ordinis per Saxoniam primaria, docet fide diplomatis. Charta dedicationis templo S. Magni a Branthagone Epiſcopo Halberſtadenſi impertita, videtur dubiæ fidei eſſe. Comitem Ennonem Auctor ſuſpicatur referendum eſſe ad ſtirpem Billinganam. Suſpicio pertenuis. Inſigne nobilium Dominorum *de Homburg* adpellatorum, exhibet in ſigillo Henrici Homburgici ad a. 1256. Memorabile eſt, leonem in eo erectum ac coronatum contingere, unum e cornibus geminis cervinis, ab initio iunctis. Ob conſanguinitatem cum Comitibus Daſſelenſibus, cornua illa fuiſſe addita, prouti Auctori viſum, videtur propterea negandum, quod cornua illa olim fuerint inſignia Dominorum, qui Regum Germaniæ ſilvis ex beneficio præeſſent. Auctor villas pagi *Nortthuringiae* ſolicite recenſet, eiuſque tractui eximit urbem Helmſtadium. Ottonis Magni duo diplomata Gandershemenſia, ad a. 946 & 956. data, ut ficta reiicit. Nomen *Osman* Germanis Seculo IX. fuiſſe frequens, pateſcit ex p. 53. Haſſionem, Oſtfalorum ducem, Auctor putat eſſe illum *Heſſi*, de quo in *vita S. Liutbirgis* c. 1. fit mentio. An ipſe teſtes, traditionibus adiunctos, ubique detexerit ſine erroribus ullis, pro certo adfirmare non audemus. Villas pagi *Logne*, Goettingæ circumvicini, operoſe A. deſcribit. Pagum Heſſi, Saxonicum & Franconicum, curate perſequitur. Studioſe inquirit in loca pagi generalis *Aſtfala*, ſeu *Oſtfaliae*. De Benneburgo, & originibus Hildeneshemii, coniecturas exhibet, argumentis ad probabilitatem evehendas. Pagi *Falhen* ſeu *Valun*, quæ pars fuit Oſtfaliæ circa Hildeneshemium, recenſet loca diligenter, nonnullis diplomatibus Hildeneshemenſibus repudiatis. Eandem induſtriam tranſtulit ad exponenda pagi *Leri* ſeu *Leriga* loca. Adfert Ludovici Pii diploma, cui duo ſubnotata ſunt monogrammata. Alius fuit pagus *Liergewe, Lieron, Lere*, ad ripam Obacræ ſiniſtram olim poſitus. Fuiſſe olim nobiles ab *Albaxen*, villa Corbeienſi, cognominatos, negat Auctor noſter, & fabulam, cui olim in *Sciagraphia hiſt. Corbeienſis* ſub-

ſubſcripſerat, refutat. Loca *Anlphidi* & *Amplithi* paſſim pro uno habet. At in præfatione ſententiam hanc correxit. Loci *Guddingun*, ſeu Goettingæ, iam meminerunt *Traditiones*. Regiſtrum vero *Guddinge* habet, in *pago Logne*. De pago *Itergowe* & *Nithega*, Auctori viſum fuit differere ſuccinctius. Nævos *Originum Pirmontenſium* ill. Chriſtiani Ulrici Grupeni paſſim emendat typographicos, cavens, ne ſibi inde quid opponatur per auctoritatem, in abuſum converſam. De *origine Marchionum orientalium* exponit multa, quæ in tabulam genealogicam ſunt redacta. Nobis iam non vacat, expendere articulos generationum, ſecundum diplomaticam ac hiſtoricam fidem, exactius. Genealogiam Witekindeam paullo poſt adiungit, ſperans, neminem fore tam iniuſtum & abſurdum, ut, ſi coniecturæ Auctoris minus placeant, reliqua omnia ut inepta reprobet. Non enim negat, nonnihil ibi coniecturis datum eſſe. Ex eodem ſtipite deducit Immedingos, Comites Swalenbergicos, Waldeccenſes, & Pirmontanos. Subiicit poſtea Comitum Winzenburgicorum ſtemma. Bernhardi Epiſcopi diploma, quod ad annum 1150 refertur, & caſtrum *Homborg* reſpicit, merito pronuntiat eſſe ſuppoſititium. Comitum Northemenſium initia & propaginem exponit, præfigens eis Sifridum quendam. Adiungit Henrico pingui fratrem natu maiorem, Hiddiconem. Ex hoc arceſſit filium Sigibertum, a quo Bodonem, nobilem dominum Homburgicum, deducit. At Sigfrido, Comiti Northeimenſi, defuncto ad annum 1144. nulli omnino fuerunt heredes. Non videtur Auctor ad hoc momentum reſpexiſſe. Mox Comitum de *Inſula* maiores, tabulis genealogicis ſiſtit. Deinceps Ludolfi, Ducis Saxoniæ orientalis, genus ita ordinat. Adelhardus Dux Saxonum occidentalium. Huic adiungitur Theodoricus Saxo, iſti Widekindus, itemque Bruno, Dux Angariorum, dantur filii. Inter Brunonis octo filios Auctori primus eſt Ecbertus. Huic ille liberaliter dat filiam Hadvinam; filios, Brunonem Comitem, Warinum Abbatem Corbeienſem, Cobbonem Comitem, Luidolfum Ducem Saxoniæ orientalis, & Ecbertum II. Ex Luidolfi filio, *Hiddio*, iſtiusque filio Luidulfo, ac nepote Brunone, deducit dynaſtas

Comitesque Brunsuicenses. Cur vero *Hiddi* huc ponitur? Meminit Auctor §. 342. *Tradit.* ubi hæc leguntur: *Tradidit Hiddi pro filio suo Luidolfo unam familiam in Hiddikestorpe & 50. iugera.* Meminit porro §. 349, ubi hæc sunt: *Tradidit Hiddi pro sorore sua Alvered, & pro uxore sua Eruli, unam familiam in Sivaldeshus, & aliam familiam in Buriun.* Hoccine videbatur esse id, quod erat demonstrandum? Coniectando Auctor hic rem expedivit. Qui ea unice sectantur, quæ diplomatibus genuinis, & testimoniis historicorum fide digniorum sunt superstructa, tabulas genealogicas dabunt longe contractiores. At modulo non vivitur uno, & studio novitatis subinde A. in devia abductus est. Mox deinceps Comites Teklenburgicos, a Cobbone, Ludolfi Ducis memorati fratre, derivavit. Innotuerunt certe Auctori nomina testium, & alia, nude in *Traditionibus* posita, longe melius, quam nobis aliisque. Ipse originem Dominorum de *Stonenberg* tradit repetendam esse ab Esicone, filio Ducis Luidulfi. Credit, superesse quoddam *Chronicon Gandershemense manuscriptum*, atque ex eo iam aliquid prodire optat. Specimina genealogica, Gebhardianum & Behrensianum, Comitibus Brunsuicensibus evolvendis inservientia, refellere nititur. Desudat in genealogia *Comitum Everfteinensium*, mausoleum & reliquias Widekindi Magni, herois sui, & figuris æri incisis, & descriptione illustrat. Notum est, mausoleum ætati herois haud esse consentaneum. De Wigberto, ac Walberto, Widekindi filio ac nepote, disserit copiose. De genealogia *Billingana* nonnihil per coniecturas exponit, tabulisque genealogicis quatuor eam illustrat. De heredibus Ducis Ostfalorum, Hessi, iterum iterumque aliquid coniectat, præcipue vero p. 254. Ubi Lauensteinium refellit, ita præcipit: *Testimonia scriptorum coaetaneorum omne effatum historicum stabilire debent.* De *Angaria* veteri docte commentatur. De Ida, Ludolfi Ducis matre, disserit fusius. Inde pagum *Lengi* scrutatur. Geroldi Comitis, † 876 Corbeiæ, epitaphium cum lectore communicat, additque sat prolixe eius genealogiam. Pagum *Himmeltago* audacter proscribit. An terræ

Princi-

Principum Waldeccenſium ad Angariam fuerint relatæ, diſquirit. Illuſtriſſimam *Münchhuſiorum* gentem, e terris Lippiacis prodiiſſe, ipſi videtur veroſimile. De pagis *Weſtphala*, *Boructra*, *Ruricgao*, & *Dreini*, diligenter differit. Weſtphaliæ pagum generalem a ſpeciali, nec non ab utraque Angaria, occidentali & orientali, circa ripas Wiſaræ, diſtinguit. De *Hirutfeldo*, Hirzfeld, oppido Monaſterienſi, egregia quædam adfert. De villa *Triburi*, altera in ducatu Weſtfaliæ, altera in terris Darmſtadino-Haſſiacis, differit. *Spörkiorum* & *Werthiorum* Comitum natale ſolum, in pago Weſtfalen, cuius ambitum deſignat, ponit. De loco *Bilebeld*, & collegio Canonicorum ibi a. 1293. inſtituto, varia adfert memoratu digna. De aquila, inſigni Comitum Ritbergenſium, agit p. 327. Albionem, ducem bellicum, propius conſiderat, nec coniecturis parcit. Ad eum refert origines Comitum Waldbeccenſium, Supplinburgicorum, Sommerſenburgicorum. Horum genealogiam magno ſtudio contexuit. Avum Lotharii Imperatoris tenuiſſe terras Comitatus Supplinburgici, Auctor comprobare potuiſſet ex charta, qua Lotharius monaſterium Regiolotharienſe reformavit, & denuo quaſi inſtituit. Eſicum, filium Liutharii II. habet pro conditore Comitum ac Principum Anhaltinorum. Addit deinceps ſtemma priſcorum Anhaltinæ domus ſerenisſimæ conditorum, nec non Waldbeccenſium, Sommerſchenburgicorum, atque Supplinburgicorum Comitum. Non eſt noſtrum, iſtarum tabularum genealogicarum ſeptem examinare fidem, ad libellam criticam; neque enim, credimus, defuturi ſunt, qui hoc defungantur labore. Wigandi *Vitam Waltgeri*, a Paulinio evulgatam, Auctor exiſtimat ex fabulis anicularum Herifordenſium conſarcinatam fuiſſe. Addit, non Waltgerum, ſed Ludovicum Pium, inſtituiſſe monaſterium Herifordienſe, eique præfeciſſe Tettam Abbatiſſam primam, non Swalam. De *pago Thiadmelli*, villis quibusdam pagi Guddinge, pago *Scotelinge*, pagis *Fleithi* & *Flotwita*, exponit ſuccincte. Propius examinat loca, pagi *Saltgo* & *Agrotingun*, circa Meppiam Monaſterienſem. Oſtendit deinde,

de, pagum *Auga*, Corbeiæ circumiectum, æque dici *Ahuge* & *Ahagewe*. Ludolfo, Duci Oſtfalorum, filium Tancmarum tribuit. De marca & pago *Aringho* haud uno loco agit. Conradi I, Regis Germaniæ, maiores, ab Erdago Comite, & Gerburga, Ludovici Orientalis Franciæ Regis filia, illius uxore, arceſſit. Gerhaum Ducem exiſtimat fuiſſe omnium Haſſiæ Comitum progenitorem, quod ille protuliſſe propterea videri vult, ut *aliis occaſio praeberetur rei curatius contemplandae*. Gerhaicum ſchema genealogicum, p. 381. allatum, nititur æque coniecturis quibusdam, a poſſeſſione bonorum hereditariorum, & nominum eorundem frequenti repetitione, nec non ex quibusdam teſtimoniis perſpicuis, ac aliorum momentorum coniunctione, petitis. Comitum Ziegenhainenſium ſtirpem ad annum usque 800 effert. Widekindi Corbeienſis errorem, qui duos Henricos in unum mutavit, notat. Pagus *Soretfeld*, in diœceſi Paderbornenſi ponitur. De vico *Hemmendorpe* exponit ſolicite. Pagum *Bukki* deprehendit in Schaumburgico Comitatu. Mathildi, quæ nupta fuit Henrico Aucupi, Regi, reſtituit patruos. De pago *Hamalant* curate diſſerit, addita tractatione de pagis *Felve*, *Flehite*, pago *Northuuanti*, nec non *Iſterlaci*, *Muntuurſuntigis*, *Teſterbant*, *Huintingoë*, *Batua*, quærendis in Belgio foederato. Proſequitur curſum Auctor ad pagos *Scaldis*, *Bragbanto*, *Taxandria*, & ad pagum *Rienſe*, nec non *Maſao*, cui confines olim erant pagi *Riboarienſis* & *Ruricgowe*. Diligentiam porro ſuam transfert ad Belgium foederatum, eiusque pagos *Wironi*, *Tochingen*, *Twente*, *Thrente*, *Isloi*, *Waldahi*, *Walderen*, *Weſtracha*, *Oſtrache*, *Fedirga*, *Hunusga*, *Fivilga*, *Hugmerchi*, *Leomerike*, *Thyelle*, & *Freſia*. Habent hic Belgæ, quod examinent. Examinavit enim Noſter genealogiam primorum Hollandiæ Comitum, quam Wilhelmus Heda adpoſuit. Wichmannorum, Comitum pagi Hameland, genealogiam condidit, inter iam cognita referendam. Islibertum, Lotharingiæ Ducem, fuiſſe Raginberni filium, ſeu Raginero natum, comprobat p. 466.

Ab

Ab huius Ragineri, Ducis Mosellani, filio ac nepote, Ragineriis, Comites Lovanienses, & Hannoniæ Brabantiæque Duces, atque per Henricum Infantem, etiam Serenissimos Hassiæ Landgravios deducit. Giselbertum, Comitem pagi Darnau, ab Aquitaniæ præfecto Giselberto distinguit. Notat plura in pervulgatis de Brabantiæ Ducibus tabulis genealogicis. Stemma Witikindeum omnino reddit satis magnificum atque peramplum. Pagum Lisgo, Herciniæ in meridianam plagam obiacentem, passim illustrat. Nec abstinet ab originibus genealogicis Comitum Oldenburgicorum, nunc Ducum Holsatiæ, & Daniæ Regum. Mallemus, prima capita genealogiæ firmo stare talo, quam tenuissimo probabilitatis gradu niti. Plura tamen daturum sese Auctor promittit in *Clientela Corbeiensi*. De *Horohus*, *Horohusun*, *Horhusen*, villa prope Eresbergam in pago Hessi Saxonico sita, & de militibus inde dictis, diligenter commentatur, affirmatque, Schatenium, ut Episcopi Paderbornensis protenderet per territorium Corbeiense iura, Corbeiensia nonnulla diplomata adulterasse. Hadeburgæ, quæ erat prima Henrici Aucupis coniux, genus a Brunone, Duce Angariorum, repetit. De iudicio sedium liberarum Corbeiensi in locis variis, per Carolum IV. Imperatorem 1349. indultis, pauca adfert. De limite inter pagos Wettigo & Thietmelli, etiam præcipit. *Haversvorde* villa, quæ habuit milites inde adpellatos, sita fuit inter Luchtringam & silvam Sölling, in Auga. Provocat Auctor ad *historiam Groningensem*, *clientelam Corbeiensem*, *historiam fossilium petrefactorum*, *diluvii testium*, a se conscripta; & laudat manuscripta, utpote *Chronicon Corbeiense*, & præterea *Fastos Corbeienses*. Widekindi Monachi Annales, ad manuscriptum Corbeiense exegit, & cum hoc contulit, passim discrepante ab editis exemplaribus. De sede Ducum Brunsuico-Lüneburgicorum Beverensi, ac præfecturæ Torste vicinæ, protulit haud tralatitia ex ævo medio. Henrici Leonis litteras ad Abbatem Wibaldum exhibet, & passim diplomata inedita disquisitionibus inserit. Hiddonem, seu Hiddi, fuisse Ludolfi Ostfalorum Ducis filium, adserit tam confidenter, ut secus sentientes cum ratione

infanire arbitretur. Neque Agii presbyteri pronuntiata fibi obftare, oftendit. *Suevi transbadani* in MStis Annalibus Widekindi leguntur L. I. p. 633, ubi in editione Meibomiana fe offerunt *Suevi transalbini*. Comitum *Courhdesburgenfium* genealogiam Auctor repetiit, additis quibusdam de fuo. De loco *Pattenfen* differit, ad Leinam fito. *Wibertum*, Epifcopum Hildineshemenfem, fuiffe fratrem Walberti, quem fibi adiunxerit in muneris fublevationem, & illum vixiffe adhuc anno 887, ad liquidum perducit. Nobilium Dominorum de *Buren* genealogiam promit. Exponit de pago *Enterigawi*. Comites Hoienfes ftudet a Wedekindo Magno deducere. Optamus, ut fingulos generis exhibiti articulos folidis teftimoniis coetaneorum comprobet impofterum. Comitum de Patberg genealogiam texuit, cuius initia egent argumentis firmioribus.

De Hermanno ac Henrico, Comitibus Perremuntanis, ac dynaftis Natezungenfibus, proponit aliis indicta. Brunonem, Epifcopum Wirziburgenfem, defunctum anno 1045, patruum Brunonis Comitis, advocati Corbeienfis † 1056, inferit denuo Comitibus Brunfuicenfibus, & commentario illuftrat. Ottonis III. quoddam diploma, a. 1001. datum Romæ Kalendis Ian. pro fuppofititio habet, rationibus in medium adductis. Idem pronuntiat de eiusdem argumenti diplomate Paderbornenfi, quod Henricus II. Rex dicitur a. 1003. 4 Non. April. Quidilingeburgi dediffe. Meinwerci conatus violentos in monafterium & ecclefiam Corbeiæ, reprobat. Genealogicam feriem Comitum Schartfeldenfium & Lutterbergenfium, a Deddio quodam, & aliis hominibus hucusque in hac progenie ignotis, arceffit. De iudicio, *Gofcaph* & *Graufcap* dicto, nonnihil habet. Terminos dioecefeos Hildeneshemenfis defcribit, ac geographice perfequitur. In *praefatione* tamen nonnullis addit limam. Unwani, Archiepifcopi Hamburgenfis, genus, luce perfundit. Fridericus *Comes de Huxaria* videtur ei fuiffe Fridericus, Comes Perremontanus. At diploma Widikindi Abbatis, *comitem*, id eft iudicem *de Haxaria*, poftponit dynaftis minifterialibus, & *Thiderico comiti de Horhufen*, id eft, officiato Corbeienfi, iudicium in Horhufen

exer-

exercenti. Eſt tamen ea res variis adhucdum dubiis, neque immerito, obnoxia. Horhuſanos miniſteriales, in tabulam genealogicam redactos, prætermus, ut & Fraternitatem S. Viti. Villá *Sipeſtorpe* ſita fuit in pago Derlingo, ante portam Helmſtadii, quæ noſtra quoque ætate adpellatur *Seperthor.* Pagum Ammeri, dictum quoque *Angeri*, eiusque partem fuiſſe pagum *Leri, Leriga*, exiſtimat. Marchiones Freſiæ unquam extitiſſe, negat. De originibus gentis generoſiſſimæ *a Ketelholdt* additur narratio Corbeienſis vetus, cum eius genealogia. Hiſce argumentis ſubiunguntur diplomata, acta publica, & *Regiſtrum Sarachonis*, quo villæ pagique Germaniæ ex ævo medio recenſentur. Inſerta iis adparet translatio reliquiarum S. *Perpetuae*, quæ a. 1709. ex coenobio Mariævallenſi, ad Helmſtadium ſito, deportatæ fuerunt in Corbeiæ novæ ſedem. Litteræ Ludovici Pii, Adriano II. a. 873. datæ, Caroli Craſſi ad a. 882, Conradi I. ad a. 913, Henrici I. ad a. 922, Ottonis I. ad a. 936, Benedicti VII. ad a. 980, Henrici III. ad a. 1039, Lucii III. ad a. 1184, & Caroli V. ad a. 1521, Corbeienſia illuſtrant, & monogrammata habent adiuncta. Duo Ottonum diplomata ad monaſterium *Schilſche* pertinent. Ottonis I. confirmatio ad a. 950. monaſterium Angarienſe eſt referenda. Sequuntur diplomata Herifordenſia XIII. Ad monaſterium S. Laurentii Scheningenſe pertinent diplomata ducenta, hic ex autographis exhibita, in quibus litteræ Epiſcoporum Halberſtadenſium, Paparum, Innocentii II, Alexandri III, Lucii III, Honorii III, Epiſcopi Merſeburgenſis Ekehardi ad a. 1235, nobilium Dominorum de Werberge, Aſſeburgiorum, Esbekiorum, Heimburgiorum, Archiepiſcoporum Magdeburgenſium, Ducum Brunſuicenſium, militum de *Alvensleve*, dynaſtarum de *Meinerſen*, militum de Werle, Ierceſem, Hoyerſtorp, Schliſtedde, de Steynbeke ſeu Steimke, Hadmersleben, de Veltheim, de Haldesleve, de Wobeke, Pii II. ad a. 1462, & Epiſcoporum quorundam Hildeneshemenſium, leguntur. Adferuntur dein diplomata nonnulla Mindenſia, ac complura Amelungesbornen-

sia. Indices, operi subiecti, diligentiam spirant haud mediocrem, & alphabetum, ut aiunt, explent. Errata sub finem operis indicantur. Emendationes in *praefatione* exponuntur.

IO. NIC. FROBESII, MATH. AC PHILOS. IN Acad. cel. Car. Prof. P. O. historica & dogmatica ad mathesin introductio, qua succincta Matheseos historia, cum ceteris eiusdem praecognitis, nec non systematis mathematici delineatio, compendio Wolfiano accommodata, continentur.

Helmst. 1750. 1 Alph. plag. 13. in 4.

Laudabili conatu, Auctor, plurimis aliis scriptis dudum celebris, historiam matheseos cum eius tractatione coniungit, cum nulla historiae litterariae pars incultior iaceat mathematica, quod plerumque, qui magni sibi litteratores videntur, eas scientias, a quibus veteribus graecis doctrinae omnis initium fiebat, ne a limine quidem salutaverint. Itaque libri Sectio I. mathematum praecognita, sive de matheseos natura, constitutione, atque fatis, dissertationem continet. Habes hic erudite collecta omnia, quaecunque apud veteres atque recentiores, de quantitatis scientia generatim, de obiecto eius, de methodo, usu, iis etiam quae desiderari in ea quidam posse iudicarunt, reperiuntur. Matheseos vero historiam, quoad principes eius partes leviter quidem saltim adumbrat, sed ita, ut tum tironibus utilem ministret operam, tum provectioribus etiam gratam rem faciat, aliqua forte non omnibus nota hic reperturis. Promittit vero *acta mathematicorum*, actis philosophorum celeb. Heumanni similia, quibus non *Bibliographiam* saltim, sed & ipsam *historiam mathematicam*, quaeque mirifice his utrisque inserviunt, *pandectas mathematicas*, a Morhofio olim exoptatas, commodissime sibi videtur confecturus. Sed mors viri doctiss. (quam obiit A. MDCCLVI) spem eam abstulit. Neque vero opus esse arbitramur, ut omnem scripti ambitum percurramus: itaque quod primo forte nobis se obtulit, specimen, de Aegyptiorum in mathesin meritis, recensebimus. Sunt vero haec, Frobesio quidem enumerante, quod 1. solis & lunae

lunæ conversiones, ad defectus indagandos, sollicite investigare studuerunt: 2. Zodiacum, nec non universum coelum, quoad eius fieri potuit, exactissime, in XII. partes æquales diviserunt: 3. Veneris & Mercurii stellas, non terram, sed solem, circumire animadverterunt: 4. Solis diametrum apparentem, eius ad corpus telluris proportionem, planetarumque orbitas definire allaboraverunt: 5. Solis quiescentis, terræque motæ systema, forte probaverunt, quod Stanleius, hieroglyphico ex Kircheri Oedipo Aegyptiorum adducto, confirmat: 6. Forte etiam lentem punctorum cardinalium mundi, atque situs eclipticæ mutationem, deprehenderunt: 8) primi omnium anno solari usi sunt, & divinatoriis artibus strenue operam dederunt: denique 9. geometriam diligenter coluerunt. Hæc singula adductis veterum locis, docte illustrantur.

Hic Sectionis I. gustus sufficiat. Sectio II. compendium mathematicum, tabellarum forma, quale & philosophicum Auctor olim dedit, exhibet, succinctum illud, & iis etiam, qui solidiore methodo usi, mathesin addidicerunt, ad repetitionem commode instituendam, non inutile futurum.

EXPERIENCES SUR L' ELECTRICITE' &c.

h. e.

EXPERIMENTA DE ELECTRICITATE, ADDItis coniecturis de caussa effectuum eius. Auctore IALLABERTO, Professore Philosophiae experimentalis & matheseos, Membro Societatum Regiarum Londinensis & Montisbeliardensis, Instituti item Bononiensis.

Parisiis, 1749. pagg. 379. Tab. æn. 3. in 8.

Cum multa sint in hoc libello, passim iam nota, de iis quidem nihil dicemus, quæ priora 7. capita continent, de electricitate, corporibusque quæ trita electrica fiunt, de attractione & repulsione electrica, de luce corporum quæ terendo electrica fiunt, de luce corporum communi ratione ele-

ctricorum, de corporibus materiæ electricæ permeatilibus, & de Muſchenbrockiano, quod vulgo dicitur, experimento, agentia. Ultimum præcipue magno cum ſucceſſu ab Auctore agitatum, prolixe exponitur. Inter alia, cum ferventem aquam adhibuiſſet experimentator, impetu vis electricæ particulæ ex vaſibus oblatæ ſunt, animalibusque mors illata eſt. Sed præcipue habet libellus experimenta in paralytico ſumta, quorum ſummam exponemus. Fabrum clavicularium, *Nogues* dictum, 52. annorum, ſatiſque delicatæ complexionis, auctor 26. Dec. 1747. adiit; cui paralyſis omnem in dextro brachio ſenſum ademerat, manus interior verſus interius latus oſſium brachii inferioris curvata erat, ſine ullo motu pendens; pollex, index, auricularis digitus, velut adglutinati ſibi, verſus palmam manus curvabantur; medio, & anulari, exiguus motus ſupererat. Vix attollebat deprimebatve æger brachium, cuius anterior pars nec flecti, nec extendi poterat. Dextro etiam latere claudus, nonniſi baculo fultus, progrediebatur.

Cum hoc Muſchenbrockianum experimentum, (*commotionem* vocat *Auctor*,) inſtituit, paralyticam manum vaſi alligavit, altera ut ſcintillam eliceret, iuſſit. Non quos hoc experimentum in ſe capientes plerumque experiuntur ſucceſſus, in diverſis corporis partibus, æger ſenſit, ſed unicum eundemque violentem ictum in humero dextro, quem puncturæ inſequebantur. Brachium anterius cum examinaretur, lividum & exſiccatum erat, venis ſubcutaneis varicoſis, atrophia ipſam quoque manum occupante, niſi quod digiti inflati erant. Aegro ſuper picem poſito, & fortiter electrico reddito, pollicem muſculis oſſa brachii anterioris tegentibus admovit Auctor, ſcintillasque vividas, cum motu convulſivo muſculorum unde exibant, & diverſa pugni digitorum agitatione elicuit: ut harum ſcintillarum ope, in manu paralytica motus, quorum alias capax non eſt, orirentur. Nam & excitatis e ſani hominis manu ſcintillis, motus oriri involuntarios Auctor expertus eſt. Sed pungentem dolorem, quocum ex ſana manu exeunt ſcintillæ, æger non percipiebat. Factus autem erat paralyticus Noqueſius anno 1739. ſub fin. Iunii, ex ictu perverſe

ſe applicato, dum vectem ferreum (*barre de fer*) ſub malleo formaret. Poſt primas has operationes, æger d. 27. plus hora integra, calorem in brachio ægro, puncturaſque adeo fortes, ut ſomnum interrumperent, ſenſit. Continuavit igitur Auctor experimenta, ad ſcintillas fortiores excitandas uſus virga ferrea, cuius caput muſculo, ut elicerentur ſcintillæ, admovendum, ſphærica figura præditum erat, 14 vel 15. linearum diametro; in parte vero operationi ſubiicienda, ſuper ignitabulo frictionem fieri curavit. Quibus experimentis continuatis effectum eſt, ut 3. Ianuarii 1748. æger in brachio anteriori & manu, calorem ignis & ſcintillas, ſed debiliter, ſentiret, digitosque aliquos flecteret. Repetitis vicibus color lividus & macies brachii anterioris ceſſerunt; 15. Ian. pro lubitu tertiam pollicis phalangem flexit, 19. eundem extendit, & ab indice removit, eidemque admovit, 24. varios motus manu peregit, 26. phiolam aqua plenam circiter 2 librarum e menſa ſuſtulit, pileum ex capite detraxit, ſed difficilius, ob debilitatem pollicis, & 3 phalanges indicis, tenuit, 28. vitrum plenum ex tabula ſuſtulit, orique admovit: deinde brachio color caroque acceſſerunt, digitos liberius movit, ſellam 8 librarum pondere manu prehendit, & pendulam tenuit, & æquale pondus ex terra ſublatum tenuit; 19 Februarii globum 4. digitor. diametro prehendit, extenſoque carpo proiecit; 20. baculum plus 2 libas pendentem e terra ſuſtulit, poſt pronavit carpum & ſupinavit. In hunc ſtatum deducto ægro Auctor conſuluit, ut manum aeri rarius exponeret, ne refrigeratus ſanguis, & impedita tranſpiratio, deſtruant electricitatis effectus. Duodecim diebus nullis operationibus ſubiectus, tamen adhuc ſalutares experimentorum effectus ſenſit. Hoc in ſtatu erat æger, cum de eo hæc Auctor ſcriberet.

Et hæc nobis utilisſima pars libri videtur. Sequuntur de cauſſis phænomenorum electricitatis coniecturæ, fluido cuidam elaſtico ſuperſtructæ, quas apud auctorem ipſum videant qui hypotheſibus delectantur. Adiecta eſt Dom. *de Sauvages* epiſtola, ſimilia fere, de paralytico alio electricitatis ope curato, narrans.

OB-

OBSERVATIONS SUR LES ROMAINS,

i. e.

OBSERVATIONES DE ROMANIS, AUCTORE Abbate de MABLY.

Genevæ, 1751. ſumtibus ſocietatis librariorum.
P. I. pl. 12½ P. II. pl. 13. in 12.

Annis decem ante, publicavit Auctor meditationes, ad hiſtoriam Romanam & Gallicam pertinentes, inſcriptas: Paralléle des Romains & des François. Vidit deinceps, ab amicis ſubinde monitus, ipſam comparationem non omittere pauca, nonnulla ſæpius repetere coegiſſe. Propterea igitur, utrumque vitium correcturus, duplex elaboravit opus, quorum hic altero donamur, polito quidem & laudabili. Argumentum illius, *Taciti* verbis exponit e L. I. hiſt.: *qualis ſtatus urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo caſus eventusque rerum, ſed ratio etiam cauſaeque noſcantur.* Huius inſtituti tenax, & æmulus, alteram operis partem tribus libris comprehendit, totidem alteram. Agitur autem L. I. de Romanorum ſub regibus imperio, de formatione perfectioneque publicæ rei, de principiis eam corrumpentibus, ac deſtruentibus cauſis. L. II. de rebus Gracchorum, Marii, Syllæ, triumviratu primo, bello Cæſaris civili, triumviratu ſecundo, & Auguſti potentia, qua rem omnem publicam ſubegit. L. III. de variis; nimirum, cur Imperatorum imperium ab alio pendere debeat nullo; de ſuprema poteſtate, quam exercitus adſectarunt, ſumma pariter imperia diſtribuentes, quamque demum amiſerunt; de nova gubernationis forma, quam Diocletianus inſtituit. L. IV. de Romanorum ingenio diſciplinaque militari; de bellis eorum contra populos Italiæ; quibus artibus utilitatem e victoriis ſuis perceperint; quo modo perpetuis bellis ſuffecerint; quantas in ſcientia militari progresſiones fecerint Romani duces. L. V. de Carthagine; de Punicis bellis; de conditione rerum diverſa, poſt bellum Punicum ſecundum; utriusque populi de prudentia

dentia civili; deque ſingularibus ad Antiochum pertinentibus: demum L. VI. de abuſibus potentiæ Romanæ; de avaritia Romanorum deteſtanda; quomodo prærogativas ſecuritatis & magnitudinis amiſerint; de imperii occidentalis occaſu; deque debilitate ac ruinis orientalis imperii. Iungimus nunc loco ſpeciminum, quædam ad antiquitates & hiſtorias Romanas pertinentia. Tribuni, nec indicia magiſtratus externa, neque tribunal habebant; ſedebant humilius ad portam, quo ſenatus habebatur, loci, neque poterant ingredi, niſi conſules advocarent; nihilo minus auctoritate valebant ubi quid plebi nocivum apud ſenatum agi iudicarent. Ut autem horum poteſtatem ſubinde ditiorum dona frangebant: ita populi Romani totius, orientis opes. Quoad enim egenos ipſe vicinos ſubigebat, laude manebat digniſſimus; cum Aſia & Africa acceſſiſſent, utriusque vitia cum divitiis immigrarunt. Auctoritas Auguſti ſuprema, cumulatis omnibus antiquæ reipublicæ muneribus, naſcebatur. Imperator habebat ſummam in bello poteſtatem, iusque triumphi, princeps ſenatus, cum odioſum eſſet dictatoris nomen, & ſæpe conſul, ad nutum ſuum, in re civili dirigebat omnia; cenſor ſibi ſubiecerat mores: ſingulis ſacerdotiis initiatus, in re ſacra nihil non efficiebat: tribunus denique plebis perſonam habebat ſanctam, & haud violandam. Neque vero ſufficiebat ea poteſtas, quam, ut miniſter legum habuiſſet Imperator, obtinere propriam debebat, nec a magiſtratu multiplici pendentem. Inde ſtatuebatur, ut Auguſtus, eo pariter tempore, quo non gereret conſulatum, duodecim lictores haberet; inter duos conſules medius ſederet; ſenatum extra ordinem convocaret; foedus, quibuscum voluerit, faceret; nullis legibus teneretur; & huiusmodi. Tanto magis admiratione dignum eſt, efficere quælibet valentem Auguſtum, ea fuiſſe moderatione, nil ut vellet, præter æquum & iuſtum. At ſuccedebant, quos vividius deſcribit noſter, omnia pervertentes tyranni, ſibique pariter & aliis pernicioſi. Tiberius quippe, propter timiditatem, imperatorum fortunam minus firmabat; Caligula vero, & Claudius, monſtra humana fuere, ſtupida & furibunda. Galba fuit in im-

 perio

perio quod in re publica Sulla. Prior oſtenderat Romanis, quod non amplius eſſe liberi mererentur, contagioſum tyrannidis exemplum promens: poſterior aliis viam aperuit, de ſolio principes deturbandi, & exercitus reddidit audaciores. Otho prodigus, avarus, ambitioſus, audax, criminoſus, per cohortem prætorianam factus eſt Imperator. Sed Veſpaſianus, ſapientia ſua, plurima naſcentia mala ſuffocavit: non effudit ſanguinem, rationes potius domeſticas emendans; ſenatum honoravit, reſuſcitavit leges, in officio continuit exercitus. Delatores Roma deturbavit Titus. Omnia veró corrupit iterum Domitianus. Nerva, Traianus, Antoninus, Marcus Aurelius, perſuaſi fuere, leges eſſe ſupra principem, quibus qui non obediat, imperio ſit indignus. At ſucceſſores in varios iterum errores inciderunt, partim exercitus ſervi, partim imperii diviſores, quod ad finem uſque prioris partis confirmatur. De poſteriore, quæ ſummatim diximus, ſufficiant.

MARTYROLOGII ROMANI, GREGORII XIII. iuſſu editi, Urbani VIII. & Clementis X auctoritate recogniti, nova editio, a Benedicto XIV, Pontifice Maximo, aucta & caſtigata. Iuxta exemplar Romae impreſſum.

Coloniæ Agrippinæ, 1751. In typographia Ioann. Wilhelmi Krakamp, & heredum Chriſtiani Simonis,
3 Alph. 6½ plagg. 4.

In hac editione nonnulla Sanctorum nomina, in præteritis editionibus omiſſa, ſupplentur: alia item Sanctorum & Beatorum nomina ab integro addita adparent. Præmiſſæ ſunt *Benedicti* XIV. P. M. *litterae apoſtolicae, de nova martyrologii Romani editione, ad Ioannem V, Portugalliae & Algarbiorum Regem illuſtrem.* Eas qui perlegerit, de martyrologio Romano, eiusque hac editione nova, genuinam animo informabit notionem. Decerpemus inde potiora, lectoribus noſtris uſui futura. Mandaverat Ioannes V. Rex, Emanueli Pereyra de Sampaio, Commendatori militiæ Domini Ieſu Chriſti,

Chriſti, ut martyrologium iſtud Romæ formis publicis curaret deſcribendum, præeunte viro eccleſiaſtico, & probo, & perito, ac curam moderante. Ea occaſione Pontifex uſus, & gaviſus eſt oblata, e re ratus fore publica, ſi ad opus perficiendum ipſe horis ſubſecivis ſe accingeret. Nec operam illam aliter collocavit, ac propoſiti ratio ſuadebat. Editionem Patavinam adhibuit, ad ſupervacanea reſecanda, & ea quæ in Martyrol. deficerent, ſuperaddenda feſtinans, licet Pontificum trium priorum, qui in hoc clivo ſudarunt, editionibus nihil auctoritatis detraheret. Elogia, quæ ſanctis adduntur, a Cardinalium, ſacris ritibus iudicandis delectorum, *Congregatione* examinabantur, ac probabantur, indiga poſthæc confirmationis, a Summo Pontifice expetendæ. In Martyrologio occurrebant elogia, quæ nimiam involvebant prolixitatem. In hac editione eiusmodi elogia verboſa in breviorem ſermonem contracta ſunt, ita tamen, ut integra ſervata fuerit ſententia. Poſſunt in poſterum quoque nomina ſanctorum inſeri Martyrologio, dummodo id rite & ex ordine regularum, a ſede Pontificia præſcriptarum, fiat. Omiſſa ſunt in nonnullis editionibus Sanctorum recens adprobatorum nomina, eo quod Editores reformidabant acta illius *Congregationis* adire, decreta colligere, iisque ad novam nominum acceſſionem prudenter uti. Sic poſt Clementem VIII. res cecidit, licet, urgente Cardinale Baronio, decreviſſet illa, ut Martyrum aliorum nomina ſimul cum elogiis inſcriberentur Martyrologii Romani impoſterum tabulis. Conſuluit etiam ſummus Pontifex editionem, Venetiis 1745. typis publicis expreſſam. Deſunt ei nomina quædam, poſthæc in album ſanctorum Romæ relata. Addidit igitur Pontifex ad 16. Febr. *Gregorium* X, ad 27. Apr. *beatam Zittam*, ad 10. Maii b. *Nicolaum Albergatum*, ad 24. b. *Ioannem de Prado*, ad 1 Iun. *Sanctum Emeconem Abbatem*, ad 7 Iul. *Benedictum* XI, ad 20 Dec. *Dominicum de Sylos*, ordinis Benedictini Abbatem. Beatorum ſeu *beatificatorum* nomina non ſolent inferri in Sanctorum Martyrologii numerum, ſiquidem decreta *Congregationis* conatui illi repugnant. Romani tamen Pontifices, & ipſe Benedictus XIV. aliquot beatorum Marty-

rum nomina huic Martyrologio intulerunt, ubi de eorum martyrio, miraculis, & cultu, aliquibus ecclesiis ac dioecesibus permisso, constitit fides. Tandem ad *Confessores* sanctos, & virgines, ea dignitas, qua in Martyrologio scripti sunt, processit. Inserti sunt ex integro huic editioni martyres nonnulli, ad 5. Febr. *viginti sex Martyres Iaponenses*, ad 9 Iul. XIX. *Martyres Gorcumenses*, ad 17 Sept. b. *Petrus de Arbucs*, ad 12. Nov. b. *Iosephus Archiepiscopus Polocensis*. Indicavit Summus Pontifex loca operis sui magni de *Servorum Dei beatificatione & beatorum Canonizatione*, quibus de sanctis ac Martyribus fuerit a se ex professo actum. Inter eos, quorum nomina Romano Martyrologio consignanda sunt, praecipuo quodam iure locum sibi vindicant sancti, de quorum canonizatione exstant apostolicae litterae, plumbeo signo munitae. Nonnumquam hic editiones Martyrologii istius deficiunt universae, quae hanc novam praecesserunt. Causa huius rei praesto est gemina: una, quae obscuritatis est filia; altera, quae ex recentioribus canonizationibus quorumdam eruta fuit. Gregorii XIII. aetate multa Paparum decreta in scriniis passim latuerunt, quae postea demum in lucem fuerunt protracta, ad beatorum relationem in Martyrologium pertinentia. In editionibus Martyrologii huius certe Sancti illi haud exhiberi potuere, qui postea demum fuerunt canonizati. Utrique incommodo mederi voluit Pontifex maximus, hac recentissima editione. Ipse sanctorum nomina, de quibus, ut ait, Apostolicae litterae loquuntur, quae latebant ad nostra fere tempora, & quae novissime in canonem sanctorum relata sunt, eruit, ac describi, suoque loco in Martyrologium inseri curavit. Additur eapropter ad 10. Ian. *Sancti Wilhelmi Archiepisc. Bituricensis* nomen, quem Honorius III. a. 1218. Sanctorum Albo adnumeraverat. Prodit ad 19. Ian. *S. Wulstanus, Episcopus Vigorniensis*, a. 1203. ab Innocentio III. fastis sanctorum adscriptus; nec non ad 4 Febr. *Iosephus a Leonissa*, a Benedicto XIV. canonizatus; porro ad 13. Febr. *Catharina de Ricciis*, ab Eodem ad idem fastigium evecta; ad 17. Apr. *Robertus Abbas Casae Dei*, a Clemente VI. censui sancto-

ſanctorum adſcriptus; ad 4. Maii *Godehardus Epiſcopus Hildenesheimenſis*, ab Innocentio II. canonizatus; porro ad 13. Maii *Petrus Regalatus*, a Benedicto XIV. id honoris indeptus; ad 2. Iun. *Nicolaus Peregrinus Tranenſis*, ab Urbano II. evectus; ad 8. Iun. *Wilhelmus Archiep. Eboracenſis*, ab Honorio III. Sanctus declaratus; ad 16. Iun. *Ioannes Franciſcus Rex*, a Clemente XII. inter coelites miſſus; ad Kal. Iul. *Theobaldus Eremita*, ab Alexandro III. ſanctorum coetui adnumeratus; ad 14. Iul. *Camillus* de *Lellis*, a Benedicto XIV. canonizatus; ad 24. Iul. *Franciſcus Solanus*; ad 15. Aug. *Stanislaus Koſtka*, qui Benedicto XIII. dignitatem eam debet; ad 16 Oct. *Berwardus Episcop. Hildesheimenſis*, a Coeleſtino III. in album Sanctorum relatus; ad 27. Nov. *Virgilius Epiſc. Salisburgenſis*, a Benedicto XIII. ad illam dignitatem promotus; ad 17. Dec. *Sturmius Abbas Fuldenſis*, ab Innocentio II. canonizatus. Nomina autem eorum duntaxat modo recens ſuperaddita ſunt, de quorum ſolemni canonizatione nulla ſuboriri poteſt dubitatio; reliquis tantisper omiſſis. Fama per urbem vulgante, nova adſcribi in Martyrologium nomina, multorum ſtudia fuerunt excitata, ut ſcribendis lucubrationibus admoverent manus. Preces additæ, ut quamplurima Sanctorum nomina in novum hunc Codicem congererentur, quamvis de illorum inter ſanctos relatione nullum probatæ fidei ſuppeteret monumentum. Quo argumentorum genere ea attingitur controverſiæ pars, quæ dicitur *de caſu excepto* a decretis Urbani VIII. Petitiones poſtulatorum reiectæ, ob rationes ſat graves. Omiſſa igitur ſunt eorum nomina, quorum cultum *immemorabilem* ſacra rituum *Congregatio* probavit, ne Martyrloogium Romanum, tot auctum nominibus, in maximum excreſcat volumen. Idem iam ſenſiſſe viſus eſt Baronius, in notis manuſcriptis ad novam ætate ſua Martyrologii Romani editionem, quæ nunc perluſtratæ ſunt. Scrutati ſunt, & diligenter verſarunt viri Romæ doctiſſimi, Acta Sanctorum Bollandiana, Mabillonii, alia; rati, in Martyrologium inferenda eſſe nomina ſanctorum omnium, qui veteri more, antequam ſedes Romana cauſas beatificationum & canonizationum ſibi ſoli cognoſcendas & definiendas

reservasset, pro sanctis fuissent habiti. At eorum votis haud respondit decisio, nimirum, tritam & receptam semitam non turbandam esse. Urserunt nonnulli leviores Martyrologii correctiones. Ad 4. Dec. diem voluerunt referri nomen Clementis Alexandrini. Excussit itaque vitam Clementis Pontifex, ut intelligeretur, quo iure is fuerit maneatque extra Sanctorum censum, licet in Martyrologio Usuardi ad 4 Dec. legatur memoria *sancti Clementis*, siquidem nonnihil passim erravit, & merita eius non sunt tanti facienda, ut ideo sanctis adnumeretur. De erroribus enim quibusdam semper manet suspectus. Sunt tamen nomina doctorum in martyrologio Romano, qui æque doctrinas haud ubique dederunt intemeratas. Verum respondet summus Pontifex, hos fuisse lapsos, quum catholica doctrina nondum supremo Apostolicæ sedis iudicio esset definita; at Clementem errasse in doctrinis, ipsius ætate iam definitis. Nomen *Sancti*, olim Christianis commune, inditum Clementi ab Alexandro Episcopo Hierosolymitano, sanctitatem canonizationi congruentem haud complectitur. Unius Usuardi auctoritas non est tanti, ut inde non liceat aliquando recedere. Multa Martyrologia Clementis plane non meminerunt. Ad illius ætatem omnia ipsum ignorant. Usuardus igitur eum primus intexuit. Adonis martyrologium, a Rosweyda descriptum, caret nomine Clementis. Hæc ad controversiam de Clemente. Succedit ei alia de *Severo Sulpitio*, Martini discipulo. Martyrologii correctores sub Gregorio XIII. hoc elogium eius ad 29. Ian. habent: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli Sancti Martini, virtutibus & eruditione conspicui.* Editores eiusdem Martyrologii sub Urbano VIII. illud *discipuli Sancti Martini* prætermiserunt, quod quippe innititur additionibus, a Molano ad Usuardum factis. Sulpitium illum, S. Martini discipulum, erroribus Pelagianorum adhæsisse, & in suis Dialogis errores millenariorum fuisse secutum, constat. Decreto Gelasiano *Galli apocrypha* reiiciuntur, nempe Sulpitii Severi. Gennadius, sæculi V. scriptor, ad Pelagianos eum accessisse, docet. Cum vero Episcopus Bituricensium, Sulpitius, a Martini

Martini discipulo sit diversus, correctio, mandante Urbano VIII. facta, in nova hac editione haud fuit mutata. Sulpitius certe, discipulus Martini, a Gennadio dicitur presbyter, non Episcopus. Correctio hæc in celeberrima congregatione 1628, 27. Ian. caute fuit instituta, ac meditate. In Romano Martyrologio nomen Theodori Episcopi Romani tacetur, licet eius mentio in gemino Martyrologio Florentino occurrat; quia id in veteribus probatisque Martyrologiis haud legebatur. Siricii, Episcopi Romani, antea in Martyrologium Romanum haud relati, causam orarunt egregii eius vindices. Nomen eius in aliis vetustis probatæque fidei martyrologiis legitur. Sanctitati eiusdem adplausit Valentinianus Imperator. Emendavit Siricius clericorum mores, in variis orbis terrarum partibus. Coelibatus legem clericis indixit, ac poenis in violatores constitutis, stabilivit. Hinc etiam sanctitas eius solet colligi. Siricio tribuitur ardentissimum pietatis studium, odium in hæreticos, præcipue vero Manichæos, aliarumque virtutum splendor. Vitio tamen alii ipsi nonnihil verterunt. Abstergit & diluit illa summus Pontifex, quæ memoriam Siricii apud nonnullos obnubilarant, consulens æque Hieronymi famæ, qui in Siricium visus fuit infensior. Oblectat Pontifex lectores, copiosa de Siricio commentatione, quæ recludit multa, ad Hieronymum, Iovianum, Rufinum spectantia, nec non ea, quæ ad Paulinum sunt referenda. Origenistarum errores, Siricio superstite, delituisse, arbitratur: licet Baronio visum fuerit, eos Siricio fuisse perspectos. Hieronymi testimonium Pontificis sententiam confirmat. Laudat Cardinalis Norisii consensum, & Pagii iudicio sese communit. Causa Siricii examinata longe lateque, nomen eius in hoc Martyrologium intulit, pro more in sede Romana consueto. Epistolam & decretum dedit Pontifex a. 1748. 1 Iulii. Succedit in hac editione, ut antea, Cæsaris Baronii *Tractatio de Martyrologio Romano*, qua Martyrologiorum initia & progressus exponuntur, historiæ sanctorum ab hæreticis conscriptæ indicantur ac diiudicantur, de Actis sanctorum Martyrum deperditis commentatio exhibetur, de antiquo Martyrum cultu

cultu differitur, deprimis Martyrologiorum ſcriptoribus, Eu ſebio, Hieronymo, agitur, fides epiſtolis Chromatii, Helio dori, & Hieronymi nomine ſcriptis, adimitur, de antiquo Martyrologio Romano tractatur, itemque de ceteris antiquis Martyrologiis, nec non de pſeudomartyrologiis nonnihil adiungitur. Sequitur illa porro eorum, quæ in Martyrologio Romano ad pronuntiationem Lunæ pertinent, explicatio, paſſim tabulis ſuperſtructa. Subiecta ſunt Martyrologio Romano, Martyrologia Ordinum ſacrorum ſingularia, ac index diligentiſſime elucubratus, ad dies menſium compoſitus. Beatos nos, qui, pro ſincero religionis inſtituto, hac ſanctorum dubia progenie, his martyrologiorum tricis, recte & libenter caremus.

STORIA CRITICA DELLE VITE DEGLI ERESIARCHI del primo ſecolo della Chieſa,

i. e.

HISTORIA CRITICA DE VITIS HÆRESIARcharum ſeculi chriſtiani primi, ſcripta a CAIETANO MARIA TRAVASA, Clerico regulari Teatino.

Venetiis, apud Franciſcum Pitteri. Cum licentia Superiorum, 1 Alph. 15. pl. 1752. 8.

Opus, lucernam olens, diligentiamque haud vulgarem, Auctor Ven. Iacobo, Epiſcopo Bellunenſi & Comiti, conſecravit, viro, qui a. 1699. natus, a. 1739. ex Clericis regularibus ad Ripanam Eccleſiam aſſumptus, & a. 1747. ad Bellunenſem moderandam translatus fuit, olim philoſophicarum diſciplinarum alumnis Ruſſis tradendarum doctori, in Leopolis collegio Pontificio, urbe Ruſſiæ rubræ primaria, ac poſthæc Genuæ theologicis inſtitutionibus præfecto. Noſter autem haud temere ad hæreſiarchas ævi apoſtolici animum calamumque adpulit. In Simonis enim Magi, eiuſque ſimilium compage doctrinarum, itineribus, inſtitutionum modulis, tot adhuc ſuperſunt obſcuriora, ut id ſatis

ſatis ſignificari haud poſſit, licet ſumma ingenia in eis ordine digerendis atque exponendis deſudaverint. Labori utique difficillimo ſe addixit Auctor. Tabulæ enim vix quædam naufragiorum, e voluminibus ſcriptorum ſeculi primi, interitum evaſerunt. Scripta hæreticorum iam ſæculis IV & V. flammis fuerunt tradita Imperatorum iuſſu. Quæ inveniri adhuc potuerunt e prima ac apoſtolica ætate monumenta, litteris mandata, ea gnaviter collecta ſunt a Stephano le Moyne in *Variis ſacris*, in Thomæ Ittigii noſtri *Bibliotheca apoſtolica*, & in Ioannis Bapt. Cotelerii *Bibliotheca Patrum Apoſtolicorum*, cui Ioannes Clericus nonnihil acceſſionum adiecit. An primis eccleſiæ chriſtianæ ſeculis iam floruerint chriſtiani *eruditi*, an omnes imperiti fuerint, dudum fuit quæſitum. Adtigit & expendit hanc quæſtionem Thom. Maria *Mamachius, Originum & Antiquitatum Eccleſiaſticarum* T. II, p. 473, Romæ 1750. evulgato. Niſi multa primorum chriſtianæ diſciplinæ auctorum ſcripta periiſſent, quæſtionem illam illuſtrare minus foret arduum. Pauca ſane teſtimonia e ſeculis primis reſtant de primorum hæreſiarcharum vita & doctrinis. Thomas ergo Ittigius ſatis ſolide iudicavit, *opus accuratum de haereticis, praecipue antiquis, deſiderari.* Promiſerunt eiuſmodi opus Henricus Dodwellus, Iacobus Baſnage, eccleſiaſtes Amſtelodamenſis van der Vald, ac Boninus Italus, irrito eventu. Ioannes Vogt, Thomas Ittigius, Guilielmus Caveus, & Ioannes Laurentius a Moſheim præſtiterunt in hoc ſtadio egregia, nec tamen id penitus decurrere valuerunt. Ex iisdem fontibus Noſter ſitim reſtinxit; in id vero inprimis fuit intentus, ut iungeret ſic momenta narrationis, ne inde rudera, ſed ut potius ædificia iugati ordinis, exiſterent. Quid humeri eius ferre valeant, ex ſcripta ab eo *Vita Arii*, ſatis elucet. Uſu deſtitui ipſius tractationem, nemo contenderit. *Caveus* iam notitiam, de hæreticis parandam, credidit eſſe partem hiſtoriæ eccleſiaſticæ atque antiquitatum eccleſiaſticarum non inutilem. Prædicavit uſum eumdem, immo ſpecialiorem, in virtutis amore & horrore vitiorum poſitum Lucas Holſtenius in *Vita Porphyrii*, hominis iniquiſſimi. Agnovit eumdem Fridericus Strunzius in Præf. ad *Hiſtoriam Bardeſaniſtarum*, Vitebergæ 1710. publicatam. Agnovit eum

iam Theodoretus in *Praefat.* ad *Haereticas fabulas.* Indoli ingenuæ Auctoris id ducendum est laudi, quod nævos, si quos forte in abstrusissimo argumento admiserit, sese emendaturum spondet, innitens exemplis laudatissimis P. D. Huetii, Henrici Norisii Cardinalis, Michaelis le Quien, Iusti Fontanini, Dan. Papebrochii, Lud. Ant. Muratorii, Dominici Georgii, ac aliorum, quos merita ac fama illustrarunt. Ac propterea haud ægre feret eos, qui ea in ipsius scriptis notaturi sunt, quæ obelum merentur. Ubi certa non licuit rescifcere vel exquirere, coniecturis dedit locum, exempla virorum doctissimorum imitatus. Protestantium scripta sedulo versavit. Apocrypha antiquæ mediæque ætatis consuluit. Ex variis quisquiliis aurum, ex apocryphis veritatem, expiscari haud omisit, alienus ab eorum opinione, qui nullam veritatem & eruditionem esse in hæreticis, sibi persuadent, a quorum sententia ipse summus Ecclesiæ Romanæ Præsul Benedictus XIV. dudum discessit. Catalogum præcipuorum auctorum, in opere ipso testium, præmisit Auctor tractationi, nec ab eo exclusit scriptores heterodoxos. Subsistit in anno 1738. ac Francisco Bruys, Gallo, qui eo anno diem obiit supremum. Quam vellemus addidisset editiones librorum, quos ipse adhibuit elaborationi. Huic vero postea postulato succurrit in opere ipso, ad marginem significans, quanam editione usus fuerit. Pro *Arectam* p. 77. legendum est *Anclam*, Ioannis Francisci Buddei in Pomerania citeriori patria. Tractatio Auctoris ipsa complectitur vitam & errores Simonis Magi, Menandri, Cerinthi, & Ebionis, Tomo hoc primo. Simonis Magi historia, cui eius effigies est præmissa, capitibus XX. pertractatur. Patriam eius, natalem, parentes & magistros recenset. Tum vero iter illius, adgregatio ad Christianos, principatus Samariæ per impietatem, Helenæ contubernium, errores, nomen primi huius hæresiarchæ, iter Romam susceptum, honores ibi in eum collati, & statuæ erectio, repugnantia Petri ibidem, discessus inde, reditus & mors misera ex casu præcipitii aerei, scripta, consuetudines ac discipuli, heic veniunt in censum. Patria *Gitton*, vicus Samariæ, tribuitur ab Epiphanio Simoni. Locus, alias ignotus, videtur ex *Mgiddo* factus

ctus. Iustinus Martyr, ipse Samariâ ortus, natalem illum Simonis haud aliter designat. Deflectunt alii ad *Cytion*, Cypri urbem, quos haud sectandos existimat *Travasa*, secutus potius Iustinum, Eusebium, Epiphanium, Anastasium Sinaitam, Tertullianum, Hilarium, Philastrium, aliosque. Iosephus *Ant.* XX, 9, Simonem Iudæum quemdam, *Cittii* in Cypro natum, habet. Ab hoc autem oportet distinguatur Simon Samarita. Magiam uterque sane eorum professus est. Imperante iam Tiberio se adparuisse in filii Dei persona, iactavit Simon, teste Augustino. Inde colligi non potest, ipsum primo Tiberii imperatoris anno, seu Iesu nati 14, natum fuisse. Illud *tempore Tiberii*, quod vulgo apud Augustinum legitur, scriptoribus antiquioribus est incompertum. Annus Simonis natalitius manet proinde incertus. In Clementis *Recognit.* L. II. n. 71. p. 506. parentes Simonis vocantur *Antonius* & *Rachel*. Recognitiones has nemo facile, præter Gothofredum Arnoldum, pro genuinis ac Clementi Romano tribuendis habet. Earum tamen Auctor seculo iam II. vixisse existimandus est. In eis dicitur sic se iactasse Simon: *Mater mea adhuc virgo concepit me*. Hoc eo minus est incredibile, quod de eodem refert Augustinus: *dicebat se esse Christum*. Magistros quibus usus fuerit Simon, ignoramus. Philosophiæ Platonicæ ipsum se initio dedisse, suspicantur multi. Nec tamen illi fuerunt *Magi* dicti, qui philosophiam Platonicam sectabantur. Magi suas fecerant Zoroastris, & sectatorum magiæ Zoroastris, opiniones ac artificia quædam. An Simon græca dedicerit, dubitant nonnulli. Auctor *Recognitionum* id adfirmat, ac Simoni inusitatum iactantiæ studium, atque in magia exercitationem, adscribit. *Recognitiones* illæ, Simonem Magum philosophiæ studia continuasse inter Aegyptios in Alexandriæ Urbe, tradunt. In hac tunc *magiam* fuisse excultam, *artem diabolicam*, contendit Auctor. De *Samaria* urbe ut repetamus quicquam, supervacaneum videtur. Eo rediisse fertur Simon, ingenio ac eloquentia ventosa omnino abundans. Si fata eum in secula recentissima servassent: maior sane adparuisset vel in cathedra vel ad clavum reipublicæ, quam Seculo suo. Ipsum fuisse *veneficum* &

 prae-

praestigiatorem, sæculo IV. iam coeperunt Patres memorare, ignari magiæ, quam philosophi orientales profitebantur. Miracula certe Simon haud edere potuit. Qui potentiam diaboli ipsi adiungunt adiutricem, illi notionem *magi* haud tenent, huic ævo eiusque philosophiæ congruentem. Illos, qui vocantur a Mose *Mchasschim*, Aegyptiorum magos, restitisse Mosi novimus. At ipsos ullum edidisse miraculum, Moses negavit. Ipsi nihil eorum effecerunt, quæ Moses per vim divinam perfecit coram Pharaone. Vertitur hoc loco in genuina verborum Mosis interpretatione omnis cardo. Ægyptii postea voluerunt videri homines ii, quorum maiores miracula ediderint, Mosis haud disparia facinoribus. Ex ea fama, in LXX traducta, & ab aliis interpretibus adoptata, increbuit illa de ingente maiorum Ægyptiorum efficacia, ac de infinita pæne cacodæmonum vi, in prodigiis excitandis exercitatissimorum, ultra omnem ingenii nostri mensuram. Tribuerunt Magi tum Persarum, tum Aegyptiorum, multum principiis duobus contrariis, ac angelis seu adiutoribus atque ministris utriusque partis plerumque adspectabilibus. Morbis ac miseriis crediderunt malos præsidere spiritus, qui a Magis odoribus, verborum barbarorum cantionibus adhibitis, adiurationibus, ligationum cærimoniis, possint arceri vel impediri. Id ipsum Plotinus testatur. Hinc sequitur, Magos fuisse medicos magnifica vanitate, remediis tamen aliis non neglectis, ventis fumisque vendendis adsuetos. Quo ipso videmur intelligere, Simonem Magum in eo fuisse, ut ostentaret gloriose artes edendi miracula, miraculis Iesu æqualia. Ipse sibi persuaserat, thaumaturgiam Iesu & Apostolorm in artibus quibusdam sitam esse, ac emi posse. Ut eam pretio sibi compararet, se interventu suscepti baptismi apostolis adgregavit. Unde planum fit, antea haud fecisse ipsum prodigia, quodammodo miraculis Iesu & apostolorum æqualia. Simonem a Philippo, non Apostolo, sed Diacono, fuisse baptizatum, egregie Noster adversus dissentientes evincit. At num credidit Simon Philippo? Lucas sic memoravit. Stapleton & Becmannus, Theologus Ienensis, verba Lucæ, *tunc Simon & ipse credidit*, inter-

interpretati sunt ad hunc modum: *visus est credere, simulavit fidem.* Refellit Auctor merito hanc sententiam, licet haud neget, Simonis fidem fuisse nec consummatam penitus, nec constantem. Annus, quo baptizatus fuit, varie definitur. Probabiliora sequuntur, qui annum I. C. 34. ponunt. Eusebii chronologia Paulina, quam D. Holmius, Prof. Theol. Hafniensis, denuo edidit ac exposuit, huic sententiae favet. Helenam addit Noster Simoni contubernalem, licet Isaacus de Beausobre eam ipsi subducere conatus fuerit, sed adversatus Irenaeo, Epiphanio, Cyrillo Hierosolymitano, Theodoreto & ipsi Tertulliano; atque *Homilias Clementinas* fabulis plenas potius sectatus, quas fidei Patrum quemquam opponere, videtur omnino iniquum. Solet etiam Ioannes Clericus naevos insulsos haereticorum primorum respuere, eo quod ipsos sibi videri incredibiles fatetur. Utrumque refellit Noster. Beausobrio visum fuit, Selenen, seu Helenam Simonis, sensu mystico fuisse eius animam, symbolico *Lunae* vocabulo adfectam. Nulli Patrum placuit haec interpretationis ratio. Hi potius Helenam sensu plano ac historico describunt. Hoc relicto, omnis historia fluctuatur & incerta est. Errores Simonis noster indicavit hosce, Irenaeum & alios in eo secutus. Simon 1) sibi vindicatum ivit nomina Patris, Filii & Spiritus sancti, quorum munia in diversis exercuerit regionibus; 2) Ab insanis simulacrorum cultoribus voluit per imagines *Iovis* coli, de quo Gothofr. Arnoldus dubitavit, ac factum fuisse negavit. Perhibuit Simon, se esse supremam vim ac virtutem, ac 3) se venisse ex coelo ad liberandos homines, in se ac Helenam suam fiducia plenos. Ipsius vita ac theologia moralis 4) omnibus vitiis nefandis aditum patefecit. Annus, quo Simon nugas suas divulgare coepit, non constitutus est idem ab omnibus: hinc *Travasa* variorum opiniones sub examen revocat, ac iter, a Simone Romam susceptum, adsensu veterum firmare contendit, licet recentiores de anno haud consentiant. Nullum facile scriptorem praetermittit Noster, qui de Simone commentatus fuerit. Romae Simonem professione sua magica multos decepisse, ac honorem ei ideo fuisse

habitum multiplicem, Eusebius ac Theodoretus testantur. Ioannes Clericus, nonnihil huic narrationi obmoliturus, Nostro dignus videtur, qui refellatur. Iustinus *Apol.* I. narrat, Simoni Romæ statuam fuisse positam cum inscriptione, *Simoni Deo sancto*. Legerat eam ipse Iustinus. Huius itaque fidem Noster operose vindicandam sumit. Nec negat, Simonem Petrum venisse Romam, ad illum Simonem Magum refellendum ac prosternendum, ratus, Petrum tunc transtulisse sedem suam Romam ex Antiochia Urbe. De anno variant scriptores. Adventum alii prorsus in dubium vocant. Cathedram eiusque translationem haud una notione excipiunt scriptores. Eos, qui ab Auctore dissident, ipse recenset, & argumentis pervincere laborat. Addit idem, Petro vix adveniente, Romam deseruisse Simonem Magum, Petrum vero paullo post Hierosolymam petiisse. Ad Eusebium *Hist.* Eccl. II. 13, hoc loco confugiunt universi. Discessum Petri in annum 44. reiicit Noster, caussam addens, Claudium tunc Roma pepulisse Iudæos, quorum nomine ea ætate etiam Christiani comprehensi fuerint. Simonem ex Oriente Romam rediisse anno Iesu nati 55, docet. *Recognitiones Clementinae* aliique libri apocryphi, artes magicas, a Simone tunc exercitatas, persequuntur. Has Petrus dicitur anno 65. enervasse. Cyrillus Hierosolymitanus tradit, Simonem prænuntiasse suam in coelum adscensionem, eamque *spectantibus omnibus Romanis*, teste Theodoreto, tentavit perficere. A Petro precibus Simonem iam per aera subvolantem fuisse retractum, aiunt, quibus accedit Noster, Arnobius & Ambrosius. Momenta rei haud eadem ratione narrantur. Relapsus Simon interiit e vestigio iuxta pedes Apostoli. Ariciam corpus Simonis distractum fuisse delatum, vulgo relatum legitur. Volatum ac lapsum Simonis copiose edisserit ac corroborare studet Noster, ad annum 57. feralem eventum referens. Theodoreti fides hoc loco est instar omnium. Ei adiungit Auctor Arnobium, Epiphanium, Tatianum, Ambrosium & Philastrium, aliosque recentiores. Quæritur, qui fieri potuerit, ut Romanorum scriptores prodigiosum illum in aera volatum hominis haud meminerint. Respondet Noster ad quæstionem

ſtionem pro viribus, non negans, Iuſtinum ac Irenæum hoc loco tacere, nec ante Arnobium a quoquam illud prodigium fuiſſe narratum. Tribuuntur Simoni ſcripta *Conſtitut. Apoſtol.* VI. 16, quibus ipſe nomina Ieſu Chriſti ac Apoſtolorum præfixerit. E ſcriptis Simonianis nonnihil repetivit Hieronymus in comment. ad Matth. XXIV. *Volumina* ei adtribuit Hieronymus. Mirum eſt, tacere de ſcriptis Iuſtinum, Irenæum, Epiphanium: ac nonnullis videri Hieronymum per apocrypha deceptum. Manet tamen hiſtorice certum, a Simone conſcriptos fuiſſe libros, licet, an ex eis aliquid ſuperſit, nondum fuerit prorſus definitum. An ad Simonis ac Simoniacorum doctrinam Apoſtoli Ieſu in *Epiſtolis* ita reſpexerint, ut eam iuſſerint vitari, vel refellerint, multis videtur certum, pluribus incertum: ad quos nos quoque accedimus. Quæſtionem Auctor, quippe arduam, extricare recuſavit. Moribus nefandis Simonem fuiſſe inſignem, artem magicam profeſſum eſſe, impuritatibus delectatum, veteres tradunt. Erat enim ſectator philoſophiæ orientalis ſeu magicæ. Ex hoc fonte tamen Auctor eius flagitioſam vitam haud repetivit. Simonianorum adhuc ſæculo IV. exſtitiſſe progeniem, Euſebius tradidit. Origenes eos a. 249, in Palæſtina & alibi ſuperfuiſſe, *contra Celſum* docuit. Errores Simonianorum nemini ſatis innotuiſſe videntur, ſiquidem eorum ſummam nec Auctor nec alii dederunt. Simonis diſcipulus præcipuus fuit Menander Samaritanus, natus in caſtello *Capparazia,* quod Theodoretus adpellat *Cabrai.* Situs loci obſcurus. Irenæo teſte, *& ipſe ad ſummum magiae pervenit.* Obiter de Centuriatoribus Magdeburgicis Auctor diſſerit. Menander ætate Veſpaſianorum videtur errores ſparſiſſe, Simoni conſentaneos, licet ſua dogmata admiſceret. Hermannum ab Elswich Noſter adpellat *Ermanno Abelſuik.* Menander ſe iactavit primæ ac ſupremæ virtutis miniſtrum, & *redemtorem* hominum. Doctrinis ſuis homines baptiſmo initiavit, promittens illis immortalitatem, quos nomine ſuo baptizaverat, ſi Ioanni Clerico accedimus, veteres ſecuto. Cum Simone in eo conſenſit, quod, mundum ab angelis creatum fuiſſe, docuit. Quantum diſtiterint ab invicem Simoniani & Menandriani, non conſtat. Horum nonnulli, Iuſt. Mart. ætate,

te, Menandrum Simone maiorem prædicarunt. Illum in ecclesia christiana suos divulgasse errores, alii negant, alii cum Nostro adfirmant. In Syria itemque Antiochiæ eum fuisse versatum, inficiandum non est. Ibi magicas artes venditavit, illudens multis. Quo anno obierit, non satis liquet. Secta eius sæculo II. intercidit. Nihil scripti restat, a Menandro eiusve discipulis profectum. Cerinthus, æque vocatus Merinthus, *laqueo* scilicet suffocandus, ubi & quando fuerit natus, ignoramus. Sæculo certe primo vixit. An Ioannes Evangelista eum refellerit, in utramque partem disputatur. Cerinthus in Aegypto ad philosophiam incubuit, certe non unius sectæ antiquæ propriam, circa annum Iesu 34, dicitur in Palæstina baptizatus. In Asia sibi sectam collegit. Errores ipsius novimus potissimum ex Irenæo. Ebionem, hæresiarcham quemdam, fuisse omnino, operose satis ostendit Noster, longus in erroribus Ebionitarum explicandis. Diligenter, modeste, ac erudite scriptam esse omnem eius hanc tractationem, publice meritoque prædicamus.

P. F. FORTUNATI A BRIXIA, ORDINIS MIN. Ref. Prov. Brixiae, Animadversiones criticae in Epistolam apologeticam R. P. Udalrici Weis, Benedictini Ursinensis, contra P. Fortunati a Brixia calumnias, aliosque inscriptam, atque Ursinii datam pr. Kal. Febr. 1750.

Brixiæ, Excudebat Ioannes Maria Rizzardi. Superiorum permissu. 1751.
1 Alph. 3. pl. in 4.

Controversiam hanc strictim indicare liceat. Id tamen a nobis alienum erit, ut eam faciamus nostram, vel alterutri parti accedamus. Ediderat R. P. Fortunatus a Brixia a. 1749. dissertationem physico theologicam *de qualitatibus corporum sensibilibus*, ac in ea nonnihil notaverat eorum, quæ Cl. P. Udalricus Weis, Germanus, Benedictinus Monachus Ursinensis, ad venerabile Eucharistiæ sacramentum docuerat, in opere de *emendatione humani intellectus*. Respon-

Respondit ad ea Udalricus Weis a. 1750. *epistola apologetica.* Noluit ad eam respondere Fortunatus. At viris probatissimis, quos ipsum respicere decet, alia fuit mens, aliud consilium, ratis, *Viri catholici* esse, doctrinarum suarum reddere rationem. Fortunatus itaque recudi fecit Weisii epistolam apologeticam, eique suas, minoribus litteris, subiecit animadversiones. Sed ad rem. Duumviri discordant de modo, quo Christi corpus est in Eucharistia. In eo convenit utrique, totum Christum, vere, realiter, ac substantialiter, sub speciebus consecratæ hostiæ contineri. Hoc enim Concilio definitum fuit Tridentino *Sess.* XIII, can. 3. *Hoc autem,* Fortunatus sic disserit, *verum esse nequit, nisi Christi corpus in eucharistia sit vere & realiter praesens, tanto praecise spatio, quantum ante consecrationem ab hostia occupabatur, sive quantum eucharisticae species, sub quibus latet, occupare videntur. Nisi enim,* ita pergit, *Corpus illud sanctissimum esset vere & realiter praesens illi spatio, non esset in Eucharistia vere, realiter, & substantialiter. Nisi vero totum ipsum Corpus esset toti illi spatio praesens, totus Christus, ut est etiam ab eodem Concilio determinatum, sub speciebus eucharisticis non haberetur. Nullum quippe corpus sub velo totum est, nullus liquor totus vase continetur, si qua vel minima illorum pars extra velum atque vas habeatur.* Sic sentit Fortunatus. P. Weis contra monuit, sententiam hanc Fortunati sic esse comparatam, ut id ponat, quod repugnantiam spiret. Docet P. Weis, ex Fortunati opinione id manare incommodi, ut Corpus Christi eucharisticum *sit diminutum in extensione, compressum in latitudine, adeo ut pedes sacerrimi tantumdem a capite distent, quantum inter se scapulae: thorax cum tergo sit compressissimus: totum corpus sit undique fere circulare, & adeo sacratissima membra necessario iam compenetrata, iam laxata & distenta immaniter.* Fortunatus respondet ad hæc per dilemma huiusmodi: Aut potest corpus Christi consecratum totum in spatio, quod ante consecrationem occupabat hostia, re vera esse, aut propter repugnantiam, quam P. Weis produxit, in eo revera esse non potest. Si non potest, sequitur, realem Christi præsentiam in hoc sacramento eucharistico nequaquam dari, & dogma concilii Tri-

dentini esse repudiandum. At illam consecutionem non esse homini R. Catholico aptam. Ergo Fortunati sententiam nil habere, quod refellendum sit. Sic Fortunatus suas putavit rationes. Miris subtilitatibus sese excruciant duumviri disceptantes, miris definitionibus, universalium notionum indiciis, miris distinctionibus. Extensionem *entitativam a locali* disiungunt. Nunc ratiocinantur: nunc obedientiam mysteriis addicunt. Academia coelestis litem illorum tandem indubie dissolvet, si ultra verborum Christi summam argumenta malint modulosque exquirere.

DISQUISITIO HISTORICA DE D. MARTINI Lutheri oris & vultus habitu heroico, ad vivum expresso in imagine divini penicilli LUCAE CRANACHI, patris, in aere hic incisa, aedi OO. DD. Witteberg. ab Auctore sacrata, ad defendendam formosi corporis dignitatem, contra effigies ineptas, reliqua. Commentatio item auctior de Witteberga Saxonum, speciatim de aedis quondam collegiatae omnium divum, der Stiffts-Kirche aller lieben Gottes Heiligen, *puriorum, quotquot usquam sunt aedium, uni soli Christo dedicatarum, Academiæque matris; origine & incrementis: de salubritate denique aeris Witteberg. publice propositae a GEORG. GUIL. KIRCHMAIERO, Consiliario Regio & Professore P.*

Vitebergæ, 1750. apud Io. Ioach. Ahlfeldium, cum imagine d. Lutheri, aliisque figuris, in aere incisis.
1 Alph. 12. plag. 4.

Variæ, variis in locis, imagines magni nostri Lutheri, divini herois, etiam capitalium eius hostium fraude confictæ, prodierunt, ex quibus diversum ingenium, diversamque morum formam, pro suo cuiusvis studio, coniecerunt homines. Itaque Auctor celeberrimus, cum haberet imaginis alicuius, ab animali exemplo, per Cranachium, patrem, in tabulam translatæ, copiam, committendum haud putavit, ut soli sibi eam servaret; sed non ædi tantum, omnibus divis quondam consecratæ, dicavit A. 1740.; verum gra-

graphices etiam ingenio a Bernigerotho nostro accurate in æs incisam, variisque observationibus illustratam, communicare cum omnibus voluit. Qui norunt, quam raræ, non Vitebergæ modo, sed aliis etiam in locis, atque in ipsis summorum Principum museis, inventæ adhuc sint imagines veræ Lutheri, haud dubie, a Sene venerabili, magno se beneficio affectos putabunt. Atque huius imaginis contemplatio maximam ferme, primamque libri partem efficit, cui quid præterea accesserit, ex titulo constare satis potest. Iam cum commentatio illa laude potissimum Lutheri, eiusque amici, Cranachii patris, consumatur, nemo facile aliquam eius epitomen hic desiderabit: nonnulla tamen, unde fiat iudicium ad reliqua, breviter sunt a nobis attingenda. Cranachii nomen gentilitium, non, ut vulgo putant, Mulleri, sed Sanderi fuisse; a Cranachio autem, quod est oppidum in agro Bambergensi, eum post commutationem sacrorum appellatum esse Cranachium, docet. Idem pictor ingeniosissimus, triplici potissimum habitu Martinum induisse dicitur: primum Augustiniani sacerdotis; deinde militis; denique mortui, albo indusio, in capulo iacentis. Insigni usus est nigro anguiculo, cum nigris, in medio, vespertilionis duabus alis expansis, coronaque rubra in capite, denique in ore, cum annulo aureo, eiusque pala rubinum continente; ut ex tabula nobilitatis, ipsi a Friderico Saxone, quem sapientem vulgo usurpant, A. 1708. concessæ, in primis ostenditur. Atque hoc, in tanta sententiarum diversitate, eo magis fuit necessarium, quo plures passim ostentantur picturæ Cranachii, alio insigni velut munitæ. Privati tamen inventi signis usus etiam interdum est, ut nominis initio CL, LC, vel clypeis duobus, cum ruta & ensibus Saxonicis. Fallacissimo infirmissimoque inniti demonstrandi fundamento, qui ex numismatibus, cusis maximam partem rudi Minerva, de ore Lutheri, veroque vultu iudicent, tanto quidem rectius monere nobis videtur; quanto minus ipsa inter se similitudinis habent. Atque hinc eum iure suo postulare arbitramur, ut, qui de moribus & natura alicuius, ex numis, iudicare instituant, præter oculos, frontem, nasum, & os, lineamenta quoque, quorum natura nihil frustra fece-

 rit,

rit, intueantur; quod ipſum vero, quam ſit in coloribus facilius, quam numis, per ſe apparet. Ipſius vero rei periculum haud infeliciter hic fieri in imagine Lutheri videmus; vocatis etiam ipſis adverſariis in eius teſtimonium. In quibus cum Cochlæus etiam compareat, doctrinam herois noſtri, eiusque amicorum, immenſum, quantum laudibus ornans, atque Quirinus, Cardinalis nuper Ampliſſimus, provocetur, ut ſuæ religionis duces, inter triarios, in aciem, pro Martino, eductos, refutet: id litis cuiusdam, inter utrumque, ſemina ſparſiſſe conſtat, cuius commemorandæ, alio tempore, locus erit. Occaſione, ab interpretatione Germanica librorum noſtrorum ſacrorum, ſumta, male Heumannum, V. S. R. verba 1 Petr. II. 10. e Græco vertiſſe, atque ad Chriſtum eiusque miracula tranſtuliſſe, quæ de magiſtratibus agerent, obſervat. Cuius rei rationes in eo ponit, quod ille nomen *κυριότητος* interpretatus eſt ita, acſi ſcriptum reperiſſet *κυρίου*; *δόξας* autem per *excellentiam miraculorum*; & verbum *τρέμουσι, non verentur*, multo quidem lenius, quam vis eius patiatur. Quam interpretationem nec in antecedentibus, nec conſequentibus contextus, nec univerſa lingua Græca, nec ullius conſenſu critici, adeoque nuſquam, fundatam eſſe pronuntiat. Sed ipſum Ven. Heumannum eam, re diligentius expenſa, curis ſecundis emendaſſe, altera docet interpretationis eius editio. Velllemus vero, alter etiam locus, Col. II. 9. quem carpit Kirchmaierus, in eadem, ad Lutheranam perſpicuitatem, conformatus eſſet. Hieronymum Emſerum, turpisſimo plagii crimine, *σκελετῷ* ſuo omnem ſuccum ſanguinemque ex Lutheri interpretatione ita maxime compilaſſe, ait, ut ipſe, perinde, atque Io. Dietenbergerus, & Thomas Caietanus, Ebræarum Graiarumque litterarum fuiſſet ignarisſimus. Quo tempore Lutherus veſtitum, ſodalitati Auguſtinianæ familiarem, depoſuerit, ex *Schelhorni* amoenitat. T. IV. p. 416. demonſtratur, idque d. IX. Oct. 1528. factum eſſe, oſtenditur. Unde dubio, cur pictor nigrum induerit ei habitum, quum imaginem anno ante conficeret, ita occurritur, ut multis gravibusque de cauſis anticipaſſe, menſium paucorum ſpatio, dicatur nigri coloris veſtem

ſacerdo-

facerdotalem, quæ ex panno, fibi, fine ullo dubio, a Pr. El. non heri aut nudius tertius, fed dudum ad hoc donato, pro lubitu conficienda erat. Sed hæc, ex prima, de imagine Lutheri, difquifitione, excerpfiffe fufficiat: alteram, quæ eft *de Witteberga Saxonum*, quod ad nomen originemque, atque ædem omnium divum, eiusque conditorem verum, rel. tanquam prelo femel iterumque fubiectam, hic nihil moramur. Sed quam phyficam tractationem V. C. pollicitus eft, cuiusque tamquam guftum ea differtatione, quæ eft de Salubritate aëris Wittebergenfis, dedit, eam fi hominibus cum eruditis communicabit, magnam ab iis gratiam, fine dubio, inibit. Neque minus difputationem mathematicam, *de Witteberga munienda*, tacitam relinquimus, fatis quippe viris doctis iam notam. Oratio, in facro Seculari Auguftanæ confesfionis A. 1730, in templo arcis recitata, nunc auctior prodit, qua exponitur *de aede OO. DD. academiae alumna, ac matre reliquorum, quotquot ufquam fint, delubrorum, fanctiffimae, eidemque a fordibus quifquiliifque fuperftitionum pontificiarum purgatae, Chrifti difciplinae confecratorum.* Vetus eft, atque firmis defixum radicibus, animis infidens, Wittebergæ crimen, infalubre coelum ibi effe, civiumque, aliis ex locis adventantium, valetudinem illo lædi. Quod nofter *oratione phyfico-medica*, A. 1748. in celebritate renuntiandorum magiftrorum philofophiæ, folemniter habita, diluere ftudet. Rationes autem ex interioribus artis medendi, & naturalis fcientiæ recesfibus erutas, magnam partem auctorem habere, ipfe profitetur, medicum, cum viveret, magni nominis, nec unquam in lucem editas, fuo tamen per omnia orationis genere conveftitas. Sequitur *Programma hiftoricum, de admiranda academiae Wittebergenfis origine & progreffione*, philofophiæ atque artis poeticæ Candidatos A. 1715. rite invitans. Quod excipit commentatio de *d. Mart. Lutheri ingenio, ad miraculum docili, divinitufque, extra ordinem, collufrato, in perdifcendis cito linguis neceffariis, nominatim Graeca. Porro eiusdem eloquentia divina, in vulgus ignota, divum prope fuperantis Paulum, memoria carptim repraefentatur:* atque ad extremum, *de falubritate aeris Wittebergenfis*, iterum agitur.

 TRA-

TRACTATUS DE MENTE HUMANA, IDIOmate germanico sub titulo ao. 1756. editus: Versuch über die Folge der Veränderungen in der menschlichen Seele, worinnen der Weg zu einer genauen Kenntniß derselben gebahnet wird. *Auctore IOHANNE IACOBO HENTSCHIO.*

Lipsiæ, apud Breitkopf. 1756. 10. plag. in 8.

Eo maiorem opusculum hoc, quod mentis humanæ operationes indivulso nexu inter se cohærentes attingit, meretur attentionem, quo pauciores in tanta librorum turba scriptores invenias, quibus Methodum Geometrarum antiquiorum, tam felici successu ad Philosophiam speculativam accommodare contigit. Si Cartesium de Passionibus animæ, Lockium de intellectu humano, Leibnitium, Wolffium, aliosque recentiores, qui Pneumatologiam ad maiorem perfectionis gradum evehere studuerunt, exceperis; plures in concinnandis systematibus non tam ad res ipsas, quam potius ad varias denominandi rationes, ingeniique lusus, attendisse videntur. Hinc effectum est, ut perquam multa Philosophiæ speculativæ volumina, etsi terminorum colluvie sint referta, parum tamen ad amplificandam hanc scientiam conducant. Mirum sane est, tam paucos inter tot egregios recentioris ævi Geometras inventos esse, qui hanc Physicæ partem de mente humana, præstantissimam sane & utilissimam, data opera discutere anniterentur. Forte, si coniecturam facere licet, suscipere hoc opus, ex defectu principiorum indubitatorum, de quo queri solent, noluerunt, amoenitatibus mathematicis, & demonstrandi rigore capti. Quæcunque demum fuerit causa, operæ sane pretium esse existimamus, *quid nosmet ipsi simus*, exquirere, si vel maxime ad tantam certitudinem, de qua iure gloriantur Geometræ, pervenire nobis non liceat.

Cl. *Hentschius*, qui publicata Philosophia mathematica, ex Euclide restituta, cuius A. 1753. Cal. Novembr. mentionem in his Actis fecimus, iamiam innotuit, hoc in Tentamine, quod dictæ Philosophiæ mathematicæ superstructum est, empiri-

piricam de mente humana partem amplificare, eamque variis obſervationibus & concluſionibus ex iisdem deductis adaugere adgreſſus eſt; id quod ex iis, quæ breviter enarrabimus, luculentius fiet.

Diviſus eſt tractatus in duas partes, quarum una ad intellectum, altera ad voluntatem refertur. Singularia, quæ parte priore continentur, eo fere redeunt. Agnoſcit Cl. Auctor cap. I. τὸ conſcium eſſe, quod cum cogitationibus noſtris copulatum deprehendimus, tanquam notionem primam, in nullas alias ſimpliciores reſolubilem; unde definitione, quippe quæ ideam compoſitam reſolvit in ſimpliciores, poſſe explicari negat. Cap. II. ſenſationum leges diſcutiuntur, quæ cum mediantibus nervis, per totum corpus ſparſis, contingunt, ab Auctore tanquam imagines omnimodis differentiis diſtinctæ, (germanice *beſtimmte Abdrücke* commode dictæ,) ſiſtuntur. Quas quidem, cum fere momento temporis per abſtractionem reſolvimus; ſequentia ex hac ſenſationum reſolutione formantur conſectaria. 1) Reſolutionem ſenſationum peculiarem requirere vim; 2) Hanc vim, cum nec organis ſenſoriis corporis, nec nervis, nec cerebro tribui poſſit, (ſunt enim ea, quæ in dictis corporis partibus contingunt, limitibus circumſcripta & definita,) menti, quippe quæ cogitando ſeſe exſerit, competere; 3) Mentem humanam non ſolum aptam natam eſſe, ad recipiendas quascunque ſenſationes, ſeu quod idem, eam non eſſe mere pasſivam, ſed potius activam. Gaudet enim vi, ſenſationes quascunque reſolvendi. Cap. III. leges imaginandi traduntur. Convenit imaginatio cum ſenſatione, quam ſupponit in eo, quod utraque rem ſiſtit omnimodis differentiis diſtinctam. Præter regulam imaginationis æternam, eamque notisſimam, quæ ſic exprimitur: Si pars ſenſationis, quam ante habuimus, nobis occurrit, totam ſenſationem nobis obverſari: ſequentes adduntur imaginandi leges. 1. Nobis ineſſe facultatem, rem quamvis nobis oblatam ex arbitrio noſtro augendi & minuendi, ex quo deducitur infinite magnum & infinite parvum, quod mathematice & metaphyſice conſideratur, utriuſque differentia luculenter demonſtrata. 2) Nobis ineſſe facul-

facultatem, res, quæ extra nos non ſunt, imaginandi; ex quo fluunt ſequentia: α) augmentum & decrementum rerum ſenſibus perceptarum, & imaginationem eorum, quæ extra nos non ſunt, peculiarem requirere vim. β) Vim, res ſenſibus perceptas augendi & minuendi, nec non ſibi ea imaginandi, quæ extra nos non ſunt, neque organis ſenſoriis, neque nervis, neque cerebro tribui poſſe, eo, quod in dictis corporis partibus omnia limitibus ſuis ſunt circumſcripta. Ex quo concluditur γ) Mentem humanam, cogitatione præditam, habere vim, res perceptas ex arbitrio augendi & minuendi, nec non ea ſibi imaginandi, quæ extra nos non ſunt.

Succedunt diſquiſitiones de *memoria, reflexione, attentione, ratione*, & *ingenio*, quibus peractis, pars prior finitur. In poſteriori parte, excuſſis voluntatis humanæ paſſionibus, iisque in ordinem redactis, Cl. *Hentſchius* inveſtigat influxum intellectus in voluntatem atque libertatem humanam, quam non ſolum ad voluntatem, uti communis opinio ſecum fert, ſed etiam ad intellectum pertinere demonſtrat. Ex his omnibus tandem concluditur: mentem humanam ob libertatem intellectui & voluntati inhærentem, non eſſe machinam.

NOVA LITTERARIA.

Venit ad nos Proſpectus Operis, *cui titulus*: Codex Diplomaticus Regni Poloniæ & magni Ducatus Lithuaniæ, *ſive Informatio, de monumentis quae in hoc opere continebuntur, ac de Diſtributione eiusdem. Scriptus eſt ad Praeſtantiſſimos Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithuaniae Cives, a* Matthia Dogiel, *Scholar. piar. qui & Auctor operis futurus eſt. Praeclarum, Viri doctiſſimi, conſilium, operamque Poloniae ſuae perquam honorificam, non aliter magis commendaverimus hominibus doctis, quam ſi, quae ipſe de libro pollicetur, adſcripſerimus. Ita vero habent:*

Cum ad ſingularem aliarum gentium, in congerendis divulgandisque patriæ ſuæ monumentis, curam ſtudiumque expenderem, revolveremque ingentes illos editorum Germaniæ,

niæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, diplomatum apparatus, ſæpe mecum cogitavi quid cauſæ fuerit, quamobrem rerum Polonicarum Scriptores, iique viri ſolertes & rerum publicarum uſu atque exercitatione præditi, non antiquiora tantum, ſed ſui etiam temporis monumenta nobis inquirenda reliquerint. Quid enim illi aut argumenti præſtantia dignius, aut ad communem utilitatem accommodatius, aut quod rationibus reipublicæ magis conduceret, agere potuiſſent, quam ſi tabulas publicas, rerumque geſtarum monumenta, e tumulis ſuis eruta, ac in unum congeſta, in lucem emiſiſſent, ex quibus, & rei patriæ notitia, fuco atque figmentis libera, comparari, & maieſtas illa Poloniæ, cui olim ingens cum univerſi prope orbis imperiis, regnis, populis, nationibus, uſus, ſocietas, conſuetudo, atque commercium, ab exteris, quibus pleraque horum incognita ſunt, merito ſuſpici poſſet. Neque video, quo telo acrius expeditiusque iniquorum Poloniæ ſcriptorum opiniones & ſententiæ labefactari poſſent. His enim documentorum ponderibus re examinata, facile eſſet oſtendere, egregios illos Chronographos, partium ſtudio abreptos, fidem inter poſtremas curas habuiſſe, fines imperii quantum libuit extendiſſe, gentibus, quæ nunquam ſervierant, tributa impoſuiſſe, atque in odium finitimorum, lepidiſſimarum fabularum ſeriem texuiſſe. Hæc nobis, cum eo tempore in Galliis eſſemus, ita cogitantibus, ingens conquirendorum undequaque patriæ monumentorum inceſſit ſtudium, reique a nemine adhuc tentatæ dare operam, apud animum conſtituimus. Favit inſtituto noſtro loci opportunitas, neque enim in tanta præſtantiſſimorum, atque alta quadam mente præditorum virorum frequentia, aut patrocinio carere, aut ſubſidiis potuimus. Itaque archiva ſtudioſe revolvimus, forulos bibliothecarum excuſſimus, libros editos, in quibus hac de re tractari novimus, perluſtravimus, resque hinc inde diſperſas in collectanea noſtra retulimus. Idem, cum in Germania, idem cum alibi verſaremur, egimus. Non contemnenda hæc noſtra nobis primo videbatur collectio; ſed brevi aliter ſenſimus, totamque rerum ſeriem, præterquam

quod ex archivis publicis profectum erat, nauci habere coepimus. Cum enim perficiendæ huius lucubrationis caufa, ad revolvenda Cancellariæ regni, & magni ducatus Lithuaniæ acta (metricas vocant,) acceffiffem, atque transactionum exemplaria ex libris editis defcripta, cum copiis authenticis conferrem, omnia plane infinitis fcatere mendis deprehendi, pleraque vero fic vitiata & corrupta, ut diverfa omnino a fuis authenticis effe viderentur. Huius rei ut exemplum aliquod adferamus, (nam fingula recenfere longum effet) in literis, quæ breviusculæ funt, & inventu faciles, incorporationis ducatus Curlandiæ cum regno, Anno 1569. factæ, in corpore diplomatico Dumont. Tom. 5. p. 1. fol. 169. contentis, quindenos errores, eofque non leves, offendimus. Ut enim copiæ quædam inftrumentorum regni Poloniæ ab ineptis librariolis collectæ, & in Germaniam delatæ, ita deinceps cum aliis communicatæ, typisque impreffæ funt. Hæc nobis cauffa fuit, quamobrem fcripta illa, quorum nullum in archivis publicis, unde emendari poffent, exemplar deprehendimus, ftudio in fupplementum reiecerimus, atque ad comparandam codici noftro publicam auctoritatem, fummum operæ pretium exiftimaverimus, nihil iam in eum referre, quod aut ex originalibus, aut ex copiis authenticis, quæ in privatorum tabulariis extarent, congeftum non effet. Ne vero exilis iciunaque hoc modo noftra redderetur lucubratio, in id omnes nervos induftriæ noftræ contendimus, ne quid in actis cancellariarum intactum relinqueremus, quod quidem, multis difficultatibus conflictati, præftitimus. Ex illa igitur immenfa fcriptorum omnis ævi, maximam partem ad caufas privatas accommodatorum, multitudine, quæ noftri erant inftituti, fumma cum fide delegimus. Equidem quantum elaboravimus, quam gravi opere perfuncti fuimus, illi probe fciunt, quibus rationes metricarum harum ignotæ non funt. Hoc nobis noftrum inftitutum ita profequentibus accidit, ut vix dum collectioni illi fummam manum impofuiffemus, cum tota, quanta quanta fuit, fubito difperierit. Suborto enim Varfaviæ Anno 1754. nocte intempefta, incendio, domus in qua

qua paulo ante versabamur, una cum collectaneis nostris, flamma absumta est. Grave certe erat, thesaurum, illum ex tot optimarum rerum copiis conflatum, tam raris opibus instructum, tot laboribus & impensis comparatum, tam facile, tam repente, amittere. Piguit quidem laboris, non tamen destitimus incoepto, revocatamque a calce, ut aiunt, operam, eadem, qua prius, animi viriumque contentione, iterum egimus. Cumque beneficio celsissimi principis, supremi cancellarii magni ducatus Lithuaniæ, nec non illustrissimi comitis, procancellarii regni, liberior iam nobis actorum regni, & magni ducatus Lithuaniæ copia fieret, rem feliciter ad exitum perduximus. Iam quod ad multiplicia tabularia illustrissimi Dni. *Iosephi* comitis *Zaluski*, referendarii regni, attinet, penum illam insignium patriæ monumentorum, nullo plane negotio lustravimus. Cum enim propositum nostrum tanto viro non potuit non probari, comem ille se nobis, & facilem, ultra quam dici potest, præstitit. Ex ipsius igitur promtuariis, in quibus ingens anecdotorum numerus, quæ in rem videbantur, decerpta accepimus. Grati æque animi testificationem debemus illustrissimo domino, comiti *Debowski*, Episcopo Cuiaviensi, viro summo atque incomparabili; qui cum in publicis patriæ gerendis negotiis consenuerit, non solum multas momenti maximi, ad evincendam, quæ iuris Poloni sunt, ex Archivis Hispaniæ, Austriæ, regnique Neapolitani, literas conquisivit, verum etiam quotidie, (quæ hodieque exactæ iam ipsius ætatis oblectamenta sunt) res actas in adversaria referendo, admirandos negotiorum reipublicæ codices, (protocolla vocant) ipse sua manu confecit, atque has omnes opes mecum liberaliter communicavit. Ex quibus quanta collectioni nostræ documentorum, quæ alibi frustra quærerentur, ad negotium summarum Neapolitanarum pertinentium accessio facta est, suis locis notamus. Refertissima antiquiorum æque ac recentiorum diplomatum illa series, a perfectione quidem proxime abesse videbatur, multa tamen desiderabantur, & quod nos maxime anxios solicitosque habuit, supplendi ea, quæ deerant, præterquam ex archivo

Cracovienſi, nullus omnino erat modus. In difficilem ſane nodum incideramus, nec quidquam iam tot difficultatibus implicatum, & quod Herculis, ut aiunt, labor diceretur, tentari potuit. Aditus quippe ad archivum illud non iam arduus, perdifficilis, & qui magna cuſtodia teneatur, ſed omnino interclufus eſt. Namque omnes tabulæ authenticæ, omnia inſtrumenta originalia, aliaque ſcripta momenti maximi, in arce Cracovienſi, ſimul cum theſauro regni recondita, ſub ſigillo & clavibus ſupremi theſaurarii regni, & ſeptem ſenatorum, aſſervantur: legeque cautum eſt, ne locus ille, niſi ſcitu ordinum regni, recludi & adiri poſſit. Arcta hac monumentorum regni, quorum nuſquam extant copiæ, cuſtodia, id demum effectum fuit, ut pleraque foedera cum exteris icta ignorarentur. Ita enim in literis pactorum inter Sigiſmundum I. & Pomeraniæ atque Megapolenſes duces, Anno 1525. initorum legimus: Ut cum illuſtribus principibus &c. foedus, ſocietatem, & amicitiam ineamus, quam noſtros maiores, etiam cum maioribus eorum tenuiſſe, & ſervaſſe, literæ ultro citroque deſuper confectæ, ac in ſcriniis repertæ, teſtantur &c. Extant in archivo regni literæ originales Ferdinandi II. Imperatoris, ad Uladislaum IV. regem Poloniæ, Anno 1633. in eo ſolum negotio ſcriptæ, ut compacta ex parte regum, & regni Poloniæ, cum domo Auſtriæ inita, typis imprimi mandaret, quo melius ſubditis conſtare poſſent leges, quibus invicem obligati tenentur. Nos quidem vehemens deſiderium, quo bene merendi de patria tenebamur, impulit, ut rei non modo arduæ, ſed etiam, ut videbatur, impoſſibilis periculum faceremus, ſpe ducti, Deum O. M. bonis conatibus non defuturum. Neque vana fuit hæc noſtra fiducia. Namque patrocinium huius operis a celſiſſimo magni ducatus Lithuaniæ ſupremo cancellario, quod immortale optimi principis monumentorum futurum eſt, ſuſceptum erat, cuius ingens graviſſimaque auctoritatis vis in republica eſt. Illius igitur numine effectum fuit, ut cum ſenatus conſilium Frauſtadii Anno 1755. ageretur, apertio archivi Cracovienſis decreta fuerit, noſque propitiam nobis ſacram regiam maieſtatem, domi-

dominum noſtrum clementiſſimum, univerſumque ſenatum habuerimus. Quo nomine etiam illuſtriſſimis & excellentiſſimis dominis, theſaurario ſupremo, atque (rem in diſſertatione ipſi operi præfigenda clarius fuſiusque narrabimus) procancellario regni, maximam, quam animus capere poteſt, obligationem perinde profiteor. In illo igitur celeberrimo antiquitatis domicilio, ac rerum reconditiſſimarum admirando theſauro, qua accuratione, & fide, veterum iuxta atque recentiorum inſtrumentorum exemplaria confecimus, quave ratione multa inſignia patriæ monumenta ab interitu vindicavimus, luculentiſſimum nobis ea de re a D. D. commiſſariis, auctoritate publica ad id delegatis, in quorum præſentia elaboravimus, teſtimonium datum eſt. Sane quam pro eo, ac debuimus, ſollicite, perattenteque id penſi peregimus, fideliorque opera ne voto quidem fingi poterat. Namque illa etiam, quæ in actis cancellariarum, oſcitantia notariorum, multis in locis, dum ea cum originalibus conferremus, vitiata deprehendimus, correcta hic inſtaurataque damus. Prodit itaque in publicum codex diplomaticus regni Poloniæ, omnis ævi diplomatum, pactorum, tractatuum, conventionum, fæderum, aliarumque huius generis transactionum, refertiſſimus: quo in genere haud video quicquam, a ſcriptoribus vicinarum gentium, quod huic operi diligentia, & auſim dicere, fide comparari poſſit, divulgatum unquam fuiſſe. Quid enim inter hanc noſtram collectionem, & illorum coagmentationem interſit, æquis rerum æſtimatoribus pronum erit advertere. Nos enim auſpiciis S. R. Maieſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, auctoritate ampliſſimi ſenatus, celſiſſimorum, illuſtriſſimorumque regni, & magni ducatus Lithuaniæ cancellariorum approbatione, ex archivis publicis non ſolum ea congeſſimus, quorum ſingula auctoritatis publicæ ſunt, verum etiam in iis ipſis ſecernendis, ad rerum momenta magis, quam molem attenti, ſingularem rerum delectum inſtituimus, atque ut nonnulla conſulto in ſupplementum retruſimus, ita a plerisque, quæ leviora videbantur, prorſus temperavimus. Illi dum in hoc ſe conterunt, ut immanem, ſequioris ævi

 maxi-

maxime, diplomatum copiam aggerant, nunquam dicunt, unde ſua hauſerunt apographa, niſi plerique forte eos citent, e quibus res huiusmodi conſarcinatas acceperint. Quo effectum eſt, ut magnam literarum turbam civitate donarint, cuius potior pars, ſi rationum calculi bene ſubducti eſſent, exilio mulctanda erat. Sed de his cumulatius in ipſa præfatione agetur. Iam utilitatem neceſſitatemque operis non eſt cur multis explicemus. Ineruditus enim admodum, rudiſque ſit oportet, qui hæc ignorat. Sane cum ad conſilium de republica dandum caput eſt, noſſe rempublicam, exiguam illi rei patriæ habent notitiam, qui eam e monumentis publicis non compararunt. Neque vero huius argumenti, hiſtorici fidi interpretes ſunt. Quis enim ſcriptorum legibus hiſtoriæ unquam obtemperavit, ne, qui eam ſcribit, quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit, ne qua ſimultatis. Nam ut antiquiora omittamus, in quibus illi præter auditum nihil habuerunt, commune id omnium pæne hiſtoricorum vitium eſt, ut occultis odiis, quæ gentibus finitimis inſita penitus ſunt, exſtimulati genio indulgeant, res patriæ quam maxime poſſunt, figmentis etiam exornent, in illorum nomine, ex quibus ea corrogant, quæ ad argumentum conducunt ſuum, facile conquieſcant, tum ſi quid opinione forte per ſe ipſos invenerint, mordicus tueantur. Sed demus, pleroſque eorum (ſi quidem ita mens ſana fuiſſet) a partium ſtudio omnino liberos fuiſſe, cum tamen non e monumentorum fide, ſed e commentariis, atque hypomnematis, ut tum erant tempora, ex variorum lectione congeſtis, Annales ſuos confecerint. Verum enim vero quis tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offenderet, nuſquam incurreret? Livium quoque, celeberrimum hiſtoriæ conditorem, quod monumenta Romanæ gentis fortaſſe minus perſpecta cognitaque habuerit, plures narrationi ſuæ falſi maculas adſperſiſſe, iam in hac literarum luce videre eſt. Sic noſter Cromerus aliter certe de rebus Ruſſiæ ſcripſiſſet, ſi veteres Ruſſorum tabulas exploratas habuiſſet. Cum vero ſtudium rei diplomaticæ ad illuſtrandam hiſtoriam, resque patriæ

patriæ geſtas tantopere conferat, tum in iis, quæ ad negotia regni publica, atque uſum rerum faciunt, præcipua illius neceſſitas eſt. Qui enim multiplices conventiones, pacta, ſtipulationes, atque foedera cum exteris icta, ignorat, minimeque compertum habet, quæ inter rem publicam, aliaque regna & dominia intercedit neceſſitudo, quid cui a quoquam præſtari neceſſe ſit, qui modus adminiſtrandæ utrinque iuſtitiæ, quæ rerum converſiones, earumque cauſæ, conſilia, exitus, quæ rationes finium, acceſſionesque regni, & diminutiones, cætera: ille iuris publici patrii omnino ignarus eſt, neque intelligi poteſt, qua ratione non iam miniſtri, non ſenatoris, non officialis regni, vel magni ducatus Lithuaniæ, ſed ne privati quidem patriæ civis, cui in ſententia locus eſt, officio probe defungi poteſt. Supereſt, ut de methodi ac diſtributionis modo, quem in hac collectione ſervavimus, aliquid dicamus. Primum igitur confuſam rerum ſeriem ſectionibus, quæ ex operis inſtituto naſcebantur, diſpunximus, deinde earum ipſarum ſic digeſtarum rerum capita, ordine chronologico collocavimus. Cum vero multa ſeſe offerrent, luce quidem, quam nunquam viderunt, digna, ſed quæ lectorem rerum momentis intentum, longo perſæpe contextu interpellarent, ea ad ſupplementum revocavimus, ut pleraque alia ex libris editis collecta, quorum in archivis rei publicæ, nec vola, nec veſtigium; indicem tandem totius operis, prima ſui parte, chronologico diplomaticum, altera res ordine alphabeti demonſtrantem texuimus, atque opus in ſex tomos, eo qui ſequitur modo, diſpertivimus. *Tomus primus:* Bohemia, Hungaria, Auſtria, Transſylvania, Turcia, Bavaria, Marchia Brandenburgenſis, Saxonia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Imperium Ruſſiæ, Tartaria Crimenſis, Ducatus Brunſuicenſis, Suecia, Hollandia, Perſia. Quod attinet ad negotia regni, & magni ducatus Lithuaniæ, *Tomus ſecundus, pars prior:* Lithuania; *pars altera*, Maſovia, Ruſſia, Podolia, Terra Belzenſis, Præfectura Scepuſienſis, Ducatus Oſviecemenſis, & Zatorienſis; *pars tertia*, provinciæ, quæ olim ſub imperio Polo-

Polono erant. Silesia, Pomerania, Marchia nova, Valachia & Moldavia, Bessarabia. *Tomus tertius*, Livonia & Prussia. *Tomus quartus:* Iura, libertates, & privilegia, nec non statuta, & antiquæ constitutiones regni, aliaque huius generis monumenta, quorum nullum adhuc in publicam lucem prodiit. *Tomus quintus:* in hoc *literae pontificiae* ac *Ducum & regum Poloniae* concordata, privilegia, ordinationes, statuta, edicta, rescripta, mandata, ad ordinem spiritualem, & res regni ecclesiasticas pertinentia, continentur. *Tomus sextus:* Regestum chronologicum codicis diplomatici, cum indice rerum in eo contentarum &c. Editio operis, quæ certe nitidissima futura est, absolvetur hoc modo. Tomus primus prodibit Anno 1757. Mense Novembri, quem reliqui quantocius sequentur. Ad comparandum igitur totum hoc opus in charta magno folio, typis pulcherrimis, ex consulto ad id conductis, impressum, binos aureos pro singulis tomis, id est duodecim pro sex tomis aureos simul solvendos, dimidium nempe valoris, quo opus imposterum constabit, intra octo mensium spatium, prænumerandos proponimus, idque: *Varsaviae*, apud nobiles, & spectatissimos dominos, D. *Dulfus*, consiliarium aulicum S. R. M. & civitatis Varsaviensis honoratum Præsidentem, D. *Teper*, consiliarium S. R. M. D. *Kaulfus*, commissarium postarum S. R. M. & reipublicæ. *Cracoviae*, apud D. *Erbs* præfectum postarum. *Vilnae*, apud D. *Maw. Gedani*, apud D. *Borowski*, præfectum postarum. *Torunii*, apud D. *Milczarski*, consulem civitatis, & præfectum postarum. *Leopoli*, apud DD. *Roff* & *Ionston*. *Posnaniae*, apud D. *Goebel*. Exiguum sane hoc pretium iis videbitur, qui de operæ impendio recte existimare, iudiciumque facere possunt: nam præter ingentes sumtus, qui in typographiam insumendi sunt, multa nobis obvenerunt huiusmodi scripta, ut, si ad pondus auri emerentur, minoris venissent.



INDEX AUCTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Iuridici.*

de

III. *Libri Medici & Physici.*


IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici, Geographici &c.*

Dogiel

VI. *Libri Philosophici & Miscellanei.*

Palmy-



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

Bar-

 Cicero-

de

de

Numo-

Polo-

Cohel.

T.


d

Scripturæ machinarum lapſus quidam.

Pag. 11. lin. 2. pro *nobis* lege *novis*; pag. 196. lin. 14. pro *2. 3.* lege *23*; pag. 241. lin. 21. poſt *hominum* inſere *per*; pag. 290. lin. 7. pro *ſecceſſu* lege *ſeceſſu*; pag. 335. lin. 6. pro *Tabulis* lege *Fabulis*; pag. 394. pro *dirigendis* lege *digerendis*; pag. 445. lin. 25. pro *onem* lege *tionem*; pag. 450. lin. 26. coniunge *συνείδη σις*; pag. 618. lin. 11. 12. pro *interpratur* lege *interpretatur*.

Tabulæ figurarum radio inſcriptarum.



d

Scripturæ machinarum lapſus quidam.

Pag. 11. lin. 2. pro *nobis* lege *novis*; pag. 196. lin. 14. pro *2. 3.* lege *23*; pag. 241. lin. 21. poſt *hominum* inſere *per*; pag. 290. lin. 7. pro *ſecceſſu* lege *ſeceſſu*; pag. 335. lin. 6. pro *Tabulis* lege *Fabulis*; pag. 394. pro *dirigendis* lege *digerendis*; pag. 445. lin. 25. pro *onem* lege *tionem*; pag. 450. lin. 26. coniunge *συνείδη σις*; pag. 618. lin. 11. 12. pro *interpratur* lege *interpretatur*.

Tabulæ figurarum radio inſcriptarum.

